IX.
B.
34.

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
IX
B
34.
NAPOLI

PETRI MOLINÆI

DE

POENITENTIA

ET CLAVIBVS.

Liber quo falſa Pœnitentia impugnatur: Et Imperatorum ac Regum, Supremorumque Magiſtratuum iura defenduntur.

Biblioteca Nazionale V. E. III NAPOLI

SEDANI,

Typis FRANCISCI CHAYER.

M. DC. LII.

CHRISTO REDEMPTORI.

FRACTVS ſenio & in languenti corpore ſummis votis exoptans liberationem, attollo ad te animum & oculos, ô Chriſte Fili æterne Patris æterni, mea ſpes & ſolatium, & vnicum fidei meæ prȩſidium: Tibique conſecro vltimam hanc ꝑpellam elucubratam ad patrocinium tuæ redemptionis aduerſus traditiones hominum, qui ſibi erexerunt terrenum imperium, ſpiritualis tui regni diſpendio, & religionem verterunt in mercaturam. Te authore & impulſore mea ſtudia & labores contuli ad defenſionem tuæ veritatis, cuius

ingenti amore flagrans ſpreui hominum odia, & minas, & aduerſa iudicia. Impar quidem tanto certamini: quandoquidem (vt ait tuus Apoſtolus) nobis luctſa eſt, non tantum aduerſus carnem & ſanguinem, ſed etiam aduerſus ſpirituales malitias quæ ſunt in cæleſtibus. At tu elegiſti infirma vt confundas fortia, & ſoles exerere tuam vim & perficire tuam virtutem in infirmitate noſtra. Nunc igitur, ô Seruator mundi audi, & ſerui tui ſupplicationem pronis auribus accipe: Diffla hominum conatus qui deprauatione religionis Chriſtianæ abutuntur ad lucrum & ambitionem. Diſcute fumos opacos quos eructat puteus abyſſi. Sparge bonum odorem tui Euangelij. Miſerere tot populorum qui deſtituti luce tui verbi in tenebris prætentant viam. Miſerere Eccleſiæ tuæ quæ ægrè trahit ſpiritum inter infeſtos. Reſigna ſacroſanctum codicem quem homines lucifugæ obſignauerunt pluſquam ſeptem ſigillis. Mitte in meſſem tuam fideles & ſtrenuos operarios, quibus non deſit in doctrina veritas, in moribus ſanctitas, in docendo facultas, in zelo & labore con-

ſtantia. Me verò quem manuduxiſti à prima iuuentute, & tot periculis cripuiſti, & in laborioſo opere ſuſtentaſti ne deſere in hoc extremo vitæ meæ actu, & animam meam foras eminentem libera hoc corporis ergaſtulo, & me tibi ad moue, vt fruar tuo tantopere optato conſpectu. Nam tu ſanguine tuo deleuiſti omnia noſtra peccata, tu morte tua nobis acquiſiuiſti vitam. Tu coronam ſpineam tuliſti vt nos coronares gloria, Tibi cum Patre & Spiritu ſancto ſit gloria & laus in ſæcula ſæculorum, AMEN.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS

De Sacramentis in Genere: Et de Sacramento Pœnitentiæ.

Cap. I. *De vocabulo Sacramẽti, & varia eius ſignificatione* pag. 1

Cap. II. *Sacramenti definitio. Eius materia & forma* p. 4

Cap. III. *Quæ requirantur vt Sacramentum ſit legitimum & verè ac propriè Sacramentum* p. 6

Cap. IV. *Has leges & conditiones non inueniri in Sacramento Pœnitentiæ Eccleſiæ Romanæ* p. 9

Cap. V. *De vocabulo Pœnitentiæ. Eius definitio* p. 20

Cap. VI. *Partes Sacramenti pœnitentiæ. Eius materia & forma* p. 22

Cap. VII. *Sacerdotem non poſſe eſſe certum à ſe verum Sacramentum adminiſtrari.*

Nec pœnitentem poſſe certò ſcire ſe accepiſſe verum Sacramentum p. 25
Cap. VIII. *Pontificiorum ſuper partibus huius Sacramenti diſcordia* p. 29
Cap. IX. *Quinam veterū ſcripſerint de Pœnitentia & qualis fuerit veteris Eccleſiæ pœnitentia* p. 30

LIBER SECVNDVS

De Contritione.

Cap. I. *QVid ſit contritio. Eius natura & neceſſitas. An ſit pars Sacramenti. An reddat abſolutionem inutilem* pag. 37
Cap. II. *An contritio ſit cauſa remiſſionis peccatorum* p. 42
Cap. III. *Pontificios de Contritione ea dicere quæ conſcientias inextricabili anxietate implicant. Quid ſit Attritio* p. 46
Cap. IV. *Refellitur hæc doctrina* p. 49
Cap. V. *De Contritione ob peccata quæ dicuntur Venialia. Expenditur diſtinctio inter peccata Mortalia & Venialia* pag. 53

LIBER TERTIVS

De Confeſſione.

Cap. I. *Confeſſionis vtilitas & neceſſitas* p. 62
Cap. II. *De Confeſſione Sacramentali, quæ nunc eſt vſitata in Eccleſia Romana* p. 64
Cap. III. *Synodum Tridentinam plurima addidiſſe huic legi* p. 66
Cap. IV. *Hanc Confeſſionem non eſſe Sacramentum, nec partem Sacramenti* p. 68
Chap. V. *Eccleſiam Romanam non credere Confeſſionem Sacramentalem eſſe neceſſariam ad ſalutem, vtcunque Synodus Tridentina aliter definiuerit* p. 71
Cap. VI. *Dubia quædã perdifficilia* p. 75
Cap. VII. *Quàm ſint noxiæ confeſſiones Sacramentales. Querelæ Pontificiorũ* p. 78
Cap. VIII. *De interrogationibus quæ fiunt pœnitenti* p. 83
Cap. IX. *De Sigillo Confeſſionis* p. 88
Cap. X. *Regum poteſtatem eſſe iuris diuini, & Dei mandato niti* p. 94
Cap. XI. *Confeſſionem Sacramentalem, non eſſe iuris diuini nec à Deo inſtitutã* p. 98

Cap. XII. *Aduerſariorum argumenta, pro Confeſſione Sacramentali* p.100
Cap. XIII. *Iacobi locus expenditur* p.104
Cap. XIV. *De pœnitentia & Confeßione Veteris Eccleſiæ* p.109
Cap. XV. *De forma & gradibus pœnitentiæ in veteri Eccleſia* p.113

LIBER QVARTVS

De Abſolutione Sacramentali.

Cap. I. D*E certitudine remiſſionis peccatorũ & fide iuſtificãte* p.129
Cap. II. *Sententia Eccleſiæ Romanæ de poteſtate Sacerdotum in remittendis peccatis authoritate iudiciaria* p.137
Cap. III. *Hæc doctrina impugnatur, & probatur Sacerdotes non poſſe remittere peccata* p.142
Cap. IV. *Sacerdotes remittentes peccata ſe ſupra Deum extollere* p.157
Cap. V. *Irregularitatem reddere Abſolutionem Sacramentalem incertam. Tum de intentione Sacerdotis* p.162
Cap. VI. *De virtute infuſa ſacerdotibus à*

Spiritu ſancto in Ordinatione p. 167
Cap. VII. *De Abſolutione qua ipſe Papa abſoluitur à peccatis* p. 169
Cap. VIII. *Expenduntur Chriſti verba Iohannis Cap. 20. Quorum remiſeritis, &c.* p. 171
Cap. IX. *Confeſſio aduerſariorum* p. 174
Cap. X. *Patrum veteris Eccleſiæ ſuper hac re ſententia* p. 177
Cap. XI. *Reconciliationem peccatoris pœnitentis fuiſſe reconcilliationem cum Eccleſia, non verò vt Dei iuſtitiæ ſatisfieret* p. 183
Cap. XII. *Quanto artificio Eccleſia Romana deprimat dignitatem & efficaciã Baptiſmi & Euchariſtiæ, vt extollat ſacramentũ pœnitentiæ. Fraus multiplex* p. 184
Cap. XIII. *Catecheſis Tridentinæ impura dogmata. Gelaſij Epiſcopi Romani audacia contradicentis ſententiæ Chriſti* p. 191
Cap. XIV. *De charactere indelebili* p. 196
Cap. XV. *Varij abuſus Abſolutionis, tam eius quæ fit poteſta ordinis in Sacramento, quam eius quæ fit poteſtate iuriſdictionis extra Sacramentum* p. 198

LIBER QVINTVS

De Satisfactionibus.

Cap. I. QVid ſit Satisfactio & quotuplex. Quomodo ſatisfiat homini: quo modo Deo. Status controuerſiæ p. 208
Cap. II. Quæ & quales ſint Satisfactiones Eccleſiæ Romanæ p. 211
Cap. III. Species ſatisfactionum p. 214
Cap. IV. De prima ſpecie Satisfactionis p. 215
Cap. V. De ſecunda ſpecie Satisfactionis p. 216
Cap. VI. Variæ ſpecies ſatisfactionum Sacramentalium p. 218
Cap. VII. De flagellatione p. 224
Cap. VIII. Refelluntur aduerſariorum rationes quibus flagellationem tuentur p. 230
Cap, IX. Tertia ſpecies ſatisfactionis p. 232
Cap. X. Satisfactiones Eccleſiæ Rom. repugnare Dei verbo & perfectæ Chriſti ſatisfactioni p. 233
Cap. XI. Diluuntur aduerſariorum effugia. Modi quibus beneficium Chriſti nobis applicatur p. 238
Cap. XII. Excutiuntur rationes quibus Synodus Tridentina tuetur ſatisfactiones humanas p. 242
Cap. XIII. Expenditur diſtinctio culpæ & pœnæ. Deum poſt remiſſionem integram culpæ, nullam exigere pœnam ſatiſfactoriam p. 245
Cap. XIV. Exẽpla quibus ſe tuentur aduerſarij p. 252
Cap. XV. Refelluntur argumenta ex ratione petita p. 259

Cap. XVI. *Locus Danielis cap. 4. elucidatur* p. 262
Cap. XVII. *Quam noxia ſit peccatoribus hęc doctrina de Satisfactione* p. 265
Cap. XVIII. *Impura Papę Clementis VI. oratio. Tum de paſſionibus Chriſti ſuperuacuis* p. 270
Cap. XIX. *Aduerſarios indignis modis decurtare & deprauare redemptionem Chriſti* p. 274
Cap. XX. *Ingenua confeſſio Gregorij de Valentia Ieſuitæ. Eum non obſcurè incuſare Deum iniuſtitię* p. 281
Cap. XXI. *Quo ſenſu Patres dicant peccatorem Deo ſatisfacere* p. 284

LIBER SEXTVS

De Vicarijs Satisfactionibus.

Cap. I. *SEntentia Eccleſiæ Rom. Et de paſſionibus ſuperuacuis Chriſti & Sanctorum* p. 286
Cap. II. *Vicariæ Satisfactionis exemplum inſigne & recens* p. 291
Cap. III. *Neminem poſſe ſatisfacere Deo pro alienis peccatis* p. 301
Cap. IV. *Patrum teſtimonia* p. 305
Cap. V. *Idem probatur rationibus* p. 306
Cap. VI. *Expendũtur aduerſariorum argumenta quibus tuentur vicarias ſatisfactiones* p. 313
Cap. VII. *Theſaurum Eccleſię & Indulgentias rem eſſe nouam. Confeſſio aduerſariorum. Vanitas In-*

dulgentiarum. Et de granis benedictis p. 225
Cap. VII. *De Meritis* p. 331
Cap. IX. *Veterum de Meritis ſententia* p. 338
Cap. X. *Quo ſenſu vocabula merendi & meriti capiantur a veteribus* p. 342
Cap. XI. *Abſterſio calumniarum* p. 344

LIBER SEPTIMVS

De Purgatorio.

Cap. I. *DE ſupplemento Satisfactionis Sacramentalis. De Purgatorij vocabulo. Quid mors Chriſti proſit animabus purgatorii* p. 351
Cap. II. *Character ſeu delineatio Purgatorii* p. 255
Cap. III. *Quorundam hominum priuilegia. Plebis Romanæ imprudentia. Detigitur euidens iniuſtitia & cauponatio* p. 360
Cap. IV. *De loco Purgatorii, & natura ac forma ſupplicii* p. 263
Cap. V. *Impugnatur Purgatorium teſtimoniis Veteris Teſtamenti* p. 368
Cap. VI. *Idem probatur teſtimoniis N. Teſtam.* p. 372
Cap. VII. *Idem probatur exemplis* p. 377
Cap. VIII. *Purgatorium refellitur ipſius Eccleſiæ Romanæ teſtimonio. Ipſam Miſſam in multis eſſe aduerſam Eccleſiæ Romanæ* p. 379
Cap. IX. *Expenduntur quæ afferuntur ad Purgatorij patrocinium ex Veteri Teſtamento* p. 391
Cap. XI. *Præſidia Purgotorii petita ex Apocryphis* p. 308

Cap. XII. *Expenduntur loca Noui Teſtamenti quæ afferuntur pro Purgatorio* p. 409
Cap. XIII. *Expenditur locus primæ Epiſtolæ ad Corinthios cap. 3. verſ. 11. & ſequentibus* p. 419
Cap. XIV. *Veterum ſententia de ſenſu huius loci. Necnon Anſelmi Lombardi, Thomę* p 426
Cap. XV. *Explanatur locus Apoſtoli. Eius* Para*phraſis* p. 429
Cap. XV. *De* Purgatorio *Ethnicorũ & Iudæorũ* p. 434
Cap. XVI. *Confeſſio aduerſariorum* p. 436
Cap. XVII. *Quoſdam Veteres credidiſſe animas corpore ſolutas nulli pœnæ eſſe obnoxias* p. 438
Cap. XVIII. P*atrum ſententiæ aduerſæ* P*urgatorio* p. 439
Cap. XIX. *Patres non ſibi conſtare, & aliquando docere animas piorum deſcendere ad inferos, & non admitti in cœlum ante diem reſurrectionis* p. 447
Cap. XX. *De mora & acceleratione reſurrectionis Patrum quorundem ſententia* p. 455
Cap. XXI. *De purgatione per ignem vltimi iudicij. Veterum error* p. 457
Cap. XXII. *Aduerſariorum confeſſio* p. 461
Cap. XXIII. *Error Hieronymo peculiaris* p. 465
Cap. XXIV. *Cypriani locus elucidatur* p. 466
Cap. XXV. *Auguſtini hęſitatio ſuper ſtatu animarum piarum & earum pœnis* p. 470
Cap. XXVI. *De precibus pro mortuis* p. 473
Cap. XXVII. *De Miſſis in honorem Sanctorum. Multos Sanctis in Eccleſia Romana contemni & contumelijs affici* p. 480

LIBER OCTAVVS

De Clauibus & ligatione & ſolutione.

Cap. I. QVid ſit clauis. Eius ſpecies p. 487
Cap. II. De clauibus Pontificis, & ligandi ac ſoluendi poteſtate quas exercetur in Eccleſia Romana p. 493
Cap. III. De relaxatione votorum & iuramentorum p. 498
Cap. IV. De caſibus reſeruatis p. 506
Cap. V. Expenditur hęc doctrina p. 511
Cap. VI. De Excommunicatione p. 516
Cap. VII. De Excõmunicationibus Iudęorum. Quid ſit Niddui. Quid Samatha & Maranatha. Eſſęorum aſperitas p. 517
Cap. VIII. De Excommunicationibus Veteris Eccleſiæ Chriſtianæ p. 519
Cap. IX Quid ἀκοινωνησία, id eſt ſeparatio à communione, differat ab Excommunicatione. Victoris Epiſcopi Romani actio expenditur & de Dipthychis p. 522
Cap. X. Excommunicationem inter Ethnicos vſitatam fuiſſe p. 526
Cap. XI. De traditione Satanæ & interitu carnis, Veterum & recentiorum ſententia p. 527
Cap. XII. De poteſtate Apoſtolorum & Prophetarum in corpora, & de Virga Apoſtolica p. 529
Cap. XIII. Expenditur ſententia eorum qui per traditionem

ditionem Satanæ intelligunt Excommunicationem, & per interitum carnis imminutionem concupiſcentiæ p. 531
Cap. XIV. *Quinam poſſint excommunicari. Tum de muribus, & locuſtis & caballis. Et de pueris pugnantibus in Eccleſia* p. 536
Cap. XV. *Species excommunicationis. An Anathema & Excommunicatio idem ſint* p. 539
Cap. XVI. *An teneatur debitor ſoluere pecuniam debitam excommunicato & fidem liberare* p. 545
Cap. XVII. *De ſepultura excommunicatorum, & eorum qui à Pontificiis hæretici appellantur* p. 549
Cap. XVIII. *Excommunicationum tyrannis* p. 552
Cap. XIX. *De Imperatorum Regum & Magiſtratuum Excommunicatione* p. 555
Cap. XX. *Primula huius ſcelerate doctrinæ initia* p. 557
Cap. XXI. *Gregorij VII geſta mores & mors* p. 559
Cap. XXII. *Varij euentus qui Gregorii VII. mortem ſunt conſecuti. Victoris mors* p. 558
Cap. XXIII. *De Vrbano II.* p. 572
Cap. XXIV. *De Paſchali II.* p. 574
Cap. XXV. *Henrici V. & Paſchalis diſcordia* p. 576
Cap. XXVI. *Quibus gradibus facta ſit tanta rerum immutatio* p. 578
Cap. XXVII. *Papatum eſſe imitationem veteris Imperii Romani* p. 583
Cap. XXVIII. *In hac controuerſiâ quomodo ſe geſſerint Reges Gallię & Eccleſia Gallicana* p. 587
Cap. XXIX. *Prima cauſa exauctorationis Regum,*

ẽ

nempe hæreſis p.593
Cap. XXX. *Altera cauſa exauctorationis Regum, nempe ingenij tarditas* p.597
Cap. XXXI. *Quibus gradibus Pontifices progrediantur ad regum depoſitionem & mortem* p.598
Cap. XXXII. *Papam probare & ſuadere regum parricidia* p.600
Cap XXXIII. *Pontifices lege diuina eſſe ſubiectos Regibus & Imperatoribus* p.604
Cap. XXXIV. *Veteres Epiſcopos Romanos Imperatoribus & Regibus fuiſſe ſubiectos* p.606
Cap. XXXV. *Idem ratione confirmatur* p.613
Cap. XXXVI. *De artibus quæſtuarijs & cauponatione Romana* p.619

LIBER NONVS

De Indulgentijs & Iubilæo.

Cap. I. *SEntētia Eccleſiæ Romanæ* p.623
Cap. II. *De Indulgentijs non vniuerſalibus, & quæ dantur ad tempus* p.632
Cap. III. *Modi quibus Papa largitur In-*

dulgentias. Et de remiſſione peccatorum futurorum. Nauarri querela p. 635
Cap. IV. *De Iubilæo* p. 643
Cap. V. *De Bonifacio VIII.* p. 649
Cap. VI. *Iohannis Hu*ẓ *ſententia de Indulgentijs. Geſta Concilij Conſtantienſis* p. 654
Cap. VII. *De Indulgentijs quæ dantur mortuis* p. 662
Cap. VIII. *Quo pacto Papa det Indulgentiam mortuis & morientibus* p. 665
Cap. IX. *De Indulgentijs per modum ſuffragij* p. 669
Cap. X. *Papam non poſſe dare Indulgentias mortuis* p. 674
Cap XI. *Fons totius erroris indicatur* p. 683
Cap. XII. *Totam religionem Romanam niti falſo & fluxo fundamento* p. 686
Cap. XIII. *Papam ſuperare Petrum poteſtate* p. 691
Cap. XIV. *Tertia Sancti Petri epiſtola, cælitus miſſa* p. 692

LIBER PRIMUS
In quo agitur
DE SACRAMENTIS IN GENERE
ET DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

CAPVT I.

De Vocabulo Sacramenti & varia eius ſignificatione.

VETERIBVS Latinis Sacramētum erat pecunia ab actore & reo in iudicio depoſita, ea lege & conditione, vt qui cauſa cecidiſſet, in pœnam iniuſtę litigationis, hac pecunia multaretur quæ ærario cederet: Victor verò ſuam auferret &

indemnis à iudicio recederet. Dicebanturque Sacramento contendere qui poſitis in iudicio pignoribus litigabant.

Sed & Sacramentum apud claſſicos authores & veteres Iuriſconſultos ſignificat iuramẽtum. Pręcipuè verò militare, quo miles iurabat in verba Imperatoris, & pollicebatur ſe nunquam à ſignis receſſurum niſi completis annis ſtipendij, aut iuſtis de cauſis, & cum Imperatoris venia.

At cum lingua Latina cœpit defloreſcere, veteres Chriſtiani quodlibet myſterium, & quamlibet doctrinam ſublimem aut reconditam cœperunt appellare Sacramentum. Hoc ſenſu Sacramentum Trinitatis & Sacramentum Incarnationis & Sacramentum Euangelij paſſim apud priſcos authores Chriſtianos inuenias. Eodemque ſenſu hæc vox frequenter vſurpatur in vulgata Latina verſione Bibliorum. Vt 1. ad Timoth. cap. 3. 16. Epheſ. 1. 9. Et capite 5. cõmate 32. Et ad Coloſſ. cap. 1. 27.

Danielis cap. 2. pericope 18. arcanus ſenſus ſomnij regis Sacramentum vocatur. Sic cap. 1. Apocal. verſu vltimo *Sa-*

cramentum ſeptem ſtellarũ quas vidiſti. Et cap.17.7. Spiritus Dei loquens de magna meretrice ait *Quid miraris? ego tibi dicam Sacramẽtum mulieris & beſtiæ.* Nam vocem μυςήϱιον vulgata verſio ſolet vertere *Sacramentum.* Hoc ſenſu vox Sacramenti ſępe inuenitur apud Tertullianum antiquiſſimum auctorem Chriſtianum, quem ſecuti ſunt cęteri.

Ab hac ſignificatione hoc vocabulum in aliam tranſijt. Nam à veteribus pro ſacro ſigno vſurpatur. Sic Auguſtinus epiſtola quinta ad Marcellinum. *Signa cum ad res diuinas pertinent Sacramenta appellantur.* Et in Aduerſarium Legis & Prophetarum lib.2. cap.9. *Sacramenta id eſt ſacra ſigna.*

Tandem hoc vocabulũ per multos gradus deuolutum in eo nouiſſimè conſtitit, vt ſignificaret *ſignum & ſigillum fœderis Dei in Chriſto, à Deo in Eccleſia inſtitutum.*

Ridiculi ſunt qui à nobis flagitant, quo in loco Scripturę vox Sacramẽti inueniatur, cum tam frequẽter inueniatur in Latina verſione, quam ſolam Synodus Tridentina * ſanxit eſſe authenticam. Cur

* Seſſ. IV.

autem Prophetæ & Apoſtoli ſcripſerint Hebraicè & Græcè, in eorum ſcriptis quærere vocabulum Latinum res eſt perabſurda. Nos quidem dicimus nullum fidei dogma admittendum eſſe quod ſacris Scripturis non contineatur. At vocabulum Sacramenti non eſt dogma fidei, ſed vox Latina barbara qua vtimur, vt nos attemperemus conſuetudini, & ab aduerſariis intelligamur.

CAP. II.

Sacramenti Definitio. Eius materia & forma.

SAcramenti plurimę definitiones afferuntur. Illa eſt tritiſſima & maximè recepta quam affert Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 5. *Sacramentum id eſt ſacrum ſignum.* Nec non illa Lombardi lib. 4. Diſt. 1. *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma.* In quam definitionem conceſſit turba Scholaſticorum. Has definitiones non repudiamus: ſunt tamen inperfectæ. Nam conueniunt Iridi, & Impoſitioni manuum quæ fit in

inauguratione paſtorum Eccleſiæ. Perfectior erit definitio ſi dicamus Sacramentum eſſe *ſignum viſibile gratiæ Dei in Chriſto, à Deo in Eccleſia inſtitutum.*

Materia Sacramenti eſt ipſum elementum viſibile, aqua, panis, vinum. Forma externa eſt ritus & adminiſtratio Sacramenti; aſperſio aquæ, fractio panis, eiuſque diſtributio & ſumptio, porrectio calicis, & deguſtatio. At forma interna, & quæ eſſentiam Sacramenti conſtituit, eſt reſpectus & conuenientia ſigni cum reſignata ſeu ſignificata.

Verba quæ pronunciantur in celebratione Sacramenti, non ſunt forma nec pars Sacramenti, ſed explicatio naturæ Sacramenti, & declaratio finis ob quem Sacramentum inſtitutum eſt. Id inde liquet, quod circumciſio & manducatio agni Paſchalis erant verè & propriè Sacramenta, quę tamen non habuerunt vllam verborum formulam, nec verba concepta. Horum Sacramentorum natura & finis lege Moſis explicatur.

CAP. III.

Quæ requiruntur vt Sacramentum ſit legitimum & verè ac propriè Sacramentum.

AD cōſtituendam Sacramenti naturam, & vtritè & legitimè adminiſtretur multa requiruntur. Nos ea tantùm ponemus quæ pertinēt ad tractatum quem inſtituimus; nempe ad tractatum de Sacramento Pœnitentiæ.

I. Principiò neceſſe eſt vt Sacramenta Noui Teſtamenti habeant Chriſtum auctorem. Cuius eſt diploma, eiuſdem eſt ſigillum appoſitum diplomati. Apoſtolus ad Romanos cap. 4. circunciſionem vocat *ſigillum iuſtitiæ fidei.*

II. Sacramenta non debent eſſe virtutes: ſunt enim adiumenta virtutum. quippè quæ faciūt ad firmamentum fidei: & ſunt incitamenta ad pœnitētiam.

III. Sententia Auguſtini Tractatu 80. in Iohannem vera eſt, & recepta à Pontificijs. *Accedat verbum ad elementum vt fiat Sacramentum.* Nam ipſum verbum non poteſt eſſe elementum. Id docet Bellar-

minus lib. 1. de Pœnitentia cap. 11. §. Reſpondeo. *Fatemur* (inquit) *in omni Sacramento requiri elementum externum.*

IV. Sacramenta debent adminiſtrari à Paſtore Eccleſiæ. Non eſt fas laico ſe ipsū baptizare, nec inuadere ſacram Cœnam, nullo Paſtore adminiſtrante.

V. Oportet ſit quædam analogia & conuenientia inter ſignum & rem ſignificatam. Inde eſt quod Sacramenta nomine rerum ſignificatarum plerunque nuncupantur. Auguſtini verba hæc ſunt epiſtola 23. ad Bonifacium. *Si Sacramenta quādam ſimilitudinem earū rerum quarum Sacramenta ſunt non haberent, Sacramenta non eſſent.* Quæ verba citātur à Bellarmino lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 9. §. Vnde. Sed ſequentia verba fraudulenter omittit. Addit enim Auguſtinus. *Ex hac autem ſimilitudine plerunq; ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ſecūdum quendam modum ſacramētum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt.* Quę verba iugulum petunt.

VI. Oportet quoque Sacramētum vna & continuata actione peragatur & vno in loco, non verò ſubſultim, & per diuerſa

temporis interualla, aut locorum diſtantiam. Ineptum eſſet ſi Antonius hodie ſumeret partem Baptiſmi aut Euchariſtiæ, alteram verò partem poſt ſeptidúum aut poſt aliquot menſes. Aut ſi portio Sacramenti in templo & vrbe, altera verò pars in agris aut equitando perageretur.

VII. Quod ſi Sacramentum pluribus partibus eſſentialibus conſtat, vna dempta Sacramentum non modo fit mancum & imperfectum, ſed ne quidem eſt Sacramentum.

VIII. Id quoque certiſſimum eſt Sacramenta Noui Teſtamenti eſſe analoga & correſpōdentia Sacramentis Veteris Teſtamenti. Quapropter ſi aliquod Sacramentum nobis obtruditur, cui non inueniatur Sacramentum ἀντίστροφον & correſpondens ſub Veteri Teſtamento, certum eſt tale Sacramentum eſſe adulterinum, & humani cerebri figmentum.

Hæ quidem ſeu leges ſeu conditiones tam ſunt euidentes vt vel inuitos trahant in aſſenſum, earumque pleræque admittuntur ab aduerſarijs, in quas tamen impingit Sacramentum Pœnitentiæ.

CAP. IV.

Has leges ſeu conditiones non inueniri in Sacramento pœnitentiæ Eccleſiæ Romanæ.

PRincipiò certum eſt Chriſtum non eſſe huius Sacramēti authorem. Nam ante Chriſti aduētum pœnitentia erat vſitata ſub Veteri Teſtamento; Nullibi Chriſtus iuſſit ſingula peccata, quorum memoria ſuccurrit, & peccati circunſtantias confiteri ſacerdoti. Nullibi Paſtoribus dedit poteſtatem irrogandi pœnas corporeas aut pecuniarias, ad ſatisfactionem pro peccato. Nec vnquam Apoſtoli dixerunt cuiquam peccatori, *Remitto tibi peccata*, aut *Abſoluo te ab omnibus tuis peccatis*. Nec inuenietur vllum exemplum peccatoris qui petierit ab Apoſtolis remiſſionem peccatorum.

Nam quod Paulus dicit ſe ignoſcere inceſto Corinthiaco, & iubet Corinthios ei ignoſcere, intelligendum eſt de remiſſione pœnarum ſeu cenſurarum Eccleſiaſticarum, per quam peccator motus cōmunione fidelium reconciliatur Eccleſiæ, &

LIBER PRIMVS
In quo agitur
DE SACRAMENTIS IN GENERE
ET DE
SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

CAPVT I.

De Vocabulo Sacramenti & varia eius ſignificatione.

VETERIBVS Latinis Sacramētum erat pecunia ab actore & reo in iudicio depoſita, ea lege & conditione, vt qui cauſa cecidiſſet, in pœnam iniuſtę litigationis, hac pecunia multaretur quæ ærario cederet: Victor verò ſuam auferret &

indemnis à iudicio recederet. Dicebanturque Sacramento contendere qui poſitis in iudicio pignoribus litigabant.

Sed & Sacramentum apud claſſicos authores & veteres Iuriſconſultos ſignificat iuramẽtum. Præcipuè verò militare, quo miles iurabat in verba Imperatoris, & pollicebatur ſe nunquam à ſignis receſſurum niſi completis annis ſtipendij, aut iuſtis de cauſis, & cum Imperatoris venia.

At cum lingua Latina cœpit defloreſcere, veteres Chriſtiani quodlibet myſterium, & quamlibet doctrinam ſublimem aut reconditam cœperunt appellare Sacramentum. Hoc ſenſu Sacramentum Trinitatis & Sacramentum Incarnationis & Sacramentum Euangelij paſſim apud priſcos authores Chriſtianos inuenias. Eodemque ſenſu hæc vox frequenter vſurpatur in vulgata Latina verſione Bibliorum. Vt 1. ad Timoth. cap. 3. 16. Epheſ. 1. 9. Et capite 5. cõmate 32. Et ad Coloſſ. cap. 1. 27.

Danielis cap. 2. pericope 18. arcanus ſenſus ſomnij regis Sacramentum vocatur. Sic cap. 1. Apocal. verſu vltimo *Sa-*

cramentum ſeptem ſtellarũ quas vidiſti. Et cap. 17. 7. Spiritus Dei loquens de magna meretrice ait *Quid miraris? ego tibi dicam Sacramẽtum mulieris & beſtiæ.* Nam vocem μυςήριον vulgata verſio ſolet vertere *Sacramentum.* Hoc ſenſu vox Sacramenti ſępe inuenitur apud Tertullianum antiquiſſimum auctorem Chriſtianum, quem ſecuti ſunt cęteri.

Ab hac ſignificatione hoc vocabulum in aliam tranſijt. Nam à veteribus pro ſacro ſigno vſurpatur. Sic Auguſtinus epiſtola quinta ad Marcellinum. *Signa cum ad res diuinas pertinent Sacramenta appellantur.* Et in Aduerſarium Legis & Prophetarum lib. 2. cap. 9. *Sacramenta id eſt ſacra ſigna.*

Tandem hoc vocabulũ per multos gradus deuolutum in eo nouiſſimè conſtitit, vt ſignificaret *ſignum & ſigillum fœderis Dei in Chriſto, à Deo in Eccleſia inſtitutum.*

Ridiculi ſunt qui à nobis flagitant, quo in loco Scripturę vox Sacramẽti inueniatur, cum tam frequẽter inueniatur in Latina verſione, quam ſolam Synodus Tridentina * ſanxit eſſe authenticam. Cum

* Seſſ. IV.

autem Prophetæ & Apoſtoli ſcripſerint Hebraicè & Grçcè, in eorum ſcriptis quçrere vocabulum Latinum res eſt perabſurda. Nos quidem dicimus nullum fidei dogma admittendum eſſe quod ſacris Scripturis non contineatur. At vocabulum Sacramenti non eſt dogma fidei, ſed vox Latina barbara qua vtimur, vt nos attemperemus conſuetudini, & ab aduerſariis intelligamur.

CAP. II.

Sacramenti Definitio. Eius materia & forma.

SAcramenti plurimç definitiones afferuntur. Illa eſt tritiſſima & maximè recepta quam affert Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 5. *Sacramentum id eſt ſacrum ſignum*. Nec non illa Lombardi lib. 4. Diſt. 1. *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma*. In quam definitionem conceſſit turba Scholaſticorum. Has definitiones non repudiamus: ſunt tamen inperfectæ. Nam conueniunt Iridi, & Impoſitioni manuum quæ fit in

inauguratione paſtorum Eccleſiæ. Perfectior erit definitio ſi dicamus Sacramentum eſſe *ſignum viſibile gratiæ Dei in Chriſto, à Deo in Eccleſia inſtitutum.*

Materia Sacramenti eſt ipſum elementum viſibile, aqua, panis, vinum. Forma externa eſt ritus & adminiſtratio Sacramenti; aſperſio aquæ, fractio panis, eiuſque diſtributio & ſumptio, porrectio calicis, & deguſtatio. At forma interna, & quæ eſſentiam Sacramenti conſtituit, eſt reſpectus & conuenientia ſigni cum reſignata ſeu ſignificata.

Verba quæ pronunciantur in celebratione Sacramenti, non ſunt forma nec pars Sacramenti, ſed explicatio naturæ Sacramenti, & declaratio finis ob quem Sacramentum inſtitutum eſt. Id inde liquet, quod circumciſio & manducatio agni Paſchalis erant verè & propriè Sacramenta, quę tamen non habuerunt vllam verborum formulam, nec verba concepta. Horum Sacramentorum natura & finis lege Moſis explicatur.

CAP. III.

Quæ requirantur vt Sacramentum ſit legitimum & verè ac propriè Sacramentum.

AD cōſtituendam Sacramenti naturam, & vt ritè & legitimè adminiſtretur multa requiruntur. Nos ea tantùm ponemus quæ pertinēt ad tractatum quem inſtituimus; nempe ad tractatum de Sacramento Pœnitentiæ.

I. Principiò neceſſe eſt vt Sacramenta Noui Teſtamenti habeant Chriſtum auctorem. Cuius eſt diploma, eiuſdem eſt ſigillum appoſitum diplomati. Apoſtolus ad Romanos cap. 4. circunciſionem vocat *ſigillum iuſtitiæ fidei.*

II. Sacramenta non debent eſſe virtutes: ſunt enim adiumenta virtutum. quippè quæ faciũt ad firmamentum fidei: & ſunt incitamenta ad pœnitētiam.

III. Sententia Auguſtini Tractatu 80. in Iohannem vera eſt, & recepta à Pontificijs. ***Accedat verbum ad elementum vt fiat Sacramentum.*** Nam ipſum verbum non poteſt eſſe elementum. Id docet Bellar-

minus lib. 1. de Pœnitentia cap. 11. § Reſpondeo. *Fatemur* (inquit) *in omni Sacramento requiri elementum externum.*

IV. Sacramenta debent adminiſtrari à Paſtore Eccleſiæ. Non eſt fas laico ſe ipsũ baptizare, nec inuadere ſacram Cœnam, nullo Paſtore adminiſtrante.

V. Oportet ſit quædam analogia & conuenientia inter ſignum & rem ſignificatam. Inde eſt quod Sacramenta nomine rerum ſignificatarum plerunque nuncupantur. Auguſtini verba hæc ſunt epiſtola 23. ad Bonifacium. *Si Sacramenta quãdam ſimilitudinem earũ rerum quarum Sacramenta ſunt non haberent, Sacramenta non eſſent.* Quæ verba citãtur à Bellarmino lib. 1. de Sacramentis in genere cap. 9. § Vnde. Sed ſequentia verba fraudulenter omittit. Addit enim Auguſtinus. *Ex hac autem ſimilitudine plerunq; ipſarum rerum nomina accipiunt. Sicut ſecũdum quendam modum ſacramẽtum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt.* Quę verba iugulum petunt.

VI. Oportet quoque Sacramẽtum vna & continuata actione peragatur & vno in loco, non verò ſubſultim, & per diuerſa

temporis interualla, aut locorum diſtantiam. Ineptum eſſet ſi Antonius hodie ſumeret partem Baptiſmi aut Euchariſtiæ, alteram verò partem poſt ſeptiduum aut poſt aliquot menſes. Aut ſi portio Sacramenti in templo & vrbe, altera verò pars in agris aut equitando perageretur.

VII. Quod ſi Sacramentum pluribus partibus eſſentialibus conſtat, vna dempta Sacramentum non modo fit mancum & imperfectum, ſed ne quidem eſt Sacramentum.

VIII. Id quoque certiſſimum eſt Sacramenta Noui Teſtamenti eſſe analoga & correſpõdentia Sacramentis Veteris Teſtamenti. Quapropter ſi aliquod Sacramentum nobis obtruditur, cui non inueniatur Sacramentum ἀντίστροφον & correſpondens ſub Veteri Teſtamento, certum eſt tale Sacramentum eſſe adulterinum, & humani cerebri figmentum.

Hæ quidem ſeu leges ſeu conditiones tam ſunt euidentes vt vel inuitos trahant in aſſenſum, earumque pleræque admittuntur ab aduerſarijs, in quas tamen impingit Sacramentum Pœnitentiæ.

CAP. IV.

Has leges ſeu conditiones non inueniti in Sacramento pœnitentiæ Eccleſiæ Romanæ.

PRincipiò certum eſt Chriſtum non eſſe huius Sacraméti authorem. Nam ante Chriſti aduẽtum pœnitentia erat vſitata ſub Veteri Teſtamento; Nullibi Chriſtus iuſſit ſingula peccata, quorum memoria ſuccurrit, & peccati circunſtantias confiteri ſacerdoti. Nullibi Paſtoribus dedit poteſtatem irrogandi pœnas corporeas aut pecuniarias, ad ſatisfactionem pro peccato. Nec vnquam Apoſtoli dixerunt cuiquam peccatori, *Remitto tibi peccata*, aut *Abſoluo te ab omnibus tuis peccatis*. Nec inuenietur vllum exemplum peccatoris qui petierit ab Apoſtolis remiſſionem peccatorum.

Nam quod Paulus dicit ſe ignoſcere inceſto Corinthiaco, & iubet Corinthios ei ignoſcere, intelligendum eſt de remiſſione pœnarum ſeu cenſurarum Eccleſiaſticarum, per quam peccator motus cõmunione fidelium reconciliatur Eccleſiæ, &

ad communionem admittitur, non verò de remiſſione coram Dei tribunali.

Nec aliter accipiēda eſt poteſtas ligandi & ſoluendi & remittendi peccata data Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus à Chriſto Matthæi cap. 18. & Ioh. cap. 20. 21. Id euidenter liquet ex Mattheo cap. 18. vbi Chriſtus expõnit qualis ſit ligandi poteſtas data paſtoribus, nempe ea per quam peccator contumax aggregatur Ethnicis & publicanis, qui à ſacrificijs & communione Eccleſiæ arcebantur. Hæ ſunt claues regni cœlorum. Nam per regnum cœlorum & regnum Dei, intelligere Eccleſiam prædicatione Euangelii fundatam, Chriſto familiare eſt & frequentiſſimum, quia Deus in Eccleſia regnat per verbum & Spiritus ſancti efficaciam.

Nec in loco illo Matthei 18. nec Iohannis cap. 20. vlla fit Confeſſionis nec Satisfactionis mentio. Quod ſi (vt cenſet Cyrillus cap. 56. in Iohannem) Chriſtus hoc loco dedit poteſtatem Apoſtolis remittendi peccata non modo Chriſtianis & baptizatis, ſed etiam hominibus nondum baptizatis, non poſſunt hæc

Chriſti verba trahi ad inſtitutionem Sacramenti pœnitentiæ, quod Eccleſia Romana confert ſolis baptizatis.

Nec parua eſt deprauatio pœnitentiæ, quod cum pœnitentia ſit virtus, hęc virtus vertitur in pœnam, & conuerti ad Deum fit ſupplicium. Et ornamentum ſpirituale vertitur in exercitium corporale, de quo Paulus 1. ad Timoth. cap. 4. ait *Exercitatio corporalis parum habet vtilitatis, at pietas ad omnia eſt vtilis.* Hoc pacto pro pœnitentia quæ vnica eſt, inuentæ ſunt ſexcentę ſpecies pœnitentiæ. Sic flagra, cilicia, peregrinationes, abſtinentia à certis cibis, ſecubatio ab vxore, mulctæ pecuniariæ, pœnitentiæ appellantur.

Cum autem Sacramentum ſit ſignum viſibile gratiæ inuiſibilis, vt definit Lombardus & alij, prima pars huius Sacramenti nempe *Contritio* non eſt ſignum viſibile. Nam contritio non poteſt videri. Nec contritio Mæuij videtur à Titio. Solus Deus videt contritionem cordis, nec opus habet ſignis vt eam cognoſcat. Nec ſi poſſet cõtritio videri, eſſet ſignum

gratiæ. Nam dolere de peccato non eſt ſignum gratiæ Dei. Dolere ob morbum non eſt ſignum ſanationis.

Nec confeſſio ſignum eſt viſibile, cum non videatur ſed audiatur. Nec eſt ſignum gratiæ: nam fateri peccatum non eſt ſignum remiſſionis peccati. Multi ſontes poſt confeſſionem criminis aguntur in crucem. Fateri morbum non eſt ſignum ſanationis.

Nec ſatisfactio ſignum eſt gratię Dei, fit enim vt impetretur gratia Dei. Satisfacere pro debito non eſt ſignum remiſſionis debiti, immo repugnat gratiæ. Nam qui ſatisfacit pro debito non opus habet gratia. Tum omnis Satisfactio quæ Deo fit debet eſſe voluntaria. At Eccleſia Romana dicit Satisfactiones eſſe pœnas & vindictas, quæ quidem vt plurimum ægrè peraguntur & ab inuitis: Vt cum ſeptem Pſalmi pœnitentiales in pœnam peccati leguntur lingua ignota, à peccatore anhelante ad finem & perrodente ſibi pollices: & ab ijs qui non ſine tædio voluunt & reuoluunt grana reſtis precatoriæ. Id cum ſit, ſatisfactio nulla

eſt, & ipſa pœna vertitur in peccatum.

Sed nec abſolutio ſignum eſt gratiæ inuiſibilis, cum ſit ipſiſſima gratia. Quod ſi aduerſarij volunt Abſolutionem quæ datur à ſacerdote ſignum eſſe abſolutionis quæ iam data eſt à Deo, hoc ipſo fatebũtur Abſolutionẽ quę datur à Sacerdote non eſſe actũ iudicialem, & Sacerdotem non remittere peccata, ſed tantùm ſignificare remiſſionem à Deo iam cõceſſam. Ex his manifeſtè conficitur Sacramẽtum Pœnitentiæ eſſe fictitium, quandoquidem nihil in eo inuenitur quod ſit ſignũ gratiæ inuiſibilis.

Cum autem recepta ſit hæc regula, non modo à nobis, ſed etiam à Pontificijs oportere vt verbum accedat ſeu addatur elemento vt fiat Sacramentum, in hoc imaginario Sacramento nullum inuenitur elementum. Neque enim perſonæ, nẽpe ſacerdos & peccator, ſunt elementa. Nec verba quę pronuntiantur à Sacerdote aut peccatore ſunt elementa. Nec ſi eſſent, eſſent ſigna viſibilia ſed audibilia. Cum ergo duo ſint verba, nimirum verba peccatoris confitentis, & verba ſacer-

dotis abſoluentis, additur quidem verbum verbo, ſed non additur verbum elemento. Nec poteſt adferri idonea ratio, cur horum duorum verborum, alterum ſit elementum, alterū non ſit elementum.

Id quoque requirebatur ad naturam & legitimum vſum Sacramenti, vt adminiſtretur ab idoneo & legitimo Miniſtro. Nemini fas eſt ſe ipſum baptizare. At cum ponantur quatuor partes huius Sacramenti, harum quatuor partium tres peraguntur à peccatore pœnitente, non vero à Sacerdote. Nam peccator conteritur, peccator confitetur, peccator ſatisfacit. Hæc tria nihil ad Sacerdotem: nullæ hic Sacerdotis partes. Immo & Contritio ignoratur à Sacerdote, ſed piè & coniecturaliter eam præſumit. Satisfactio verò fit Sacerdote non conſcio, & neſcio an peccator bona fide impleturus ſit Satisfactionem imperatam.

Id verò plus quam mirum eſt quod Sacerdos per Abſolutionem ſoluit peccatorem, quem mox ligat & obſtringit ad ſatisfaciendum per pœnam. Ratio poſcebat vt peccator prius ſatisfaceret quam

abſolueretur, & prius ſolueret debitum quàm liberaretur. Id faciebat vetus Eccleſia, in qua peccator prius ſatisfaciebat Eccleſiæ, implendo canones pœnitentiales quàm reconciliaretur Eccleſiæ, & ad communionem admitteretur.

Nec in hoc Sacramento Pœnitentiæ vlla eſt conuenientia ſigni cum re ſignificata. Nam vbi nullum eſt ſignum gratiæ, nec vllum elementũ viſibile, ibi nulla poteſt eſſe cõuenientia ſigni cum re ſignata.

Nec minus eſt euidens, debere Sacramentum integrum eadem hora, & vno in loco adminiſtrari, non vero ſubſultim & per diuerſa tẽporis aut loci interualla. At id fit in Eccleſia Romana: In qua ſatisfactio eſt interciſa, & peragitur diuerſis temporibus & locis. Imperabit Parochus peccatori pœnitẽti ieiunium triennale, non quidem continuum, ſed per certos & prꝯſtitutos dies ſeptimanarum, ſic ſumitur & reſumitur ſtatis vicibus Sacramentũ pœnitentiæ. Aut ſi indixerit ei peregrinationem Cõpoſtellam, iſtius pœnitentiæ pars peragetur equitando, pars in diuerſorijs, pars in agris, pars

in lecto. Mirræ profecto intẽperiæ hos homines agitant; & videntur dare operam vt ſe propinent ridendos, & peccent in ſenſum communem.

Septima conditio à nobis poſita hæc fuit. Vt verũ ſit Sacramentum, oportere vt habeat omnes partes eſſentiales, & partium integrantium nulla deſideretur. Nam ſi aliqua pars neceſſaria abſit, Sacramentũ erit mutilum & mancum, immo & nullum. Id quidem non puto à quoquam negari poſſe. At Sacramentum pœnitentiæ nunquam in Eccleſia adminiſtratur integrum. Nam poſt datam abſolutionem, dimittitur peccator quaſi accepto integro Sacramẽto, cum tamen quarta pars Sacramenti nẽpe Satisfactio nondum ſit inchoata, & ſæpe nunquam peragatur. Sunt autem hæ ſatisfactiones tanti momenti in hoc Sacramento, vt vulgò per *pœnitentias* ſolæ Satisfactiones intelligantur.

Cumque Contritio & Confeſſio ponantur vt materia huius Sacramenti & eius partes, ſine quibus Pœnitentia non eſt Sacramentum, ſæpe tamen Contritio

eſt

eſt ſimulata, & Confeſſio fallax aut imperfecta. Quæ duo cum abſunt, non poteſt pœnitentia fallax dici Sacramētum. Nec poteſt pœnitentia appellari quando peccator nulla tangitur pœnitentia. Enimvero totum quod conſtat materia & forma deſtruitur quando materia abeſt. Tunc quę dicitur eſſe forma, nempe Abſolutio, eſſet forma non informans materiam. Si hypocrita baptizatur, baptiſmus erit verus, quia adminiſtratur hoc Sacramentum à Paſtore, nec huius Sacramenti natura & finis pendet ab intentione eius qui baptiſatur. At huius Sacramenti partes adminiſtrantur à pœnitente, qui ipſe ſibi confert Sacramentum, nec poteſt ipſe ſibi eſſe ignotus.

Vltimum quod dicebamus requiri in Sacramentis Noui Teſtamenti hoc fuit, nempe vt Sacramentum nouæ legis ſit analogum & correſpondens alicui Sacramento veteris legis: quandoquidem Sacramenta Eccleſiæ Chriſtianæ ſucceſſerunt Sacramentis veteris Teſtamenti, vt Baptiſmus circuncifioni, Sacra cœna agno Paſchali. Id diſcimus ex Apoſtolo

1. Cor. 10. vbi dicit Patres veteris Teſtamenti fuiſſe baptizatos in nube & mari, & eundem cibum ſpiritualem comediſſe. At nullum inuenitur Sacramentum veteris Teſtamenti, quod huic Sacramento pœnitentiæ reſpondeat, nulla tunc fuit auricularis confeſſio, nec Sacerdotes remittebāt peccata. Nam ſub. Veteri Teſt. non fuiſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi peccata * cōſtans eſt aduerſariorum ſententia. Nec peccatoribus indicebant pœnas corporeas, flagra, ieiunia, peregrinationes, mulctas pecuniarias.

Mirum verò quod negant ſub Veteri lege vllum fuiſſe Sacramentum Pœnitētiæ, cum in Dauide habeamus hęc quatuor quæ requiruntur hodie ad hoc Sacramentum. Habuit Dauid ſeriam contritionem peccati. Peccatum ſuum Deo & Nathani cōfeſſus eſt. Afflixit animum mœrore, & macerauit corpus inedia. Abſolutionem ei pronuntiauit Nathan Propheta Deo authore. Quod verò Nathan non dixit Dauidi, *Abſoluo te à tuis peccatis*, id fecit quia noluit inuadere Dei iura,

* Bellarm lib 1. de pœnitentia c 11. §. Reſpōd *Non fuit in Teſtam. veteri poteſtas remittendi peccata.*

nec ſe iudicem in cauſa Dei conſtituere.

Id verò apprimè obſeruandum quod Romanenſes pœnitentiam prędicatam à Iohanne Baptiſta,& ab ipſo Chriſto Marci 1. 15. *Reſipiſcite & credite Euangelio*, negant fuiſſe Sacramentum pœnitentię. Hoc enim Sacramentum ſtatuũt à Chriſto eſſe inſtitutum poſtquam reſurrexit à mortuis.

Immo nec pœnitentia prędicata à Petro Apoſtolo poſt Chriſti aſcenſionem Actorum cap. 2. 38. fuit Sacramentum. Illi enim quibus dicebat *Agite pœnitentiam*, erant Iudæi, nondum baptizati.

An mihi non ſufficeret pœnitentia vſitata in Eccleſia Veteris Teſtamenti, prædicata à Iohanne, & ab ipſo Chriſto? Qua fronte homunculi audent cõminiſci pœnitentiam meliorem illa quam Chriſtus ipſe docuit, & cuius in ſacra ſcriptura nulla inueniuntur exempla?

At (inquiunt) poteſtas remittendi peccata non erat in Veteri Teſt. nec Pontificibus attributa erat poteſtas quam habent ſacerdotes Eccleſiæ Romanæ. Id ſi verũ eſt longè deterior eſt conditio Eccleſiæ

Chriſtianæ, quàm fuit olim Eccleſiæ Iſraeliticæ. Nam ſub veteri Teſtamento peccatores pœnitentes ſe ad Deum vertebant & ab eo remiſſionem immediatè conſequebantur. At nũc (ſi his creditur) peccatores tenentur petere remiſſionem peccatorum ab hominibus quorum multi (fatentibus aduerſarijs) ſunt nequiſſimi, & quorum intentio eſt incerta, ſinè qua tamen cenſent Sacramentum eſſe nullum & irritum. Homunciones ſedent iudices in Dei cauſa, & Confeſſor ſedens in cathedra habet ad pedes Regem prouolutum in genua, & ſuppliciter petentem remiſſionem peccatorum, & ſubeuntem pœnas & caſtigationes à preſbytero irrogatas. Nimirum hæc omnia pertinẽt ad extollendam Sacerdotum & Papæ poteſtatem.

CAP. V.

De vocabulo Pœnitentiæ. Eius definitio.

POenitentiæ vox eſt media, & quandoque in bonam, quandoque in ſe-

quiorem pertem accipitur. Sunt enim quos pœnitet boni operis. Sunt quos peccari pœnitet, ſed ſine reſipiſcentia & mutatione in meliorem frugem. Talis fuit Iudæ pœnitentia quæ eum ad laqueum adegit. Nos hîc agimus tantùm de bona pœnitentia & ſalutari dolore cuius nunquam pœnitet, vt ait Paulus 2. Cor. 7. 10.

Hęc pœnitentia in Nouo Teſtamento vocatur μετάνοια, id eſt mutatio in meliorem mentem ſeu reſipiſcentia: & μεταμέλεια, id eſt cura poſterior, abſiſtens malo, & ſe ad meliora applicans. Hebræis eſt *Teſhuvah* id eſt reuerſiò, quia eſt ad Deum conuerſio.

Quando in Nouo Teſtamento inuenitur μετανοεῖτε, vulgata verſio plerũque vertit *Agite pœnitentiam.* Quia autem pœnitentia deriuatur à pœna, inde ſuperſtitio arripuit anſam mutandi virtutem in pœnam. Cum enim pœnitentia ſit animi affectus, & pręſtantiſſima virtus, per quam vita hominis emendatur, & à vitio reuocatur ad virtutem, nunc pœnitentia pœna eſt, Et pœnitentias Pontificij vocant ieiunia, flagellationem, peregrina-

tiones, χαμευνίαι, cilicium, mulctas pecuniarias: denique opera pœnalia & moleſta quæ arbitrio preſbyterorum & Prælatorum irrogantur peccatoribus. Vnde parta eſt eis poteſtas in corpora & fortunas laicorũ, ne Regibus quidem exceptis.

Gratianus Diſt. 3. de Pœnitentia, canone *Pœnitentia*, ex Ambroſio Pœnitentiam ſic definit: *Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Aptè & verè.

CAP. VI.

Partes Sacramenti pœnitentiæ. Eius materia, & forma.

DEcretum Eugenij Papæ, ſubiectum Concilio Florentino, ad inſtructionem Armenorum: & Synodus Tridentina Seſſ. XIV. quatuor faciunt partes huius Sacramenti Contritionem quæ fit corde. Confeſſionem quę fit ore. Satisfactionem quæ fit opere. Abſolutionem per quam Sacerdos remittit peccata authoritate iudiciaria, dicens *Abſoluo te à tuis peccatis.*

Hæ Synodi dicunt Contritionem, Cõfeſſionem & Satisfactionem eſſe *quaſi materiam* huius Sacramenti. Venerandi Patres non auſi ſunt dicere hæc eſſe materiam huius Sacramenti, ſed dixerunt eſſe *quaſi materiam.* Nihil enim inuenerunt in hoc Sacramento, quod poſſit verè & propriè materia eius appellari.

Huius *quaſi materiæ*, Abſolutio eſt *quaſi forma*: Sic loquitur Bellarminus lib. I. de Pœnitentia cap. 15 §. *Tertia. Actio pœnitentis eſt quaſi materia, & verbum Sacerdotis, eſt quaſi forma.* His verbis non obſcurè fatentur, huius Sacramenti nullam eſſe materiam nec formam. Nam qui diceret Philippum eſſe quaſi hominem, planè negaret eum eſſe hominem: Bellarminus mirè ineptit, dicens particulam QVASI nihil derogare rei veritati, Iohannem enim I. cap. commate 14. dicere *vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre*: Inſcitè Ieſuita petit præſidium ſui erroris à verſione barbara & incongrua.

Nec verò poteſt Abſolutio eſſe forma Contritionis, neque enim dat eſſe Con-

tritioni, nec contritio per Abſolutionem definitur: vt nec confeſſio. Præcipue abſurdum eſt arbitrari Abſolutionem ſeu remiſſionem peccatorum, eſſe formam Satisfactionum, id eſt flagellationum ſeu peregrinationum. Hæc ſunt ægrorum ſomnia. Sanè natura contritionis, & Confeſſionis, & pœnarum ſatisfactoriarum in eo non eſt poſita quod peccatori ignoſcitur.

Prȩcipue euidens eſt Abſolutionem non eſſe formam Satisfactionis. Nam in Eccleſia Romana Satisfactiones fiũt poſt abſolutionem. An poteſt abſolutio eſſe forma rei quȩ nondum eſt, nec erit, niſi poſt aliquot annos? Immo quȩ perſȩpe nunquam fit? Nam multi ſibi indulgent, & ſatisfactionibus iniunctis perfunctoriè defunguntur. Sunt qui iugum hoc moleſtum excutiunt dicentes *Malo ſatisfacere in Purgatorio*. Nam Magiſtri noſtri, volunt flãmis Purgatorij ſuppleri quod deeſt huic Sacramento. Ita fit vt hoc Sacramentũ perficiatur poſt mortem. Noui Philoſophaſtri procuderunt voces inficetas, *quaſi materiæ*, & *quaſi formæ* quas

Ariſtoteles ignorauit & quæ abhorrent à ſenſu communi.

CAP. VII.

Sacerdotem non poſſe eſſe certum, verum Sacramenmentum à ſe adminiſtrari. Nec pœnitentem poſſe certo ſcire, ſe recepiſſe verum Sacramentum.

ADde ad cumulum abſurditatum, quod hòc Sacramentum, vt & cætera, pendet ab intẽtione Sacerdotis, quæ ſi abſit, cenſent aduerſarij Sacramentum eſſe irritum & nullum. Id definit Synodus Florentina in Inſtructione Armenorum: & Tridentina Seſſione VII. can. 11. Vnde ſequitur nẽminem de populo Eccleſiæ Romanæ certum eſſe ſe eſſe baptizatum, aut ſibi adminiſtratũ eſſe verum Sacramentum pœnitentiæ. Nam de intentione preſbyteri nemo poteſt eſſe certus. Hęc intentio piè pręſumitur, & probabili coniectura.

Immo nec preſbyter poteſt ſcire an ſit preſbyter, quia neſcit quæ fuerit intentio Epiſcopi qui eum ordinauit. Quod ſi E-

piſcopus qui eum ordinauit habuit intentionem, poteſt fieri vt ille Epiſcopus ſacerdotium acceperit ab alio Epiſcopo qui non habuerit intentionem. Sic aſcendendo per multos gradus creſcit & multiplicatur dubitatio. Inſignia ſunt verba Bellarmini & digna ſcribi vncialibus characteribus lib. 3. de Iuſtificatione cap. 8. §. Dicent. *Neque poteſt* (inquit) *quis eſſe certus certitudine fidei ſe percepiſſe verum Sacramentum, cum Sacramentum non conficiatur ſine intentione Miniſtri, & intentionem alterius nemo videre poſſit.* Nihil planius nec diſertius.

Nec deſunt iuſtæ cauſæ dubitandi de intentione ſacerdotum. Nunquã enim defuerunt Miniſtri profani, & aliud agentes, & in rem præſentem nullo modo intenti. Vidimus non paucos presbyteros qui eiurato Papiſmo, noſtram religionem amplexi, fatebãtur ſe per multos annos functos ſacerdotio in Eccleſia Romana reluctante conſcientia & animo planè auerſo à Miſſa quam celebrabant, & ab Abſolutione quam conferebant. Sub talibus presbyteris nulla (vt cẽſent) fiebat

conſecratio, & populus adorabat panem non conſecratum, & Abſolutio quam dabant erat inanis & irrita.

Neq; hic finis eſt abſurditatum. Non-ſi hæc Solis radio ſcriberentur, clarius demõſtraretur Sacerdotem neſcire an conferat verum Sacramentum, & dare veram & certam abſolutionem. Nam quæ pendent à conditione incerta non poſſunt eſſe certa. Neſcit Sacerdos an pœnitens tangatur vera contritione, nec an ſit vera & ſincera eius confeſſio: quæ ſi abſint, Sacramentum, dempta materia, non modo eſt irritum & inutile, ſed & nullum. Neſcit ſacerdos an peccator impleturus ſit indictã ſatisfactionem. Neſcit an Abſolutio quã dat valida ſit, quippe qui neſcit an peccator habeat ſeriam pœnitentiam: ſine qua tamen nulla eſt abſolutio nec remiſſio peccati. Immo ipſe neſcit an ſit ſacerdos, vt pote dubius de intentione ordinatoris ſui. Quo tandem modo poſſet ſacerdos pronuntiare ſententiam ſub tot conditionibus incertis, & ſibi ignotis? Exibilandus eſſet iudex qui pronuntiaret ſententias condi-

tionales, quibus interſerat has voces SI aut DVMMODO dicendo *Hunc ſontem addico ſuſpendio ſi eſt homicida. Hunc abſoluo ſi eſt inoncens. An vero ſit innocens ego neſcio.*

Quid quod Papa ſuis Indulgentijs, ſæpe reſcindit hoc Sacramentum, dans Indulgentias per quas peccator neceſſitate ſatisfaciendi liberatur? Non igitur arbitratur Satisfactionem eſſe partem neceſſariam huius Sacramenti. Enimuero cum verba illa *Facite fructus dignos pœnitentiæ, Matt.* 3. ſint Dei mandatum cui omnes peccatores ſine exceptione ſunt obnoxij, Papa tamen ſibi arrogat poteſtatem liberandi homines ab obedientia huius mandati. Neque id obſcurè fert Bellarminus, cuius verba hæc ſunt l.4. de Pœnitentia. cap. 13. §. *Reſpondeo. Indulgentiæ faciunt vt pro pœnis quæ nobis per Indulgentiam condonantur, non teneamur præcepto de faciendis dignis pœnitentiæ fructibus.*

Idem Ieſuita ibidem §. *Altera*, dicit eum qui planè non ſatisfacit in hac vita non obligari nouo peccato, quia vult ſa-

tisfacere in Purgatorio. Aſtutè. Nam ſi Parochus ad ſatisfactionem indixit peccatori abſtinentiā vini in vnum annum, aut plures, nemo eſt tam ſtolidus vt putet leuius eſſe torreri in flamma per multa ſęcula quam abſtemium eſſe per vnum annum aut alterum. Sed vir bene nummatus, ſibi ſpondet facilem liberationem ex Purgatorio, per Miſſas emptas & amicorum ſuperſtitum ſuffragia, aut per Papæ indulgentias, per quæ omnia clerus rem facit, & dignitas Papæ augetur.

Nam Papa non tantum ſoluit viuos, ſed etiam ſoluit mortuos. Soluit eos quos non ligauit. Fungitur munere Paſtoris erga animas quæ non ſunt de ſuo grege. Soluit ſub terris quia Chriſtus dixit *Quicquid ligaueritis in terris*, Matt. 18.

CAP. VIII.

Pontificiorum ſuper partibus huius Sacramenti diſcordia.

DIfficile eſt credere hominibus qui ipſi ſibi non credunt: qui orſa à ſe detexunt, & inter ſe pugnantes, ſe con-

tradictionibus implicant. * Scotus Doctor ſubtilis, Okam, Maior, Almain, in ſola Abſolutione conſtituunt eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ. Quibus ſe adiunxit Cardinalis Perronius. Hi nihil reliquerunt huic Sacramento ob quod poſſit Sacramentum pœnitentiæ appellari. Nam Abſolutio non eſt pœnitentia.

At Durãdus in 4. Sent. Diſt. 16. quęſt. 1. cenſet materiam Sacramenti pœnitentiæ ſola Confeſſioue conſtare, quia Contritio non eſt viſibilis. Satisfactio verò quæ fit voto, at non re, eſt ſufficiens, & ſæpe peragitur clam & inſcio Sacerdote: ſæpe etiam non fit.

Pontificij plerique dicunt hæc tria Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem eſſe materiam huius Sacramenti, Synodus verò Tridentina dicit eſſe *quaſi materiam*. Bellarminus † dicit Abſolutionẽ eſſe *quaſi formam*, aliquando tamen dicit eſſe formam. Sunt qui materiam huius Sacramenti cenſent eſſe peccata aut peccatorem. Bellar. lib. 1. de

* Scotus in 4 Sent. Diſt. 14. quæſt 4. Et Diſt. 16. quæſt. 1. Bellar lib. 1. de pœnit. c. 15. §. Quæſtio. † Lib. 1. de pœnit. c. 15. §. Tertia.

Pœnit. cap. 15. §. *Igitur*, ait peccata & peccatorem eſſe materiam remotam. Abſurdè, nam perſona, & actio perſonæ non poſſunt eſſe vna eademque materia. Ipſe Thomas Angelicus Doctor in lib. 4. Sententiarum Diſt. 14. Quæſt. 1. aliter loquitur de natura huius Sacramẽti quàm tertia parte Summæ quæſt. 86. Et Bellarminus ait eum mutaſſe ſententiam lib. 1. de Pœnit. cap. 16. §. *Deinde*. Denique ita hæſitanter & anxiè loquuntur, vt nihil hactenus inuenire potuerint quod proprie & verè ſit materia aut forma huius Sacramenti.

CAP. IX.

Quinam veterum ſcripſerint de Pœnitentia: & qualis fuerit Eccleſiæ veteris Pœnitentia.

DE pœnitentia Tertullianus & Ambroſius ſcripſerũt libros peculiares. De pœnitentia ſcripſit Cyprianus epiſtolam ad Antonianum: Et tractatum de Lapſis. De eadem habes Chryſoſtomi Homilias decem. Et multa habemus apud veteres de pœnitentia publica quæ

Exomologeſis dicebatur. Pręcipue apud Sozomenum lib. 7. c. 16. Tum Concilia antiqua perſperſa ſunt Canonibus Pœnitentialibus, quibus præſcribuntur gradus & tempus pœnitentiæ publicæ: quæ quidem ſemel tantum fiebat, eamque veteres vocant ſecundam poſt Baptiſmũ, naufragij tabulam. In ea pœnitentes ſedebant loco ſeparato à fidelibus, & diſtinguebantur pulla veſte, detonſo capite (exceptis mulieribus) cilicio, pædore & illuuie corporis. Addebantur fletus, & ſuſpiria, & (vt loquitur Tertullianus) caris Dei adgeniculatio.

At Sacramenti pœnitentiæ nulla apud veteres mentio. Habemus Ambroſij libros ſex de Sacramentis, in quibus nulla fit exomologeſeos aut publicæ pœnitentiæ mentio. Nec poſt illam publicam pœnitentiam Epiſcopus dicebat peccatori, *Abſoluo te à tuis peccatis*, Aut *remitto tibi tua peccata*. Sed pœnitens reconciliabatur Eccleſiæ, impoſitione manuum Epiſcopi & precatione. Pœnæ vero quas dixi antecedebant reconciliationem. Nec poſt iſtam reconciliationem Epiſ-

copus

copus irrogabat pœnitenti pœnas, flagra, peregrinationes, abſtinentiam à certis cibis, iteratam pronuntiationem ſeptem pſalmorum pœnitentialium, mulctas pecuniarias. Nec ſacerdos accipiebat à pœnitente ſtipem in mercedem abſolutionis. Nec docebatur populus, ſi quid deſideraretur in operibus pœnalibus indictis, hunc defectum ſupplendum in Purgatorij flammis. In quibus tamen animæ ſubleuarentur Miſſis & Papalibus Indulgentijs. De his apud Veteres altum ſilentium. Inuenta hæc ſunt in nouiſſimorum ſæculorum fæce, quibus religio Chriſtiana degenerauit in fœdam nundinationem, duramque Tyrannidem. Veteres vero Canones pœnitentiales Eccleſia Romana poſterioris æui abrogauit, nouamque Pœnitentiæ formam inuexit.

Multa quidem Theologi Romanenſes afferunt ex veteribus ad præſidium noui huius Sacramenti. Congerunt loca in quibus veteres hortantur ad pœnitentiam: & agunt de pœnitentia vt de re perutili & neceſſaria. Sed id faciunt aduerſarij fide qua ſolent, id eſt, mala.

Nam loca illa quæ afferrunt aut ſunt cohortationes ad vitæ emendationem. Aut agunt de pœnitentia publica, quæ hodie exoleuit in Eccleſia Romana: & de impletione Canonum Pœnitentialium quos Eccleſia Romana poſterioris æui abrogauit.

Olim ſi pœnitens ante peractum tempus publicæ pœnitentiæ in morbum incidiſſet, recreatus ex morbo reconciliabatur Eccleſiæ per impoſitionem manuum Epiſcopi. Indicio manifeſto Eccleſiam illius æui credidiſſe Deum iſti homini iam remiſiſſe peccata, quamuis pœnitentiam publicam non impleuiſſet. Non enim admiſiſſet ad pacem Eccleſiæ, quem credidiſſet non habere pacem cum Deo. Id habes Concilij Carthaginienſis quarti Can. 76. & 78.

Nouatiani puritatis accuratæ affectatores, vnde & Cathari dicti, negabant pœnitentiam publicam lapſis in idololatriam & alia crimina grauiora. Non quod de eorum ſalute deſperarent, ſed dicebant hanc curam Deo relinquendam. Hoc nomine meritò relati ſunt in

numerum hęreticorum. Hanc hæreſim refellit & meritò exagitat Ambroſius libris de Pœnitentia.

Quia autem iugum pœnitentiæ publicæ graue erat, & eos qui erant lautioris fortunæ pudebat traduci publicè, & per aliquot annos ſedere in Eccleſia pullatos, ſeorſim à fidelibus, ad eorum ſubleuationem inuecta eſt conſuetudo, vt in maioribus Eccleſijs eſſet presbyter pœnitentiarius, qui arcanas confeſſiones audiret, & rem ad Epiſcopum referret, qui iudicaret an crimen tale eſſet, quod deberet plecti publica pœnitentia. Durauitque hic mos vſque ad Nectarium Prędulem Conſtantinopolitanum, qui circa annum Chriſti 388. presbyterum pœnitentiarium toto Oriente aboleuit, inconſulto Epiſcopo Romano: non enim erat ei ſubiectus. Nec Epiſcopus Romanus ſe inſuper habitum & ſpretum fuiſſe conqueſtus eſt.

Quàm exilis autem & exiguus eſſet vſus iſtius presbyteri pœnitentiarij hinc liquet, quod in tanta vrbe, qualis fuit Conſtantinopolis, quæ omnes vrbes Imperij

Romani magnitudine ſuperabat, vnicus erat preſbyter pœnitentiarius, ad quem non potuit deferri cognitio peccatorum tam numeroſæ multitudinis. Eum verò dixiſſe peccatoribus *Abſoluo te à tuis peccatis*, & eis impoſuiſſe pœnas ſatisfactorias, aduerſarij non auſint affirmare. De Nectario, & cauſis abrogationis preſbyteri pœnitentiarij legendus Socrates lib. 5. Hiſtoriæ cap. 19. Et Sozomenus lib. 7. cap. 16.

LIBER SECVNDVS DE CONTRITIONE.

CAPVT I.

Quid ſit Contritio. Eius natura & neceſſitas: An ſit pars Sacramenti. An reddat Abſolutionem inutilem.

EGIMVS de Sacramento Pœnitentiæ in genere: deinceps de ſingulis eius partibus agendum eſt. Prima eius pars eſt Contritio. Contritio eſt dolor animi ex Dei offenſa. Qui dolor Deo gratus eſt ſi ei ſit adiunctum propoſitum melioris vitę: & conuerſionis ad meliorē frugem. Hunc dolorem Apoſtolus dicit eſſe dolorem ſecundū Deum: qui dolor efficit reſipiſcentiam

ad ſalutem, cuius nunquam pœnitet. 2. Cor. 7. 10.

Concilio Lateranenſi vltimo ſubiecta eſt Bulla Leonis X. in qua habetur longa ſeries errorum Lutheri, ob quos diro Anathemate confoſſus eſt. Inter quos hic vnus eſt, quod dixerit *optimam pœnitentiam eſſe nouam vitam.* Quæ tamen eſt ipſius Chriſti ſententia, ſic alloquentis Angelum Eccleſiæ Epheſinæ. *Age pœnitentiam, & fac tua priora opera.* Apoc. 2. 5. Mens Lutheri non fuit ſufficere nouam vitam abſq; dolore ob peccata anteacta: ſed in pœnitentia hoc eſſe præcipuum vt peccator ad nouam vitam conuertatur.

Piæ contritionis frequens in Scripturis mentio, *Cor confractum & contritum, ô Deus non deſpicis*, Pſ. 51. Et Eſaiæ 66. *Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & contritum ſpiritu?*

Bellarminus l. 1. de Pœnitentia cap. 11 §. *Porrò*, duas facit ſpecies contritionis vnã internam, alteram externam. Sanè cum omnis contritio cordis, ſit motus & affectus animi intrinſecus, non video quo modo ſigna externa contritionis in-

ternæ poſſint contritio appellari.

Circa hanc contritionem multifariam peccatur ab Eccleſia Romana. Nam cum definiat Sacramentum eſſe ſignum viſibile, contritionem tamen quæ eſt inuiſibilis, facit partem Sacramẽti. Perabſurdum eſt velle vt motus animi & affectus internus ſit ſignum viſibile, aut pars iſtius ſigni. Pari ratione fides, & quotquot ſunt virtutes Chriſtianæ poſſent Sacramenta & ſigna ſacra appellari.

Eadem Eccleſia definit Sacramentum eſſe *ſignum viſibile gratiæ inuiſibilis.* At contritio non poteſt eſſe ſignum viſibile cum ſit inuiſibilis. Nec dolor ex ſenſu morbi poteſt eſſe ſignum ſanationis. An poſſet contritio eſſe ſignum gratiæ, cum illa ipſa contritione peccator agnoſcat ſe eſſe indignum gratia? Catecheſis Tridentina, cap. de Pœnitentię Sacramento hæc habet. *Externa* (inquit) *pœnitentia ea eſt in qua Sacramenti ratio conſiſtit.* Negat eam conſiſtere in interno animi dolore.

Cum igitur Contritio peccatoris res ſit quæ non poteſt videri à ſacerdote.

Nec ſacerdos vllo certo indicio poſſit cognoſcere an ſit ſeria an vero ſimulata, ſed eam probabili coniectura pręſumat, hinc conficitur hoc Sacramentum eſſe coniecturale, & Sacerdotem neſcire an vera ſit an ſimulata contritio & confeſſio. Super qua tamen Sacerdos pronuntiat certam & abſolutam ſententiam dicens, *Abſoluo te à tuis peccatis*.

Quid quod Synodus Tridentina Seſſ. XIV. cap. 4. ea dicit de Contritione quæ reddunt Abſolutionem irritam & ſuperuacuam? Dicit enim contritionem quæ eſt cũ perfecta charitate, hominem Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur. Et Bellar. lib. 2. de Pœnitentia cap. 1. dicit *contritionem charitate formatam, reconciliare hominem Deo, antequam Sacramentum actu percipiatur*. Coſterus Ieſuita Enchiridio. *Hac contritione, ſi perfecta ſit & cum Dei charitate coniuncta, dubium non eſt quin etiam ante ſacerdotis abſolutionem peccata condonentur, dummodo votum confitendi non deſit*. Inde fit ſuperfluam eſſe abſolutionem quę datur homini iam reconciliato, &

cui Deus remiſit peccata.

Non effugiunt dicendo Abſolutionem quæ datur à Deo ante Sacramenti perceptionem, debere eſſe cum voto confitendi peccata Sacerdoti & petendi ab eo remiſſionem peccatorum. Ridiculũ enim eſt votum quo quis cõſtituit petere quod iam habet, & petere ab homine peccatore quod iam habet à Deo iuſto & clemente. Nempe timuerunt viri prudẽtes ne quid ſibi deperiret lucri, & ne laici cum Deo reconciliati, ad perceptionem huius Sacramenti, per quod fiunt iudices in Dei cauſa, non aſtringerentur.

Pari aſtu docent Contritione* quidem aboleri culpam, at non adimi obligationem ad pœnam, id eſt ad pœnas Satisfactorias quæ iniunguntur à Confeſſarijs, vnde ipſis magnum lucrum, & per quas obtinent regnum in corpora & fortunas pœnitentium. Sic Deo inuritur labes iniuſtitiæ, vt pote qui irrogat pœnas ſatisfactorias ſine culpa.

* Nauarrus Manuelis cap. 1. De contritione.

CAP. II.

An Contritio ſit cauſa remiſſionis peccatorum.

BEllarminus lib.2.de Pœnitentia,prolixè diſſerit de Contritione. Capitis duodecimi Titulus hic eſt, *Contritionem eſſe cauſam remiſſionis peccatorum*, & dicit Catholicos id docere cõmuni conſenſu.

Nos quidem agnoſcimus Deum non remittere peccata impœnitentibus. Scimus ſine contritione nullam eſſe remiſſionem. Sed illud idem dici poteſt de fide & amore Dei, quæ tamen non ſunt partes Sacramenti. Aliud eſt cauſa aliud conditio requiſita. Locus aptus ad ędificandum eſt conditio quæ requiritur ad ędificationem, non tamen eſt cauſa ędificij.

Enimuero cum contritio ſit dolor & ægitudo animi ex ſenſu peccati, nulla ratio patitur vt dolor ex ſenſu morbi ſit cauſa ſanationis. Alioqui peccator deberet ſibi ipſi remiſſionem, non Deo. Dolere quod ex crapula & libidine grãde æs alie-

num conflaueris, non poteſt eſſe cauſa remiſſionis debiti. Idem Deus qui ignoſcit peccatis, dat quoque motus & diſpoſitiones ad pœnitentiam. Iuſtificatio de qua diſſerit Apoſtolus nihil aliud eſt quàm remiſſio peccatorum. At idem Apoſtolus dicit nos iuſtificari gratis, Rom. 3. 23. An vllum eſt noſtrum meritum quando accipimus à Deo gratiam indebitam?

Adde quod Scriptura docet pœnitentiam eſſe Dei donum. Act.5.33. & ſecunda ad Timotheum c. 2. 25. Inde eſt quod Ieremias Threnorum cap. vltimo dicit Deo, *Conuerte nos & conuertemur.* Cum ergo vera Contritio ſit effectus Spiritus ſancti, ſi quod eſſet meritum noſtrę Contritionis, id deberet adſcribi Spiritui ſancto, eique remuneratio deberetur. Faſtuoſa eſt humilitas quæ ſibi perſuadet ſe demiſſione animi Deũ facere debitorem.

Sola Dei clementia, & gratia eius in Chriſto cauſa eſt remiſſionis peccatorum. Contritio noſtra non eſt λύτρον, ſeu pretium noſtrę redemptionis. *Chriſtus ſuo ſanguine lauit noſtra peccata*, Apoc. 1. 8.

Deus quidem ignouit Niniuitis con-

tritis: at non ex merito contritionis: ipſe enim eis indidit hanc contritionem. Idem dicimus de promiſſione qua Deus Ezechielis cap. 18. pollicetur pœnitentibus remiſſionem.

Lucæ cap. 7 47. Chriſtus de muliere pœnitente dicit, peccata ei eſſe remiſſa, quia dilexit multùm. Sed illud QVIA non eſt cauſa cur res ſit, ſed cauſa cur cognoſcatur. Non eſt cauſa conſequentis, ſed cauſa conſequentiæ, qualis eſt deductio concluſionis ex præmiſſis. Sic dicimus, ibi eſt ignis quia eſt fumus. Sic ancilla dicebat Petro, tu es Galilęus quia ſermo tuus te prodit.

Eſt ergo pia & veriſſima Gloſſatoris ſententia in primum Canonem primæ Diſtinctionis de Pœnitentia. *Dic quod nec cordis contritione, nec oris confeſſione peccata remittuntur, ſed tantum gratia Dei.* Quem hoc nomine Melchior Canus increpat Tractatu de Pœnitentia Parte V. §. Ad argumentum.

Ipſe Bellarminus lib. 2. de Pœnitentia cap. 12. §. *Theologi*, fatetur Capreolum & Dominicum à Soto ſenſiſſe actum pœ-

nitentiæ eſſe diſpoſitionem ad remiſſionem peccatorum, ſed non eſſe meritum, neque ex condigno, neque ex congruo.

Ipſi Bellarmino vel imprudenti, vel inuito veritas excidit. Nam lib. 1. de Pœnitentia cap. 6. §. *Septimò* hęc ait, *Concilium Tridentinum non dixit Contritionem eſſe opus meritorium remiſſionis peccatorum, ſed contra potius.* At idem Ieſuita ſui immemor, cap. 12. libri ſecundi, ſummâ contentione conatur probare Contritionem eſſe opus meritorium, quod meretur remiſſionem peccatorum.

Inuenientur quidem loca Patrum, quę dicunt nos per pœnitentiam mereri remiſſionem peccatorum: Sed *mereri* apud veteres, nihil aliud eſt quam *conſequi* ſeu adipiſci aut poſſidere. Hieronymus epiſtola ad Celantiam, dicit adoleſcentem interrogaſſe Chriſtum quid faceret vt mereretur vitam ęternam. Luc 18. 18. At in textu Græco habetur κληρονομήσω, vulgata vertit *poſſidebo.* Et aduerſus Heluidium, *Ioſeph pater Domini meruit appellari.* Et in Michæę cap 1. *Loca quæ Deum hoſpitem habere meruerunt.* Auguſtinus de

Geneſi ad literam l.10. cap. 18. *puluis meruit diuinitus animari.* Et cap. 23. *Parua ætas prima pro Chriſto meruit ſanguinem fundere.* Sexcenta eiuſmodi poſſent afferri. Et hęc quidem Bellarminus, vir pollens eruditione, non ignorauit, ſed Patrum teſtimonijs pro more, fraudulenter abutitur.

CAP. III.

Pontificios de Contritione ea dicere quæ conſcientias inextricabili anxietate implicant. Quid ſit Attritio.

DE eadem Contritione aduerſarij multa dicunt quæ conſcientias cruciant, & inextricabili terrore confundũt. Dicunt Contritionem, quæ pars eſt Sacramenti, debere eſſe perfectam. Verba ſunt Bellarmini l. 2. de Pœnitentia, c.10. §. *Debent. Debent aduerſarij velint nolint admittere ſine Contritione perfecta & quæ toto corde ſit non remitti peccata.* Hic verò peccator ſe excutiens & ſuam conſcientiam explorans dicet. Væ mihi! nam ſi abſque perfecta pœnitentia non poſſum

conſequi remiſſionem peccatorum: malè mecum agetur, qui longe abſum à perfecta pœnitentia. Quo indicio potero cognoſcere me habere perfectam contritionem & pœnitentiam? Cum malæ cupiditates ſæpe recurrant, & me retrahant ad voluptas relictas & iniuſta compendia? & memoria iniuriarum acceptarum me ſubinde pungat ſtimulis iracundiæ?

Geminatur inde cruciatus, quod Doctores ſtatuunt neminem certũ eſſe poſſe an habeat pœnitentiam qualis requiritur ad percipiendum hoc Sacramentum. Id docet Nauarr. Manual. c. de Cõtrit. §. 26.

Hic tamen non ſibi conſtant aduerſarij. Nam qui volunt contritionem perfectã afferri ad hoc Sacramentum, iidem tamen ſubleſtam quandam & imperfectam contritionem admittunt quæ à Synodo Trid. Seſſ. XIV. cap. 4. & à Doctoribus *Attritio* appellatur. Attritionem dicunt eſſe dolorem ob peccatum commiſſum, cum propoſito abſtinendi à peccato in poſterum, qui dolor proficiſcatur non ex Dei amore, ſed ex metu pœnæ.

Hanc attritionem Synodus Tridentina

Seſſ.XIV.cap.4. cenſet eſſe donum Dei, nondum quidem inhabitantis cor hominis, ſed tantum mouentis. Cenſentque aduerſarij vtiliter percipi hoc Sacramentum, cùm hac ſola Attritione, quamuis deſit vera Contritio: quia vi verborum Sacramenti Attritus fit Contritus, & in nouam creaturam immutatur. Coſteri Ieſuitæ verba hæc ſunt Enchiridio Cap. de Contritione. *Diuino beneficio in Eccleſia conceſſum eſt meritis Chriſti, vt vi Sacramenti is etiam obtineat peccatorum veniam, qui Sacramenti ſit particeps ſola attritione, hoc eſt dolore & peccatorum deteſtatione, quæ SINE CHARITATE Dei vel ex metu gehennæ ſuſcipitur.* Cauſam autem affert, *quia ſimul atque pœnitens peccata ſua Sacerdoti confeſſus abſolutionis ſententiam accepit, diuinorum illorum verborum virtute repentè mutatus perfunditur Dei gratia & charitate: fitque (vt aiunt) ex attrito contritus.*

Ad mirificæ iſtius doctrinę confirmationem nihil affert Coſterus ex Dei verbo quod Sacris Scripturis continetur. Hoc dogma hauſtum eſt ex verbo non

ſcripto. Idcirco prudenter inſerſit hanc parentheſim VT AIVNT. Non potuit dicere, *vt dicit Scriptura*, ſed agnoſcit ſe id habere ex trita & recepta in Eccleſia Romana opinione.

CAP. IIII.

Refellitur hæc doctrina.

AB hac doctrina abſumus vt qui maximè. Certum enim eſt nullum animi affectum in ſalutis negotio poſſe eſſe Deo gratum qui careat Dei amore, & ab amore Dei non proficiſcatur. Timor ſeruilis qui à ſolo metu pœnæ naſcitur non conuenit filijs Dei, & repugnat Spiritui adoptionis. Quiſquis ſola formidine pœnæ agitur ad qualecunque obſequium Deo ſeruit inuitus, & damnat ſuas ipſius actiones. Nam ſi abeſſet metus pœnæ rueret præceps in ſcelera, & fibulam laxaret intemperātiæ; vſque adeo indignus mercede vt ne quidem dignus ſit venia. Deus clementer cum eo agit ſi ignoſcat eius obedientiæ. Denique hæc

pœnitentia talis eſt vt de ea agenda ſit pœnitentia.

Fatemur quidem terrorem illum ſeruilem inter initia poſſe eſſe vtilem, & Deum ſæpe vti minis & pœnis ad reuocãdos homines à peccato, immo & ipſos pios & electos; quãdo ſegnitia ipſis obrepit & fiunt languidiores ad bona opera. Sed niſi ad metum pœnæ accedat Dei amor, & ſeruilis metus cedat loco, vt ei ſuccedat obedientia voluntaria ex Dei amore, certum eſt talem metum expertem amoris Dei non poſſe eſſe Deo gratum.

Quod verò Synodus Trid. dicit hanc Attritionem eſſe effectum Spiritus ſancti nondum inhabitantis cor hominis, ſed tantum mouentis, nunquam apud prudentes fidem inueniet. Nam Spiritus ſanctus neminem mouet quin in eo habitet. Figmentum eſt audax, velle vt Spiritus ſanctus aliquem moueat quem non ſanctificet, & ſit in Attritis agens extrinſecum, nec moueat eos motu intrinſeco. Ita fiet vt Antonius extrinſecus moueatur à Spiritu ſancto, intrinſecus vero mo-

neatur à ſpiritu maligno.

Quod vero Doctores dicunt vi Sacramenti pœnitentiæ & verborum quibus Sacerdos dicit *Abſoluo te à tuis peccatis*, attritum fieri contritum, & renouari in nouam creaturam refellitur experimento. Plurimi enim (fatētibus aduerſarijs) poſt Abſolutionem Sacerdotalem nihilo fiunt meliores, & ad eadem ſcelera relabuntur: Hęc eſt querela Auguſtini epiſt. 54. ad Macedonium. *In tantum* (inquit) *hominum quorundam aliquando progreditur iniquitas, vt etiam poſt actam pœnitentiam, poſt actam reconciliationem, vel ſimilia vel grauiora committant.* An Sacerdos non regeneratus, daret ſpiritum regerantem quem ipſe non habet? An verba Sacerdotis dicentis *Abſoluo te à tuis peccatis*, habent vim immutandi cor hominis, & efficiendi vt de improbo fiat probus, & de hypocrita verus fidelis? Ne Apoſtoli quidem habuerūt hanc poteſtatem. Nec Scriptura vllibi dat hanc poteſtatem Paſtoribus Eccleſiæ. An vis Spiritus ſancti neceſſariò alligata eſt verbis Sacerdotis iudicantis de re ignota, & remittentis

peccata homini cuius ignorat pœnitentiam, & qui Deum non amat, ſed agitur tantùm metu pœnæ?

Hic verò operę pretium eſſet noſſe an hęc attritio deſtituta Dei amore & vera charitate ſit pars Sacramenti pœnitentię. Sanè cum hæc attritio deſtituta Dei amore ſit peccatum, nemo ſobrius aut compos mentis dixerit, peccatum eſſe partem Sacramenti. At ſi non eſt pars Sacramenti, dabitur Sacramentum mutilum & mancum, & carens Contritione quæ cenſetur pars prima Sacramenti. Vndique anguſtiæ.

Cum autem contritio ſit affectus animi quem peccator debet domo afferre in Eccleſiam, ſtatuendum erit hoc Sacramentum debere inchoari domi inſcio Sacerdote. Quam Contritionem ſi peccator habuit per pluſculos dies aut menſes, multũ teretur tẽporis in perceptione huius Sacramenti: & peccator incipiet ſibi ipſi adminiſtrare hoc Sacramentum, antequam veniat ad Sacerdotem vt ab eo petat remiſſionem peccatorum.

CAP. V.

De contritione ob peccata quæ dicuntur venalia. Expenditur diſtinctio inter peccata mortalia & venialia.

MAgnam eſſe peccatorum inæqualitem, & alia aliis eſſe longè grauiora res eſt extra controuerſiam. Hæc fuit Stoicorum inſania, docentium peccata omnia eſſe æqualia. Quam ſententiam Cicero tuetur Paradoxo tertio. Sed controuerſia inter nos & Pontificios eſt an de quouis peccato neceſſe ſit conteri. Cenſent enim aduerſarij non eſſe neceſſe habere contritionem de leuibus peccatis, quæ vulgò venialia appellantur, ſed tantum de mortalibus.

Verba hæc ſunt Toleti Cardinalis l. 3. Inſtructionis Sacerdotalis c. 5. §. 1. *Non eſt neceſſe habere contritionem peccatorum venialium: hæc enim diximus ſine contritione remitti poſſe.* Concinit Synodus Trid. Seſſ. XIV. cap. 7. Hoc pacto relinquitur peccatori iudicium diſcernendi an peccauerit venialiter an mortaliter.

Sed ad ſubleuandam laicorum ignorantiam Eccleſia Romana definiuit quæ & quot ſint peccata mortalia. Sunt autem ſeptem. Superbia, Auaritia, Inuidia, Ira, Accidia (ſic vocant ſupinam negligentiam, à Græco ἀκηδία) Gula, Luxuria. Hęreſim non retulit inter peccata mortalia, nec Idololatriam, nec Atheiſmum, nec mendacium, nec maledicentiam, de qua Paulus 1. Corinth. cap. 6. 20. dicit maledicos non poſſeſſuros hęreditate regnum cœlorum. Tum vocare fratrem fatuum crimen eſt dignum plecti igne gehennæ, Chriſto iudice Matt. 5. 22. Quod tamen Eccleſia Romana, non refert inter peccata mortalia. Tum concupiſcere alienam vxorem, modo ne adſit plenus conſenſus, & rata voluntas Synodus Trid. Seſſ. V. & Romana Eccleſia cenſet non modo eſſe rem leuem, ſed ne quidem eſſe verè & propriè peccatum, quamuis ſit res Lege Dei vetita, & ab Apoſtolo Paulo peccatum appelletur.

Quod ſi roges Pontificios quibus modis poſſit expiari peccatum veniale abſq; contritione, & confeſſione & abſolutio-

ne Sacramentali, reſpondebunt id poſſe fieri tunſione pectoris, aſperſione aquæ luſtralis, recitatione aliquot *Aue* & *Pater* pro numero granorum reſtis precatoriæ. Quæ tamen ſi fiant abſque contritione, nihil aliud ſunt quam luſus,& hypocriſis. Sed & volunt peccata venialia puniri igne purgatorio: quæ quidem ſatisfactio eſt ſæuiſſima.

Id verò mirum quod audent dicere peccata eſſe leuia pro quibus Chriſtus mortuus eſt. An enim auſint negare Chriſtũ pro omnibus noſtris peccatis eſſe mortuum? Nonne lex Dei dicit, *Maledictus qui non permanſerit in omnibus verbis huius legis,vt ea impleat?* Certum eſt autem eum qui commiſit peccata quæ vocantur venialia; non impleuiſſe legem.

At quàm intolerandum eſt quod homines peccatores, audent Deo figere leges, & definire qua pœna debeat punire vnum quodque peccatum: vel quæ peccata non ſint tanti, vt Deus in ea debeat animaduertere? quaſi ſontes dicerent Iudici, cenſemus & iudicamus,hęc peccata digna eſſe capitis ſupplico, alia vero di-

gna eſſe venia.

His adde quod diſtinctionis iſtius membra coincidunt. Nam eadem illa peccata quæ Pontificij vocant mortalia in reſipiſcente fiunt venialia. Viciſſim verò quæ putantur leuia, per impœnitentiam fiunt grauiſſima, & callum obducunt conſuetudine.

Peſſimum eſt quod hęc diſtinctio dum peccata extenuat, ſoporat conſcientias, vt peccatis indormiant, quaſi in re leuicula, & quæ non tanti ſit, vt Deus propter eam debeat commoueri, & quæ melius diſſimulatur quam punitur. Cum contra ob id ipſum vitanda ſint minora peccata vt à maioribus facilè abſtineatur. Non facilè ad grauiora progredietur, qui vel minima pertimeſcet.

Hic verò neceſſe eſt vt peccatores animi pendeant, & ancipitibus iudiciis diſtrahantur, vt pote neſcij an peccauerint mortaliter an venialiter.

Tum nemo neſcit, quam facilè homines ſibi blandiantur, & ſua peccata extenuent. Fur obtendit ſuam paupertatem. Qui iuramētis quaſi floſculis ornat ſuum

ſermonem & commaſculat, obtendit conſuetudinem. Peculator dicit ſe interuertiſſe regias pecunias nullo Regis damno, quia Regis opes ſunt immenſæ. Et qui ponderando nummos aureos inſufflauit alteram lancem, putabit rem potius eſſe dignam riſu quam pœna. Amator peierans vſurpabit illud *Nam Deus ex alto periuria ridet amantum.* Denique peccator ſibi blandiens putabit non opus eſſe vt ob hæc conteratur, & per id ipſum peccabit mortaliter.

Id quoque quærendum eſt ab aduerſarijs qua pœna Deus puniat peccata venialia reproborum in inferno. An volunt Deum ipſis ignoſcere hęc peccata? At Chriſtus dicit homines reddituros rationem, vel de verbo otioſo. Nec Deus ignoſcit eis quos cruciat in æternum. Ergo hæc quoque peccata minora, cum grauioribus puniuntur morte ęterna. Ipſi Pontificij volunt peccata venialia plecti flammis Purgatorij. Quod ſi fit, non poteſt hic cruciatus venia appellari.

Per hęc non facimus peccata æqualia, quandoquidem inter ea peccata quę vo-

cantur mortalia, alia alijs ſunt grauiora. Et pœnæ damnatorum ſunt inæquales. Chriſto iudice, qui Matthæi cap. 11. dicit die iudicij mitius actum iri cum Sodomitis quam cum Capernaitis.

Tutiſſimum abſtinere, quantùm poſſumus, ab omnibus peccatis, etiam leuiſſimis, diſcrimina vero pœnarum Dei cognitioni, & iudicio, & clementiæ relinquere. Noſtra ſententia non eſt, fideles ob minima peccata ſalute excidere. Sed dicimus eos dignos eſſe qui ſalute excidant, ſi Deus ſtricto iure vellet cum eis agere: ob legis illam ſententiam *Maledictus qui non permanſerit, &c.* Sed hæc comminatio non adimit Deo poteſtatem ignoſcendi verè pœnitentibus, quos in Chriſto adoptauit.

Inuenietur quidem in ſcriptis Patrum diſtinctio inter peccata venialia & mortalia, ſed non eo ſenſu quo nunc vſurpatur. Non enim docent non neceſſe eſſe conteri de venialibus. Nec definiúnt numerum peccatorum mortalium. Nec Deo figunt leges, ſtatuendo quæ peccata debeat plectere morte & quibus largiri

veniam. His vocibus aliquando, ſed perrarò vtuntur, vt doceant grande eſſe inter peccata diſcrimen.

Sed & ſunt multa peccata de quibus meritò aduerſarij poſſunt dubitare an ſint venialia an mortalia, & an ſint pianda Contritione & Confeſſione.* Nauarrus Azpilcueta pœnitentiarius Papæ, Canoniſtarum & Caſuiſtarum facile princeps, multa eiuſmodi in Manuale ſuum congeſſit. Si pharmacopola formoſæ mulieris aluum clyſterio proluit. Si puella caput adoleſcentis excepit gremio ſub ſpecie inueſtigandi pediculos. Si fœmina ex ſubligaculi virilis aſpectu ſenſit ſe titillari aliqua cupiditate. Idem Nauarrus definit non licuiſſe Lazaro poſt reſurrectionem conſueſcere cum vxore, quia matrimonium non extenditur vltra mortem. Accurati penſiculatores conſcientiarũ de ſingulis cogitationibus & actionibus ferentes ſententiam, putant Deum debere ſe attemperare ipſorum iudicijs, cum ipſi inter ſe diſſentiant.

Eiuſdem Azpilcuetę hæc ſunt, † *Non*

*Cap.3.de Satisfact.§.Id quod. Et cap.3 §.24.& 25. † Man. cap.1. §.28.

eſt Dei præceptum, quod nos obliget ad contritionem habēdam bis de eodem peccato, quia Deus non iudicat bis in idipſum. Et, *Præceptum affirmatiuum de ſe conuertendo, non obligat ſub pœna noui peccati lethalis niſi in articulo neceſſitatis*, id eſt niſi in morte aut mortis diſcrimine.

Concinit Toletus Cardinalis Ieſuita Inſtruct. Sacerdotum lib.3.c.5.§.3 Quærit an homo ſtatim poſt peccatum teneatur de ipſo cōteri. Reſpōdet Cardinalis, *Probabilius dico cum alijs quod non tenetur ſtatim, etiam ſi recordetur ſæpius commiſſi peccati.* Melius Eccleſiaſticus c.5. cōmate 3. *Non tardes conuerti ad Dominum & ne differas de die in diem.* Qui diu diſtulit, diu noluit. Nulla eſt hora in qua non teneat eſſe vir bonus.

Idem Toletus* ibidem, *Contritio vna licet remiſſa poteſt delere quodcunque peccatum licet grauiſſimum. Nec homo tenetur magis conteri de vno peccato quam de alio.* At Dauid maiorem contritionem habuit de adulterio & homicidio, quā de mēdacio quo fefellit Achimelicū Sacerdotem. Maiori morbo maior debetur curatio.

*Lib.3.cap.5. §.4.

Ne autem contritio reddat Indulgẽtias Papæ ſuperuacuas addit Ieſuita, ***Contritio non aufert totam pœnam debitam peccato. Ob id ſunt Indulgentiæ,***

Coſteri Ieſuitæ oratio digna eſſet riſu, niſi plus haberet impietatis. Is Enchiridio cap. de Sacramento Pœnitẽtię p. 386. dicit in eo meliorem eſſe conditionem Eccleſiæ quam Synagogæ, quod ſub Veteri Teſtamento Contritio id eſt ſeria & ex amore Dei profecta pœnitentia requitebatur. At nunc ſufficit Attritio, id eſt pœnitentia non ex amore Dei profecta, ſed ex metu pœnæ. Capitalis ſanè oratio. Impurus Theologaſter cenſet melius agi cum Eccleſia Noui Teſtamenti, quàm cum veteri, quia olim à fidelibus Deus maiorem pietatem requirebat: at nunc ſeruili timori eſt parta impunitas, immo & merces propoſita. Ergo ſumus beatiores quia minus boni.

Hæc & alia plura Doctores venerandi de Contritione deblaterant. In quos quadrat illud Pſalmi 14. ***Contritio & infelicitas in vijs eorum.***

LIBER TERTIVS
DE CONFESSIONE.

CAPVT I.

Confeſſionis vtilitas & neceſſitas. Eius ſpecies.

PARS ſecūda huius Sacramenti fictitij eſt Confeſſio, ſic ſtatuentibus Concilijs Florentino & Tridentino. Quamuis Scotus & alij diſſentiant, vt probauimus.

Confeſſionem peccatorum Scriptura iubet & laudat. Prou. c. 28. 13. *Qui tranſgreſſiones ſuas confitetur & deſerit miſericordiam conſequetur.* Et Pſal. 32. *Dixi, confitebor tranſgreſſiones meas Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* Et Iohannes prioris Epiſtolæ cap. 1. *Si confitemur*

peccata noſtra, Deus fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & purget nos ab omni iniquitate.

Sententijs tam diſertis & ſanctis Bellarminus auſus eſt ſe opponere l. 3. de Pœnitentia cap. 4. §. *At ſolutio.* *Promiſſio* (inquit) *de remittendis peccatis ijs qui confitentur Deo ſua peccata non videtur vlla extare in diuinis literis.* Id factum ab eo per ignorantiam non eſt credibile. Vult Ieſuita remiſſionem peccatorum ijs ſolis eſſe promiſſam qui adeunt Sacerdotes vt ab eis remiſſionem accipiant, non verò ijs qui Deo directè confitentur ſua peccata.

Confeſſionis Deo gratæ quatuor omnino ſunt ſpecies. Prima & præcipua eſt quæ ſoli Deo fit, cui ſoli patent arcana cordium. Et qui ſolus ſcit an ſit vera, an ſimulata confeſſio. Et qui ſolus poteſt remittere peccata. Et qui ſolus eſt iudex animarum, eaſque habet in ſua poteſtate.

Sunt & Confeſſiones publicæ per quas peccator qui Eccleſiam turbauit ſcandalo, ſatisfacit Eccleſiæ. Quę confeſſiones probantur à Synodo Tridentina: earum

tamen vſus in Eccleſia Romana exoleuit.

Sunt etiam Confeſſiones priuatæ, per quas peccator deponit in ſinum ſui Paſtoris ægritudinem animi ſui ob culpam & Dei offenſam. Non quidem vt à Paſtore petat remiſſionem peccati, ſed vt ab eo expoſcat conſilium ſalutare & conſolationem.

Eſt & confeſſio qua fideles poſt mutuas offenſas, culpam inuicem agnoſcunt, & ſibi mutuò ſatisfaciunt. De qua confeſſione agit Iacobus cap. 5. commate 16. vt ſuo loco probabimus.

Confeſſionem quæ fit proximo approbat Gratianus Diſt. 6. de pœnitentia. can. *Qui vult. Tanta eſt* (inquit) *vis Confeſſionis, vt ſi deeſt Sacerdos confiteatur proximo.*

CAP. II.

De confeſſione Sacramentali, quæ nunc vſitata eſt in Eccleſia Romana. Et de Concilio Lateranenſi primo.

ECcleſia Romana commenta eſt nouum genus Confeſſionis, quę ſancita eſt à Synodo Lateranenſi ſub Innocētio III.

III. anno Chriſti 1215. Hęc lex habetur c. 21. Synodi in hęc verba. *Omnis vtriuſque* ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit omnia ſua peccata ſolus confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & iniunctam pœnitentiam ſtudeat proprijs viribus adimplere.*

Quid ſentiendum ſit de hac Synodo inde collige quòd capite tertio tribuitur Pontifici Romano poteſtas dandi & adimendi regna & principatus: & iubentur promiſcua cæde trucidari populi, quos Eccleſia Romana iudicat eſſe hęreticos. Eidem Concilio ſubiecta eſt Bulla Innocentij III. per quam militibus cruce ſignatis promittit in cœlo ſupereminētem gradum gloriæ. Illis verò qui non militabunt ſed alium pro ſe ſubſtituent ſuis ſumptibus, dat tantùm remiſſionem omnium peccatorum. Hoc beneficio oportuit eos eſſe cōtentos. At ſi quis hoc eius mandatum neglexiſſet, *ſciat* (inquit) *ſe ſuper hoc nobis in nouiſſimo diſtricti examinis die coram tremendo iudice reſponſuros.* Loquitur vt futurus accuſator aut aſſeſſor

* Vtriuſq; pro vtriuſuis, ne de hermaphroditis intelligatur.

iudicis, vltimo die iudicij.

Ioculare eſt & perabſurdum quod eadem veneranda Synodus cap. 50. gradus conſanguinitatis & affinitatis impedientes matrimonium extendit vſq; ad quartum gradum, quia in corpore humano quatuor ſunt humores & quatuor elementa. Ingenioſè & eleganter.

CAP. III.

Synodum Tridentinam plurima addidiſſe huic legi.

HAnc legem de Confeſſione ab hac Synodo ſancitam Synodus Tridentina confirmauit & auxit, Seſſ. XIV. Iubet enim cogitationes & concupiſcentias lege Dei vetitas reuelari Sacerdoti in Confeſſione: quam tamen concupiſcentiam eadem Synodus Seſſ. V. negat eſſe peccatum. Vult peccatorem confiteri rem quæ non eſt peccatum: & eius peti abſolutionem. Venialia tamen peccata cenſet non neceſſe eſſe confiteri. Dicit enim ea taceri poſſe, quia multis alijs remedijs expiari poſſunt. Inter quas expia-

tiones ponitur flamma Purgatorij.

Iubet inſuper confiteri omnes circunſtantias quæ mutant ſpeciem peccati. Tum ferit Anathemate negantes hanc confeſſionem eſſe iuris diuini, & neceſſariam ad ſalutem.

Aſſerit autem Sacerdotes in Ordinatione accepiſſe Spiritum ſanctum, cuius ordinationis ſit tanta vis, vt quamuis Sacerdotes ſint in peccato mortali, poſſint remittere peccata confitentibus. Cenſet enim Synodus hominem ſceleratum habere Spiritum ſanctum: & poſſe dare Spiritum ſanctum cum ipſe agatur ſpiritu reprobo, & ſacrilegum poſſe abſoluere furem, & adulterum poſſe remittere peccata ſcortatoribus. Et eum qui conſcius eſt peccatorum mortalium poſſe remittere peccata venialia.

Grauiſſimum eſt quod hęc Synodus definit Sacerdotes non tantùm eſſe præcones gratiæ, ſed etiam eſſe iudices habentes poteſtatem iuridicam remittendi peccata.

Vt huic legi pareatur, ſinguli de populo veniunt ad Parochos ſeu Curiones, &

genu flectunt coram Sacerdote ſedente, & ſe cruce ſignant, pronuntiantque hæc verba quæ habentur apud Nauarrum & Emanuelum Sa,& Gregorium de Valentia Ieſuitam & alios, *Confiteor Deo omnipotenti, & Beatæ ſemper Virgini, Sanctis Apoſtolis Petro & Paulo, & omnibus Sanctis & tibi pater, quia nimis peccaui cogitatione, verbo, &c.* Inde pœnitens tranſit ad enumerationem tacitam ſingulorum ſuorum peccatorum & circunſtantiarum, hęc inſuſurrans in aurem ſacerdotis. Hęc eſt confeſſio Sacramentalis: In qua quid deſideremus exponendum eſt.

CAP. IV.

Hanc Confeſſionem non eſſe Sacramentum: nec partem Sacramenti.

PRincipiò in eo error eſt euidēs, quod hęc Confeſſio dicitur eſſe pars Sacramenti. Nam hæc definitio Sacramenti hauſta à veteribus, recepta eſt in Eccleſia Romana, Sacramentum eſſe *ſignum viſibile gratiæ inuiſibilis.* At Confeſſio non

eſt ſignum viſibile, vtcunque Bellarminus dicat eſſe ſignum corporale. Eſt quidem ſignum ſenſibile, quia auditur. Sed pari ratione prædicatio Euangelij poſſet Sacramentum appellari. Debuerant confeſſiones dari ex ſcripto, vt eſſent ſignum viſibile.

Nec confeſſio eſt ſignum gratiæ, cum ſit ſignum & declaratio peccati. Confeſſio morbi non eſt ſignum ſanationis. Vna eademque confeſſio non poteſt eſſe ſignum peccati & gratiæ.

Tum ſigna diuinæ gratiæ debent eſſe certa & non fallacia. At ſæpe confeſſio eſt fallax & ſimulata. An mendacium poteſt eſſe pars Sacramẽti? An vero confeſſio ſit ſimulata aut imperfecta Sacerdos ignorat.

Oportet quoque verbum accedat ad elementum vt fiat Sacramentum. At Confeſſio non eſt elementum, vt nec Abſolutio. Abſolutio quæ additur confeſſioni, eſt additio verbi ad verbũ, ſed non eſt additio verbi ad elementum.

Adde quod Sacramenta debent adminiſtrari à Paſtore Eccleſiæ. At Confeſ-

ſio fit à peccatore pœnitente.

His de cauſis (vt veriſſimile eſt) * Cardinalis Perronius ſecutus Scotum & alios, auſus eſt ſe opponere Concilijs Florentino & Tridentino. Negat enim Confeſſionem eſſe partem Sacramenti pœnitentiæ, ſed dicit eſſe conditionem requiſitam. Quod etiam de fide & amore Dei dici poteſt. Tantus Præſul nihil reliquit huic Sacramento ob quod poſsit Sacramentum Pœnitentiæ appellari. Nam Abſolutio in qua ſola conſtituit hoc Sacramentum non eſt pœnitentia.

Idem Cardinalis ibidem, contra Conciliũ Tridentinum. negat Confeſsionem Sacramentalem eſſe neceſſariam ad ſalutem. Nec abs re. Hanc enim Confeſſionem Scriptura non iubet, nec in veteri Eccleſia vlla eius inueniuntur exempla fatente Bellarmino lib. 3. de Pœnitentia cap. 20. §. *Reſpondeo*, vbi loquens de tempore quo ſcripſit Ambroſius, *Reſpondeo* (inquit) *eo tempore nondum inſtitutam fuiſſe Confeſſionem Sacramentalem.* Quæ verba apprimè notanda ſunt, & nodum ſecant. Tantus Cardinalis, Romæ ſcri-

* Secunda obſer. c. 3. p. 644.

bens, ſub oculis Papæ fatetur Confeſsionem Sacramentalem non eſſe à Chriſto inſtitutam, & veteri Eccleſiæ Chriſtianę ignotam fuiſſe. Eam tamen vult eſſe iuris diuini, & neceſſariam ad ſalutem.

CAP. V.

Eccleſiam Romanam non credere Confeſſionem Sacramentalem eſſe neceſſariam ad ſalutem: vtcunque Synodus Tridentina aliter definiuerit.

PErronio neganti neceſsitatem Confeſſionis Sacramentalis, aſtipulantur Theologi Romanenſes, & praxis Eccleſiæ Romanæ id confirmat, & ipſa neceſſitas id euincit. Enimuero tam multis exceptionibus aduerſarij arctant neceſſitatem Confeſſionis, vt planè eam eneruent, & in fumum vertant.

Si quis (inquiunt) * occidit fratrem Confeſſarij, non tenetur ei confiteri hoc peccatum, ſed debet diſſimulare. Nec meretrix debet cōfiteri ſuas ſordes, quando probabiliter credit fore vt Sacerdotis concupiſcentia inde accendatur. Nam

* Tolet, lib. 3. Inſtit. Sacerd. cap. 7.

per fœminarum confeſſiones Sacerdotes diſcunt ad quas ſit futurus ipſis facilis acceſſus. Tùm* (vt cenſent Doctores) ſi peccator iudicauerit ex cõfeſſione euenturam aliquam iacturam, quamuis mediocrem, tale peccatum taceri poteſt. Nec oportet confiteri crimen quod reuelari non poteſt ſine alterius infamia. Vt ſi quis commiſerit cum ſorore ſua inceſtum, non tenetur id confiteri, quia eius ſoror inde infamaretur. Tum peſte graſſante Sacerdos non tenetur audire confeſſiones morientium. Accipiens auribus peccata, ore & naribus acciperet peſtilentiam.

Tum Synodus Tridentina definit non eſſe neceſſe confiteri peccata venialia, vt tactus impudicos & maledicentiam.

Sed nec tenetur quiſquam confiteri Sacerdoti de cuius fide & ſilentio dubitat. Multi Sacerdotes ſunt ebrioſi & vino dediti, qui inter pocula nihil non effutiunt. Solet ebrietas rumpere arcana ſilentij.

Melchioris Cani Canarienſis Epiſco-

*Canus pag. 927.

pi*hæc ſunt. *Si ex Confeſſione alicuius peccati, ſequitur ſcandalum vel meum vel Confeſſoris, ego poſſum tacere tale peccatum, reliqua confitendo.*

Nec meretrices lupanarium Romanorum, tenentur ad cõfeſſionem, quia peccant cum Papæ licentia. Tum ridiculum eſt confiteri in aurem Sacerdotis quod notum eſt toti populo. Emanuel Sa Ieſuita Aphoriſmis,† verbo *Confeſſio* hæc ait, *Meretrices non comprehenduntur ſtatutis Synodalibus excommunicantibus non confitentes.* Idem Ieſuita Verbo *Epiſcopus* §. 20. *Epiſcopus poteſt procedere contra quemcunque ob peccatum mortale, niſi eſſet iure permiſſum, vt meretricium.* Obſerua peccatum mortale iure permitti. Quo iure? An diuino? At lex Dei vetat ſcortationem. Ergo iure Papali.

Quod ſi quis ex vecordi ſupinitate, oblitus ſit criminis mortalis à ſe patrati, nec poſſit eius recordari, an accipiet abſolutionem criminis, cuius memoria ei excidit ſua ipſius culpa?

* Relection. de Pœnit. part. ſexta. Edit. Colon. p. 92. † Eman. Sa Verbo Confeſſio §. 17.

Sacerdotum concubinariorum infinita eſt multitudo. An ancilla cum qua Sacerdos conſueuit, confitebitur ſuo hero peccatum cuius ipſe eſt particeps? An Sacerdos iſte dabit iſti ancillæ abſolutionem, dicens *Abſoluo te à tuis peccatis?*

De muto Toletus, Nauarrus, Thomas, & alij aiunt mutum debere confiteri ſua peccata nutu & geſtu corporis. At ſunt plurima quæ turpius exprimuntur geſtu quàm ſermone: Quonam geſtu cynædus aut adulter crimen ſuum confitebitur?

Iidem cenſent ſi peccator ſit peregrinus, cuius linguam vernaculam Sacerdos non intelligat, poſſe eum confiteri per interpretem. Id ſi ſit, prius aperienda erit confeſſio laico quàm ſacerdoti. Hæc & plurima alia habes apud Nauarrum Manuali, Tractatu de pœnitentia. Et apud Toletum lib. 3. de Inſtructione Sacerdotum. Et apud Melchiorem Canum Relectionibus de Pœnitentia. Et Emanuelem Sa Aphoriſmis, & alios plurimos. Bellarminus hæc non eſt auſus attingere.

¥ Vide Eman. Sa in Verbo Confeſſio §. 13.

Iidem quoque cenſent peccatorem poſſe confiteri vni Sacerdoti dimidiam partem ſuorum peccatorum, & alteram dimidiam alteri Sacerdoti. Eman. Sa verbo *Abſolutio*. §. 25. Sic Sacerdos dabit dimidiam abſolutionem. Ridiculum eſt quod volunt confeſſionem mereri remiſſionem peccati. An ſons qui fatetur homicidium, hac confeſſione meretur abſolui?

CAP. VI.

Dubia quædam perdifficilia.

POteſt fieri vt duo Sacerdotes vnius vrbis ſint compotores, aut ſocij libidinum. An hi ſibi inuicem confitebuntur peccata? An hic ab illo, ille ab hoc accipiet remiſſionem peccatorum? Sic reciprocabitur inter eos remiſſio peccatorum. Veluti cum datatim pila luditur. An Deus ferret rem ſacram in ludum verti?

Nec leuiora ſunt quæ ſequuntur. In Eccleſia Romana, crimen eſt attox & le-

thale in Sacerdote celebrare Miſſam cum conſcientia peccati mortalis. Neceſſe eſt ergo vt Sacerdos peccati mortalis ſibi conſcius, ſe purget confeſſione priuſquam ad Miſſam canendam ſe accingat, & ab alio Sacerdote accipiat remiſſionem peccatorum. At fieri poteſt vt hic ſacerdos incipiat recordari huius criminis poſt Miſſam inchoatam, & ante conſecrationem. Vndique anguſtiæ. Enimuero an talis ſacerdos miſſam proſequetur cum conſcientia peccati mortalis? At ſi id facit exitium ſibi conſciſcet, & grauiſſimo ſcelere ſe deuinciet. An vt hoc malum effugiat, alium ſacerdotem accerſet cui confiteatur ſuum crimen? At id nunquam fit, & populus aſtans non ferret hanc moram. Et ſępe in vno oppido aut pago vnus eſt ſacerdos. Aut ſi ſunt duo aut tres, eadem hora in canenda alibi Miſſa ſunt occupati. Hic quidem nodus eſt vindice dignus.

Idem quæri poteſt de Sacerdote qui in Miſſa, ante Conſecrationem patitur pollutiones. Id enim fieri poſſe docent Magiſtri noſtri, præcipue in audiendo

Confeſſiones. Verba Toleti * hæc ſunt. *Si forte audiendo confeſſiones in tales inciderit pollutiones, non ob id tenetur non audire alios.*

Pretium operæ eſſet noſſe an Papa quot annis confiteatur ſua peccata ſuo Confeſſario. An qui porrigit Regibus pedes oſculandos, aduolutus pedibus Confeſſarij, flexo genu ſupplex petet ab eo remiſſionem peccatorum? An tunc temporis Papa eſt caput Vniuerſalis Eccleſiæ? Reſpondetur ipſum Papam dare hanc poteſtatem ſuo Confeſſario. Ridiculè. Nam qui dicit alteri, *Remitte mihi mea peccata, & do tibi poteſtatem mihi remittendi mea peccata*, perinde agit ac ſi ipſe ſibi peccata remitteret.

Qua fide autem & puritate Confeſſarij ſe gerant docet Nauarrus Manual. c. 10. §. 8. *Rarò* (inquit) *Confeſſarius peccat niſi ob principaliter acceptum officium audiendi confeſſiones ob lucrum, aut fauorem, aut curioſitatem, aut carnales voluptates. Si tamen minus principaliter hæc quærat, non peccaret.* Exemplum videſis diſciplinæ. Venerabilis doctor, Papæ pœnitentiarius

* Inſtruct. Sacerd. l. 5. c. 13. §. *Secundò in.*

permittit ſacerdoti audire confeſſiones ob lucrum & carnales voluptates, modo ne ſit hic finis præcipuus ſed ſecundarius. At hi fines ſecundarij repugnant fini qui debet eſſe præcipuus.

Sed & Theologi docent, poſſe audiri Confeſſiones ex ſubdelegatione, & per commiſſarium. Et* fas eſſe homini ignoto confiteri ſua peccata, non dicendo quis ſit.

Emanuelis Sa hæc ſunt, in Verbo Confeſſio. *Mentiri in Confeſſione de peccatis venialibus, veniale ſolum peccatum eſt. Et fœminæ confitenti mentalem fornicationem, ſi virgo ſit, etiam id dicendum eſt.* Idem ibidem, *Cum quis in neceſſitate plures ſimul audit, poteſt eos ſimul abſoluere dicendo, Ego vos abſoluo, &c.*

CAP. VII.

Quam ſint noxiæ Confeſſiones Sacramentales. Querelæ Pontificiorum.

QVanta mala ex Confeſſione Sacramentali conſequantur, longum eſ-

* Nauarrus Manuali cap.7 p.42. Debet mutato habitu confiteri illi qui alias ipſum agnoſceret.

ſet exponere. Plurimi ſunt quos intrinſecus coquit conſcientia; qui cohibiti pudore aut metu, non audent promere omnia quæ corde premunt. Ab illa confeſſione imperfecta ſe domum referunt anxij, & deſperantes de abſolutione. Eſt enim hęc vſtrina & carnificina animarum, & laqueus iniectus conſcientijs, & dura tyrannis. Nam quantumcunque excutias omnes receſſus cõſcientiæ, peccata noſtra ſunt abyſſus quæ nulla bolide explorari poteſt.

Id fatetur Beatus Rhenanus, vir inter Pontificios non vulgariter doctus. Is Procemio notarum in librum Tertulliani de Pœnitentia, exponit querelas Carthuſianorum, Franciſcanorum, & Sanctimonialium, & quibus tormentis piæ mentes crucientur, ob Confeſſionem cui ſatisfacere nequeunt: vſque adeo vt quidam Carthuſianus ſibi indixerit ἀποκαρτέρησιν, id eſt inediam vſque ad mortem.

Par querela Caſſandri Colonienſis Theologi, articulo vndecimo Conſultationis. *Controuerſia* (inquit) *nulla fuiſſet, ſi non ſalutaris hæc confitendi medicina, ab*

importunis medicis, multis inutilibus traditiunculis infecta & contaminata fuiſſet, quibus, conſcientijs quas extricare & leuare debebant laqueum iniecerunt, & tanquam tormentis excarnificarunt.

Nec diffitetur Bellarminus Confeſſionem eſſe perdifficilem & onerosam, & valdè moleſtam, libro 2. de Pœnitentia cap. 12. *Si qua* (inquit) *in Eccleſia Catholicâ res eſt quæ grauis & difficilis videatur, ſine dubitatione vlla Confeſſio eſt. Quid enim moleſtius, quid onerosius quam vt COGANTVR etiam viri Principes Regeſque potentiſſimi, ſacerdotibus qui & ipſi ſunt homines, peccata ſua omnia detegere, quamuis arcana, quamuis turpia, quamuis pudenda, quamuis horrorem ipſi confitenti afferentia, & eorundem Sacerdotum iudicio ſtare, ac mulctam ab eis iniunctam ſubire.*

Puduit Bellarminum addere, Regem flexis genibus coram Sacerdote ſedente, iunctis manibus, petere à Sacerdote vt à iudice, remiſſionem peccatorum: qui poſt confeſſionem, iudiciaria authoritate pronuntiat Regi, *Ego te abſoluo à tuis peccatis.* Nec tamen per hæc Rex liber eſt.

Nam

Nam poſt acceptam à ſacerdote abſolutionem, ſacerdos imponit Regi pro arbitrio pœnas ſatisfactorias; abſtinentiam à certis cibis per aliquod tempus, aut ædificationem Monaſterij, aut cilicium ſub interula, aut flagellationes, aut ſummam auri & argenti. His exemplis plenæ ſunt hiſtoriæ nouiſſimorum ſæculorum.

Nauarrus Tomo I. p. 492. dicit Confeſſionem qualis fit in Eccleſia Romana, rem eſſe dificillimam rerum omnium quæ fiunt à Chriſtianis.

Inter peſſima eſt quod per cõfeſſionem τῶν πρεσβευωμένων Confeſſarij rimantur arcana familiarum & occultas ſordes. Scrutantur peccata regum ac reginarum & inde fiunt formidabiles, *Scire volunt ſecreta domus atque inde timeri.* Et in ciuili bello, duces partium, ope Confeſſariorum norunt qualis ſit cuiuſque animus, quæ ſingulorum vel ad fidem, vel ad rebellionem inclinatio. Difficile eſt vt aures ſint puræ in quas totius vrbis ſordes infunduntur.

Tum experimento conſtat homines ad peccandum audaciores fieri quia poſt

cõfeſſionem certi ſunt de Abſolutione Sacerdotali: Accumulant peccata peccatis, vt ea in Confeſſione ſimul euomant, & hoc onere cõſcientias exonerent. Putant enim ſe Deo abundè ſatisfeciſſe, & ſibi partam eſſe in annum ſequentem peccandi licentiam.

Præcipuè durum eſt iugum quod Synodus Tridentina imponit conſcientijs Seſſ. XIV. cap. 5. Iubet enim reuelari ſacerdoti occultas cogitationes, & cupiditates prohibitas mandato legis *Non concupiſces.* Cum tamen eadem Synodus Seſſ. V. definiat concupiſcentiam lege vetitam non eſſe verè & propriè peccatum. Si ergo virgini intactæ aliqua inhoneſta cogitatio obrepſerit, quę mox fuerit repreſſa & cohibita, Synodus vult id ſacerdoti reuelari, cum potius innocentis puellæ verecundiæ occurrendum eſſet, & pudor ſubleuandus ſilentio. Cum certiſſimum ſit perpaucos eſſe ſacerdotes quibus non obrepant cogitationes inhoneſtæ.

Nec omittendum quod cum ex lege Concilij Lateranenſis I. vnuſquiſque de

populo teneatur peccata ſua cõfiteri proprio ſacerdoti, hodie plurimi excipiuntur ab hac lege. Nam Ieſuitæ, indignantibus Epiſcopis & Parochis, in alienis Eccleſijs audiunt confeſſiones, ex Papæ priuilegio.

Quid quod Papa ac Prælati concedunt quibuſdam priuilegium eligẽdi ſibi Confeſſarium quem volent, qui eis peccata remittat? Illi verò eligunt ſibi Confeſſarium amicum, qui eis imponat leuiores pœnas ſatisfactorias, aut quem habuerint ſodalem vitæ liberioris. Sed eiuſmodi priuilegia non conceduntur pauperibus, nec hominibus ſortis tenuioris. Ioculare eſt audire adulterum aut peculatorem dicentem amico: *En, vir bone, te eligo qui mihi peccata remittas.*

CAP. VIII.

De Interrogationibus quæ fiunt pænitenti.

QVia ſæpe accidit vt confitentes ſegnius agant & ſua peccata incruſtent aut molliant, & multa diſſimulent,

ſacerdos poſt confeſſionem, pertentat & explorat interrogationibus animos virorum & fœminarum: rimatur arcana lecti coniugalis, & circunſtantias inhoneſtas: ipſaſque cogitationes. Ibi exultat Confeſſariorum petulans laſciuia, & improba curioſitas. Legatur Burchardi VVormacienſis Epiſcopi Decretum lib. 19. Toletus de Inſtructione Sacerdotum lib. 3, Nauarri Manuale. Vazquez de Pœnitentia, in tertiam partem Thomæ. quęſt. 84. Sanchez de Matrimonio. Pœnitentiale Romanum. Ingens volumen Benedicti de Confeſſione, ſcriptum Gallicè, vt à mulieribus intelligatur. Sub obtentu interrogationis docentur immania ſcelera, & inuſitatæ ac præpoſteræ libidines, & catamitorum ac proſtibulorum & tribadum, & incantatorum horrenda artificia. Gloſſa Diſtinct. quintæ de Pœnitentia c. 1. vult pœnitentem qui cum meretrice rem habuerit confiteri an formoſa fuerit an deformis, quod tamen non facit ad grauitatem peccati, nec mutat eius ſpeciem.

Nec deſunt inter Pontificios quos pu-

det tantæ impuritatis. Inter quos eſt Melchior Canus qui Relectionis de Pœnitentia parte ſexta §. *Ad tertium*, ſic loquitur. *Confidenter improbo ſummas iſtas Confeſſionum interrogationibus plenas, quæ idiomate vulgari eduntur vt in publicum prodeant, paſſim etiã mulieribus & idiotis conferuntur, vt inde diſcant, non confitendi ſed peccandi rationem & normam.* Non eſt autem credibile confeſſionem poſſe eſſe Deo gratam, quæ artificialibus interrogationibus elicitur, & quaſi fidiculis extorquetur. Horrendæ ſunt interrogationes Burchardi lib. 19. quas referre pudor vetat. Ne quis tamen putet nos aduerſarijs hæc impingere per calũniam, pauca referemus ex multis; cæteris tolerabiliora. Burchardus celebris Decretorum compilator hæc habet lib. 19. *Concubuiſti ne cum vxore tua, die Dominica, quatuor dies in pane & aqua pœnitere debes.* Et an canino more, &c.

Feciſti ne quod quædam mulieres facere ſolent? Proſternunt ſe in faciem & diſcoopertis natibus, iubent vt ſuper nudas nates conficiatur panis, & eo decocto tradunt

maritis ſuis ad comedendum. Hoc faciunt vt plus in amorem earum inardeſcant.

Feciſti ne quod quædã mulieris facere ſolent? Tollunt piſcem viuũ & eum mittunt in puerperium ſuum, & tandiu ibi detinent donec moriatur & decocto piſce vel aſſato, maritis ſuis ad comedendum tradunt. Ideo faciunt vt plus in amorẽ earum inardeſcant. Si feciſti duos annos per legitimas ferias pœniteas.

Concubuiſti cum vxore tua in Quadrageſima? 40. dies in pane & aqua pœnitere debes, aut 26. ſolidos, in eleemoſynam dare. Quæ autem dantur Monachis ſub eleemoſynæ nomine comprehenduntur.

Minuitur tamen pœna ſi id fiat per ebrietatem.

Hic autem Burchardus ſanctus habetur: & ſępe citatur à Bellarmino & has regulas congeſſit non vt ſuas, ſed vt Decreta Eccleſię Romanæ.

Nec alij honeſtiores. Nauarrus Man. cap. 6. §. 18. non putat ſi quis poſt fornicationem vigeſies amaſiam oſculetur, inde peccatum augeri, nec cenſet neceſſe eſſe id confiteri.

Idem Conſiliorum parte 2. Conſilio 7. pag. 235. actum Sodomię in vxore, imperfectum, qui finiatur per viam naturalem, cenſet tantùm eſſe peccatum tactus illiciti, quod peccatum non cẽſetur eſſe mortale. Miri ſcrutatores conſcientiarum exponũt crimina horrenda vt ea doceant: & Deo pręſcribunt leges, putantes Deum debere ſe eorum iudicijs, & obſcœnis diſtinctionibus attemperare.

Quod ſi fas eſſet interrogationibus ſcrutari arcana conſcientiarum, interrogandus eſſet confitens an amet Deum toto corde, & proximum tãquam ſe ipſum. An firma fide amplectatur promiſſiones Euangelij. An rejiciat ſuas curas & metus in Dei prouidentiam, & in eius amore placidè conquieſcat. An ſi qua iniuria fuerit affectus minus iraſcatur, quàm cum audit nomen Dei blaſphemari, & eius Eccleſiam affligi. An pro modulo ſuarum facultatum alat pauperes, veſtiat nudos, excipiat peregrinos. An lectioni ſacræ ſcripturæ ſedulò incumbat. Nihil horum. Sed petuntur à confitente certiora indicia Catholicitatis Romanæ.

Interrogatur an obſeruauerit feſta, & quatuor tempora, & quadrageſimam. An inter orandum, ad compendium, tranſuerit data opera aliquot grana reſtis precatoriæ. An Roſarium dixerit. An Miſſæ ſedulo interfuerit. An viſitauerit reliquias Sanctorum. Et quę ſint eius cum hęreticis conſortia, &c. His indicijs quaſi Lydio lapide germana pietas exploratur.

CAP. IX.

De Sigillo confeſſionis.

POrrò ne confitentes verecundentur, ſed liberè aperiant ſacerdoti ſua ſcelera, indicta eſt Sacerdotibus ἐχεμυθία, id eſt religioſum ſilentium; quod vulgò Sigillum appellatur. De quo ſigillo Toletus inſtructionis Sacerdotalis lib. 3. c. 16. ſic ſcribit, *Aduertendum eſt obligationem ſigilli eſſe tantam, vt in nulla prorſus cauſa, neque etiam propter ſeruandam propriam vitam, nec propter ſalutem Reip. poſſit confeſſarius peccatum pœnitentis reuelare.* Ex-

tat epiſtola viri clariſſimi Iſaaci Caſauboni ad Frontonem Ducæum Ieſuitam, in qua teſtatur ſibi, cum eſſet in Regis Bibliotheca, dictum à Bineto Ieſuita præſtare omnes reges occidi quam vel ſemel ſigillum confeſſionis reuelari: quia Regum poteſtas eſt tantùm iuris humani, at Confeſſio eſt iuris diuini. Id autem Binetus dicebat paucis diebus poſt Henrici IV. necem.

Andræas Eudęmonoiohannes Cretenſis, Ieſuita Apologiæ pro Garneto c.13. *Nullum* (inquit) *tantùm poteſt eſſe malum cuius vitandi cauſa confeſſionem prodere liceat.* Quidam tamen excipiunt hæreſim, de qua tritus eſt hic verſiculus,

Hæreſis eſt crimen quod nec confeſſio celat.
Nam crimen hæreſis vſque adeo eſſe horrendum pronuntiant Magiſtri noſtri, vt cenſeant filium debere patrem hæreticum accuſare vt tradatur inquiſitioni & viui comburio pereat. Verba Nauarri hęc † ſunt, *Filij tenentur reuelare parentes in crimine hæreſis.* Emanuel Sa Aphoriſmis, Verbo *Hæreſis. Patrem hæreticum, poteſt quidem filius denuntiare, ſed non tenetur,*

† Nauar. tomo 3. in Indice Verbo Filivs.

niſi ſit periculum peruerſionis aliorum. Hanc ſententiam confirmat teſtimonio Alenſis & Toleti Cardinalis Ieſuitæ. Cuius verba hæc ſunt lib. 5. de Inſtructione Sacerd. cap. 1. §. 12. *In duobus caſibus filius debet accuſare patrem: In crimine læſæ Majeſtatis, & in crimine hæreſis.* Habent autem iſti libri præfixam Theologorum & Cenſorum approbationem.

Idem Nauarrus Tom. primo De Pœnitentia Diſt.6.pag.577. de ſigillo Confeſſionis hæc habet *Cardinalis ſancti Xiſti cognomento Caetanus, rogatus ab altero Cardinali reſpondit. Confeſſarium cui manifeſtata eſt in Confeſſione deliberatio occidendi Regẽ vel Pontificem ſũmum, cum propoſito id ad effectũ ducendi non poſſe illud reuelare.* Et dicit Nauarrus rationem illam eſſe neruoſam.

Per hanc doctrinam ſi Sacerdos ex confeſſione reſciuerit conſilium in necem Regis, aut patris, debet potius pati ſuum patrem aut Regem occidi quàm reuelet ſigillum confeſſionis. Oportet ſit perditè nequam in cuius ſinum tutò deponuntur conſilia parricidij & euerſionis Reipubli-

cæ. Egregia quidem fide erga perduelles & parricidas, at erga Deum, parentes, patriam ſumma perfidia. Regis cędi parricida manum accommodat, at Sacerdos conſcientiam. Vtriuſque vt par ſcelus, ita par debet eſſe pœna.

Hic verò non alienum erit exponere quanta ſit Nauarri * ſolertia. Mulier (inquit) quędam nobilis faſſa eſt ſacerdoti adulterium. Id cum ſubolfeciſſet eius maritus, ſacerdotem traxit in locum deſertum, & intentata ſica mortem ei minatus eſt niſi vxoris confeſſionem ei aperiret: Nauarrus ſuadet ſacerdoti iurare eam nihil ipſi de adulterio eſſe confeſſam, ſubintelligendo apud ſe *eo modo quo tenear tibi dicere.*

Concinit Vazquez Ieſuita. Cuius verba † hæc ſunt *Exiſtimo veram ſententiã aſſerentium in hoc caſu negari poſſe exterius ſimpliciter ſine mendacio, intelligendo cum interiori hac reſtrictione, vt tibi ſcilicet dicã, vel vt tenear, aut poſſim tibi dicere.* Idem docent Adrianus, Iohannes Medina, Iohannes Maior, Ledeſma, Sotus, Toletus

* Nauar. Manual. cap.9.§.19. † Vazquez in tertiam partem Thomæ Tomo IV. quæſt,93. Art.4.pag.270.

cuius verba hæc ſunt libro 1. De Inſtructione Sacerdotum cap. 13. *Si aliquando contigerit Confeſſariū ab iniquo iudice compelli iuramento vt reuelet, poteſt confeſſor iurare ſe neſcire peccatum: quāuis enim ſciat, non tamen ſcit vt reuelet.*

Hæc doctrina ſi admittitur, ſtatuendum eſt Martyres fuiſſe valde hebetes, expertesque prudentiæ; qui tracti ad tribunal iudicum Ethnicorū & interrogati an eſſent Chriſtiani, reſpondebant apertè & ſine circuitione ſe eſſe Chriſtianos. Poterant enim vti hac ſtropha & retentione mentali dicendo, Non ſum Chriſtianus, ſed tacite ſupplēdo *vt tibi dicam.* Petrus grauiter peccauit dicendo ancillę ſe non eſſe Chriſti diſcipulum, cum tamen poſſet vti hac retentione mentali, cogitando apud ſe *vt tibi dicam.* Et illa quidem non fuit iudex idonea. Nec iudices Ethnici fuerunt idonei & legitimi iudices de veritate religionis Chriſtianæ. Coram quibus tamen ſi martyres dixiſsēt *non ſumus Chriſtiani*, ſupplendo apud ſe VT TIBI DICAM meritò habiti fuiſſēt Apoſtatę & deſertores fidei Chriſtianæ.

Hoc dogma nefarium & fraudulentum tale eſt vt ſi vel maximè cupias aſſentiri, non poſſis tamen. Nec quiſquam bonus à ſe impetrabit vt ad hoc dogma non cohorreſcat. Habemus enim Dei legem vetantem dicere falſum teſtimonium: Lex Dei ponit falſitatem in verbis: quę cum falſa ſunt, non poteſt falſitas cogitatione emendari. Teſtimonium non datur cogitatione ſed verbo, qua adempta, nihil ſupereſt in teſtimonio niſi falſitas & periurium.

Rauaillaco qui Henricum IV. occidit dati ſunt iudices delecti: qui gnari hunc regicidam habuiſſe cum Albinio Ieſuita ſecreta colloquia, Albinium iuſſerunt adduci. Eumque interrogauerunt an Rauaillacum audiſſet in cõfeſſione. Reſpondit Ieſuita, ſe cum primum ad Confeſſiones audiendas animum appulit à Deo obnixè petijſſe, vt eorum omnium quæ audiret in confeſſione ſtatim obliuiſceretur, & ſe id à Deo impetrauiſſe. Placuit viris magnis ingenua viri ſancti reſponſio, itaque intactum dimiſerunt. In quibus ſi fuiſſet mica bonæ mentis,

hunc beatulum profitentem artem obliuionis docuiſſent artem memoriæ. Hic fructus exitialis huius doctrinæ, quę multis Regibus & Principibus magno ſtetit. Quę quia nititur hoc fundamento, Regum poteſtatem eſſe iuris humani, at confeſſionem eiuſque ſigillum eſſe iuris diuini, hęc etiam quęſtio expēdenda eſt.

CAP. X.

Regum poteſtatem eſſe iuris diuini, & Dei mandato eſſe conſtitutam.

APoſtolus Petrus prioris Epiſtolę c. 2. commate 13. & 14. iubet nos eſſe ſubiectos Regi & præſidibus à Rege miſſis: Cũ autem ibi omnes Chriſtianos alloquatur, non eſt dubium quin huic mandato Sacerdotes & Epiſcopi ſint ſubiecti.

Paulus ad Romanos cap. 13. *Omnis anima poteſtatibus supereminentibus ſubiecta ſit.* Et diſertè addit, *has poteſtates eſſe à Deo ordinatas. Itaque* (inquit) *qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Loquitur autem de poteſtate quę gerit gladium

& cui ſoluuntur vectigalia: qualis tunc erat poteſtas Imperatorum, quamuis Ethnicorum.

Adde quod paſſim in Scripturis Reges vocantur *Vncti Domini*. Si creditur Ieſuitis, Scriptura aptius eſſet locuta, ſi Reges *Vnctos hominum* appellaſſet.

Nec leue eſt quod duo primi Reges Iſraelitarum, diuino oraculo creati ſunt, vt hæc authoritas, à prima origine in poſteros dimanaret & deriuaretur.

Ac ne quis arbitretur Chriſtianos iuſſos obtẽperare Imperatoribus Ethnicis, metu perſecutionis,& quia cogebantur, Apoſtolus eodem cap. 13. ad Romanos, iubet Chriſtianos eſſe ſubditos Imperatori, *non tantũ ob iram*, id eſt metu pœnæ, ſed & *ob conſcientiam*. Nempe quia Principibus quanquam Ethnicis obſequi in rebus ciuilibus pars eſt pietatis erga Deum. Vita regum nunquam erit in tuto, niſi ſubditorum animis altè ſit infixa hęc perſuaſio, ſe ad obedientiam regi præſtandam Dei mandato aſtringi. Hæc perſuaſio firmius eſt pręſidiũ quam exercitus, quam cohortes prętoriæ. An

Paulus hortatus eſt Chriſtianos ad obedientiam exhibendam Principibus, non quod ita ſentiret, ſed metu adactus, aliter ſuaſurus, ſi vires adfuiſſent? An tanti Apoſtoli documenta imputanda ſunt neceſſitati, non fidelitati?

Pilatus non erat Imperator, nec Rex, ſed tantum Iudææ procurator. Attamen Chriſtus ipſe, ſtans coram Pilati tribunali, dicit hanc poteſtatem Pilato eſſe attributam à Deo. Ioh. 19. 11.

Petrus quidem poteſtatem Regum & preſidum vocat humanum ordinem, quia inter homines recepta eſt, quod & de poteſtate viri in vxorem, patris in liberos dici poteſt. Sed hic ordo humanus diuina authoritate & mandato fulcitur & comprobatur: ac proinde eſt iuris diuini.

Inſtat tamen Bellarminus libro in Barklaium. Dicit nullum eſſe Scripturæ locum, nullum diuinum oraculum quo iubeamur parere Henrico aut Ludouico. Quæ obiectio ſi quid habet virium, inde ſequetur Papæ authoritatem non eſſe iuris diuini: nullum enim habemus Dei

mandatum, quod deſignet nominatim, Clementem, Vrbanum, aut Bonifacium, qui quidem creantur emptis ſuffragijs & anxia diſciplina: Quod de Regibus noſtris dici non poteſt, quos ipſa natura locat in ſolio, fulta diuina authoritate. Si quid valet hæc ratio, ſtatuendum erit, Antonium, Philippum, Carolum non eſſe diuinæ legi obnoxios: quia in Lege Dei nulla fit Antonij nec Philippi mentio. Nec quæſtio eſt an iure diuino tenear Henricum aut Ludouicum habere regem. Sed an iure diuino tenear ei obſequi poſtquam rite eſt rex conſtitutus, & ei iurata eſt fidelitas. Hoc præcipuo nomine odioſi ſumus Pontificibus, quod Regum iura & dignitatem tuemur aduerſus vſurpationes Paparum, qui ſibi arrogant poteſtatem deturbandi reges ſolio, & dandi & adimendi coronas, & reges abiecerunt ad pedis oſculum, & Clericos exemerunt à ſubiectione Regum. Et ſub titulo Annatarum, & Diſpenſationum, & Indulgentiarum, Galliam nummis exhauriunt.

CAP. XI.

Confeſſionem Sacramentalem, non eſſe iuris diuini nec à Deo inſtitutam.

PRincipiò certum eſt nullam in Dei verbo fieri mentionem Confeſſionis clancul ariæ, nec enumerationis ſingulorum peccatorum in aurem Sacerdotis & circunſtantiarum. Et iam attulimus confeſſionem Bellarmini * ingenuè fatentis tempore Ambroſij confeſſionem hanc Sacramẽtalem nõdum inſtitutam fuiſſe.

Sanè talem confeſſionem non habuit Eccleſia veteris Teſtamenti. Nec ipſi aduerſarij eunt inficias: Cauſam hanc afferunt, quia ſub Veteri Teſtamẽto nondum erat in Eccleſia poteſtas remittendi peccata. Cum autem via ſit compendioſa & plana qua ad Deum itur, & peccata ei confitemur: at Confeſſio Sacramentalis, ſit oneroſa, & per moleſta, & omnium rerum quæ fiunt à Chriſtianis ſit difficillima: vt fatetur Nauarrus: adeone quiſquã eſt oris duri, & de Chriſto tam malè ſen-

* Bellar. lib. 3. de Pœnit. cap. 20. §. Reſpondeo.

tiens, vt credat Chriſtum veniſſe in mundum ad prægrauandam Eccleſiam nouis oneribus, vt deterior ſit & grauior conditio Chriſtianorum quam olim Iſraelitarum?

Lucæ cap. 18. 13. Publicanus confitens Deo ſua peccata, nullo adhibito ſacerdote, idque confeſſione generali, domum redijt iuſtificatus.

Chriſtus immediatè, nec per Sacerdotes remittebat peccata, dicens paralytico *Confide fili remittuntur tibi peccata tua*, Matth. 9. 2. At nunc (ſi aduerſarijs fides) Chriſtus non remittit peccata per ſe & immediatè, ſed tantum per Sacerdotes ὠταχὺςας. Qui immediatè & perſe remittebat peccata cum eſſet in terris, non exerceret hanc poteſtatem ex quo compos eſt gloriæ?

Apoſtoli quidem hortati ſunt peccatores ad pœnitẽtiam: ſed neminem adegerunt ad auricularem confeſſionem, nec ad ſcrupuloſam enumerationem peccatorum. Nec cuiquam vnquam dixerunt *Abſoluo te à tuis peccatis.* Nec cuiquam indixerunt pœnas ſatisfactorias,

Nupera hæc ſunt, & ex vltimorum ſęculorum fæce.

Inſtante Paſchate, populus Eccleſiæ Romanæ, parat ſe ad perceptionem Euchariſtiæ, confeſſione clancularia, & Abſolutione Sacramentali. Non ſic populus Eccleſiæ Corinthiacæ: quem acceſſurum ad ſacram menſam Paulus iubet ſe ipſum explorare & excutere. 1. Cor. 11. 28. Quæ ſit autem illa ſui probatio, docet idem Apoſtolus 2. Cor. 13. 5. *Vos ipſos explorate an ſitis in fide*, id eſt an vera fide ſitis præditi.

CAP. XII.

Aduerſariorum argumenta, pro Confeſſione Sacramentali.

SVpereſt expendamus quibus præſidijs aduerſarij ſe in hac cauſa tueantur. Vazquez Ieſuita in tertiam partem Summæ Thomæ, quæſt. 94. artic. 1. plurimos Doctores affert qui ſentiunt hanc confeſſionem non eſſe à Chriſto inſtitutam; ſed eſſe traditionem Eccleſiaſticam. Sic ſen-

tiunt Bonauentura, Scotus, Hugo de S. Victore, Medina, Biel, Valdenſis, Adrianus. Quibus adde Lombardum, Panormitanum, Caetanum, & ipſum Bellarminum, vt probauimus.

Gloſſa Diſtinct. 5. de Pœnitentia c. 1. hæc habet. *Alij dicunt quod in Nouo Teſtamento, inſtituta eſt confeſſio à Iacobo dicente, confitemini alterutrum*, &c. *Sed melius dicitur eam inſtitutam fuiſſe, quadam vniuerſalis Eccleſiæ traditione, potius quàm ex Noui aut Veteris Teſtamenti authoritate.* Et paulo poſt, *Neceſſaria eſt confeſſio apud nos in mortalibus. Apud Græcos non. Quia non emanauit apud eos traditio talis.* Poterat addere Eccleſias Syriæ, Armeniæ; Ægypti, Æthiopiæ, Moſcouiæ, apud quas hęc confeſſio prorſus ignoratur.

Gratianus Diſtinct. 1. de Pœnitentia, multa congerit veterum teſtimonia ſuper neceſſitate confeſſionis, quę ſibi inuicem videntur eſſe aduerſa. Quem tractatum ſic claudit. Cap. *Quāuis. Quibus authoritatibus vel quibus rationū firmamentis vtraq; ſententia Satisfactionis & Confeſſionis nitatur, in medium breuiter expo-*

fuimus: & rem relinquit indeciſam. At Synodus Tridentina abſtulit hanc dubitationem. Percutit enim Anathemate negantes Confeſſionem Sacramentalem eſſe inſtitutam iure diuino, & neceſſariam ad ſalutem.

Primus Thomas Aquinas tertia parte ſummæ quęſt. 84. art. 7. auſus eſt dicere Confeſſionem Sacramentalem à Chriſto eſſe inſtitutam initio prædicationis, cum dixit *Agite pœnitentiam.* Marci cap. 1. 18. Hanc ſententiam damnauit Synodus Tridentina, ſtatuens hoc Sacramentum inſtitutum eſſe à Chriſto poſt reſurrectionem. Ioh. 20.

Quidam trahunt ad Confeſſionem Sacramentalem verba Matthæi cap. 3. 2. *Dicebat Iohannes pœnitentiam agite.* Et pericope 6. *Baptizabantur à Iohanne in Iordane confitentes peccata.* Sed id quoque reſpuit eadem Synodus eadem de cauſa. Iudæi non confitebantur Iohanni in aurem ſingula peccata, & circunſtantias. Nec ab eo accipiebant remiſſionem peccatorum. Nec eis irrogabat pœnas ſatisfactorias.

Actorum 19.18. Lucas refert quoſdam qui crediderant veniſſe ad Paulum confitentes peccata, inter quos quidam erant ſtudentes artibus curioſis & maleficis, inde colligitur eos fuiſſe Ethnicos, non baptizatos, qui agnito errore ad Paulum venerunt eiurantes artem & errorem. Non fuit ergo Sacramentalis iſta confeſſio. Nec eorum confeſſio fuit clancularia. Nec texuerunt enumerationem omnium ſuorum peccatorum. Nec Paulus dedit eis abſolutionem. Nec eis irrogauit pœnas ſatisfactorias. Nihil hęc ad Sacramentum pœnitentiæ, qui non datur niſi baptizatis.

Baronius tamen hunc locum arripit, vt probet confeſſionem Sacramentalem, *CERTVM EST* (inquit) *id intelligendum de confeſſione Sacramentali.* Quem ſtrenuè refellit Lorinus Ieſuita commentario in caput 19. Actorum. *Non auſim* (inquit) *vſurpare illud Baronij Certum eſt. Nam excipere quiſpiam poſſet, ſermonem non eſſe de iam Baptizatis, ſed de Catechumenis. Nam Eccleſia Romana non admittit ad hoc Sacramentum non baptizatos.*

hinc inde erratorum pro mutua placatione & reconciliatione.

Melchior Canus Relectionis de Pœnitentia parte 6. *Alia quæ ſolent afferri, vt eſt illud Iacobi cap. 5. Confitemini alterutrũ.* Et illud Lucæ 17. *Ite & vos oſtendite ſacerdoti, non adeò firma videntur aduerſus hæreticos teſtimonia.* Tum addit, *Dici facilè poterat quod licet ex ſacra Scriptura huiuſmodi præceptum non haberetur, habetur tamen ex traditione Chriſti & Apoſtolorum, quemadmodum & alia pleraque noſtræ fidei documenta.*

Adde id quod ſupra citauimus ex gloſſa Decreti Gratiani, vbi Gloſſatores negant Sacramentalem confeſſionem poſſe ex hoc loco Iacobi probari, ſed haberi ex traditione, quam Eccleſiæ Grçcæ non recipiunt.

Eſtius Profeſſor Duacenus, non eſt auſus ſe apertè opponere Concilio Tridentino. Is Commentario in hunc Iacobi locum, poſt allatas diuerſas interpretationes, dat optionem lectori, & rem relinquit in medio: quæ quidem eſt non obſcura improbatio.

Sanè hęc vox ἀλλήλοις INVICEM, clare euincit ibi agi de confeſſione reciproca poſt offenſas, per quam tu mihi ſatisfacis & ego tibi. Omnino ſi ageretur de confeſſione quæ fit ſacerdoti, deberet ſacerdos viciſſim confiteri ſua peccata pœnitenti.

Id ipſum manifeſtè colligitur ex verbis ſequentibus. Addit enim Iacobus *& orate inuicem pro vobis.* Vult enim nos viciſſim impendere mutua precationum auxilia. An tenemur tantùm orare pro ſacerdotibus? Sic intellexit Auguſtinus epiſtola 54. ad Macedonium. *Ipſi peccantes vt hoc faciāt inuicem admonentur. Nam ſcriptū eſt, Confitemini inuicem peccata veſtra. Has ſibi partes humanitatis vbi poteſt, omnis homo vendicat.*

Quod ſi concederemus hic agi de Confeſſione quæ fit ſacerdoti, nihil tamen aduerſarij per id efficerent. Iacobus enim non loquitur de auriculari & arcana confeſſione ſingulorum peccatorum. Nec de abſolutione poſt cōfeſſionem. Nec de pœnis ſatisfactorijs poſt abſolutionem.

Inſtant. Iohannes (inquiunt) 1. Epiſt.

cap. 1. dicit. *Si confitemur noſtra peccata Deus fidelis eſt & iuſtus vt remittat nobis peccata noſtra.* Sed nihil hæc ad rem. Nam Iohannes ibi agit de Confeſſione quæ fit Deo, non quæ Sacerdoti. Id indicant hęc verba, *Deus eſt fidelis & iuſtus vt remittat nobis peccata.* Illi enim debemus confiteri peccata ad quem pertinet peccatorum remiſſio.

Synodus Tridentina Seſſ. XIV. cap. 5. inde colligit neceſſè eſſe confiteri omnia ſua peccata ſacerdoti, quia Deus conſtituit ſacerdotes ſuos vicarios & Pręſides & Iudices. Requiri autem in iudice accuratam cognitionem peccatorum, alioqui iudicarent de rebus ignotis. Hic fons errorum & τὸ πρῶτον ψεῦδος, velle vt homo ſit iudex in cauſa Dei. Nullo certiori indicio potuiſſent hi Patres probare ſacerdotes non eſſe iudices. Non enim norunt hominum corda & internos affectus in quibus propriè poſita eſt ratio & natura peccati. Nec ſacerdos ſcit an pœnitens tangatur ſeria contritione, ſine qua non eſt remiſſio. Nec an confeſſio eius ſit vera & integra, an verò ſit ſimulata aut im-

perfecta. Iudicat ergo de ignotis & quæ hominis cognitionem effugiũt, vt qui in tenebris micant. Si reſpondetur, ſacerdotes non iudicare abſolutè ſed tantùm conditionaliter, hoc ipſo probatur ſacerdotes non eſſe iudices. Iudices enim nunquam iudicant conditionaliter. Iudex non dicit, *hunc dãno ſi eſt homicida*, ſed *hunc dãno quia eſt homicida*. Magno ſcelere poteſtas data paſtoribus remittendi peccata in foro Eccleſiaſtico, & quod ad pœnas Eccleſiaſticas, trahitur ad forum conſcientiæ, & abſolutionem coram Dei tribunali.

Quodſi per hæc verba Chriſti, *Quorum remiſeritis peccata*, &c. daretur Sacerdotibus poteſtas remittendi peccata; qualem fingunt aduerſarij, non tamen inde poſſet colligi neceſſitas confeſſionis. Si alicui vrbi contigit Dei beneficio bonus iudex, non inde ſequitur omnes ciues poſſe cogi ad adeundum illum iudicem, & ei declarandum omnia ſua crimina.

CAP. XIV.

De Pœnitentia & Confeſſione Veteris Eccleſiæ.

ETſi verbi diuini authoritas non eget humanis prę ſidijs, nec minus habet virium ſola quam cum ei adiũguntur hominum teſtimonia, tamen quia aduerſarij ſolent ſe tueri aduerſus authoritatem Scripturæ teſtimonijs veterum, quos imponunt equuleo, & torquent, & omnia vetuſtatis rudera commouent, operæ pretium erit exponere quæ fuerit veterum ſententia & conſuetudo circa pœnitentiam & confeſſionem.

Multa afferunt aduerſarij ex Patribus quibus probent neceſſitatem pœnitentiæ & confeſſionis. Omnia pręter rem. Nam quis id negat? Opertet ſit impius & proiectæ ad omne ſcelus nequitiæ, qui neget neceſſe eſſe conuerti ad Deum ſeria pœnitentia, & Deo ſatisfacere humili confeſſione. Status quæſtionis eſt an in veteri Eccleſia vſitata fuerit confeſſio Sacramentalis, qualis præſcribitur à Concilijs

Lateranenſi & Tridentino. An omnes vtriuſuis ſexus olim tenerentur clam & in aurem ſacerdotis confiteri omnia ſua peccata quorum memoria ſuccurrit, cum omnibus circunſtantijs mutantibus ſpeciem peccati. Et an Sacerdotes olim dixerint pœnitenti *abſoluo te ab omnibus tuis peccatis*. Denique an in veteri Eccleſia poſt reconciliationem peccatoris ſacerdotes ſolerent ei irrogare pœnas ſatisfactorias.

Horum nihil inuenimus apud Veteres. Et ipſe Bellarminus lib. 3. de Pœnitentia cap.20.§. *Reſpondeo*, fatetur tempore Ambroſij id eſt quatuor primis ſęculis confeſſionem Sacramentalem nondum inſtitutam fuiſſe. Non igitur eſt à Chriſto inſtituta. Nec aduerſariorum audacia eò vſque progreſſa eſt vt auſint affirmare tale Sacramentum in veteri Eccleſia vſitatum fuiſſe.

Idem Bellarminus libro primo de Pœnitentia cap. 22. §. *Hinc*, agnoſcit eos tantùm olim pœnitentes appellatos qui publicam pœnitentiam agebant. Et libri tertij cap.14.§. *Denique*. *Apud veteres*

(inquit) *nomine pœnitentiū ſoli publici pœnitentes intelligi ſolebant*: Hanc publicam pœnitentiam & omnes * Canones pœnitentiales veteris Eccleſiæ, Eccleſia Romana poſterioris æui abrogauit. Verba Nauarri hęc ſunt. *Prouidè fuit cautum, quod Leo Papa abſtulit conſuetudinem, quā pœnitentes publice confiteri cogebātur*. Perperam igitur afferuntur loca veterum in quibus agitur de publica pœnitentia, quę non erat Sacramentum, & de publica confeſſione, poſt quam non dabatur abſolutio, nec iniungebantur pœnæ ſatisfactoriæ: nec fiebat enumeratio omnium peccatorum in aurem ſacerdotis. Nec ſacerdos ſtipem accipiebat à pœnitente in mercedem remiſſionis peccatorum.

Autor antiquiſſimus Tertullianus (ſcribebat enim circa annum Chriſti ducenteſimum) ſcripſit librum de Pœnitentia, quam vocat tabulam poſt naufragium. Quo quidem in libro nihil inuenimus de arcana confeſſione, nec de Abſolutione poſt confeſſionem, nec de Satisfactione poſt abſolutionem. Loquitur tantùm de pœnitentia publica, quam vocat exomo-

* Tom. I. Diſt. V. de pœnit. In fertur p. 143.

logeſim, & cenſet eam iterari non debere. *Collocauit* (inquit) *Deus in veſtibulo pœnitentiam* * *ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat, ſed iam ſemel, quia iam ſecundò, ſed amplius nunquam, quia proximè fruſtra. Non enim & hoc ſemel ſatis eſt?*

Qualis vero ſtatus eſſet obeuntium pœnitentiam deſcribit cap. 9. Sacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare: paſtum & potum pura noſſe, ieiunijs preces alere, ingemiſcere, lacrymari, mugire dies noctéſque ad Dominum, presbyteris aduolui, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ adiungere.

S. Cyprianus circa annum Chriſti 250. de exomologeſi ſeu publica pœnitentia multa ſcripſit. Epiſtola duodecima ad presbyteros & diaconos Eccleſiæ Carthaginienſis, eos increpat quod ſe inconſulto (erat enim abſens) nimia facilitate lapſos reſtituerent Eccleſiaſticæ communioni. Eademque epiſtola ait, etiam in minoribus peccatis, ſolere peccatores agere pœnitentiam, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim venire,

* Id eſt, poſt Baptiſmum.

& per

& per impoſitionem manuum Epiſcopi & cleri ius communicationis accipere.

Ex epiſtola vndecima eiuſdem patris ad martyres & confeſſores diſcimus hos martyres ſolitos intercedere pro lapſis, & ex carcere dare epiſtolas ad Epiſcopum & Clerum, rogantes vt mitius cum eis ageretur & communioni Eccleſiæ reſtituerentur: Quo nomine eos increpat Cyprianus, admonens vt prius ponderent acta lapſorum, quam pro eis intercedant, nec ſuaſores ſint laxandæ & violandę diſciplinæ. Eadem habet tractatu de Lapſis.

Poſt ſęuam perſecutionem reddita tantiſper pace Eccleſijs, plurimi qui ſub perſecutione ſuccubuerant, & ſe ſacrificio vel libello polluerant, ad Eccleſiam reuertebantur, offerentes ſe pœnitentiæ publicæ.

At emerſit quidam Nouatus preſbyter Carthaginienſis, homo cerebroſus, & ad miſcendas turbas natus, negans eos ad pœnitentiam admittendos: cui Cyprianus ſtrenuè aduerſatus eſt. At Nouatus conatu excuſſus, relicta Africa traiecit in

Italiam, & venit Romam, vbi ſe adiunxit Nouatiano Epiſcopo Italo, eumque in ſuam ſententiam pellexit, & cum eo aliquot Italiæ Epiſcopos, qui creauerunt Nouatianum Epiſcopum vrbis Romæ. Vnde conflatum eſt ſchiſma aduerſus Cornelium Epiſcopum Romanum virum ſanctum, ad quem multæ ſunt Cypriani epiſtolæ, in quibus Nouatianum vt vitio creatum, & Eccleſiæ perturbatorem exagitat. Ab hoc Nouatiano dicti ſunt Nouatiani qui & Cathari, non verò à Nouato Carthaginienſi. Hi lapſis in graue peccatum, & abſtentis, negabant reſtitutionem in integrum. Non quod addicerent eos damnationi æternæ, & de eorum ſalute deſperarent; ſed dicebant hanc curam Deo relinquendam, vt docet Cyprianus epiſtola ad Antonianum. Et Ambroſius lib. 1. de pœnitentia cap. 2.

Hi motus cauſa fuerunt cur in ſingulis maioribus Eccleſijs Epiſcopi Orthodoxi conſtituerent preſbyterum pœnitentiarium, vt ſcribit Socrates lib. 5. cap. 19. *Ab illo* (inquit) *tẽpore quo Nouatiani ſe ab Eccleſia ſeiunxerunt, recuſaruntque cum his*

qui tẽpore perſecutionis, regnante Decio concitatæ lapſi erant cõmunicare, Eccleſiarũ Epiſcopi canoni adiunxerunt vt in ſingulis Eccleſiis preſbyter quidam pœnitentiæ præeſſet, coram quo, qui poſt Baptiſmum lapſi eſſent peccata ſua confiterentur: Id ita conſtitutum ad ſubleuandum pudorem diuitum, & nobiliorum perſonarum, quibus graue erat publicè traduci, & per aliquot annos exponi opprobrio. Cuius tamen preſbyteri pœnitentiarij exiguum fuiſſe vſum inde conſtat, quod in ampliſſima vrbe qualis erat Conſtantinopolis plus quam octingentis hominum millibus frequens vnicus erat ſacerdos pœnitentiarius. Nec in minoribus Eccleſijs in quibus vnicus erat preſbyter, talis potuit preſbyter inſtitui.

Non tamen per hunc pœnitentiarium abrogatæ ſunt pœnitentiæ publicæ: Sed hic preſbyter audita confeſſione peccatoris, rem referebat ad Epiſcopum vt iudicaret an crimen tale eſſet, quod deberet piari publica pœnitentia.

Anno Chriſti 375. Ambroſius Inſubriæ, Liguriæ, & Æmiliæ præfectus, laicus

& nondum baptizatus, voluntate Theodoſij I. Imperatoris creatus eſt Epiſcopus Mediolanenſis, inconſulto Epiſcopo Romano: Sic enim tunc fiebat. Nec poſt electionem * enthroniſticæ (vt nunc fit) ab Epiſcopo Romano petebantur. Hic Ambroſius ſanctitate, morumque diſciplina clarus ſcripſit duos libros de Pœnitentia, quibus adiunxit exhortationem ad pœnitentiam.

Libro primo cap. 2. hęc ait, *Dominus par ius & ſoluendi eſſe voluit & ligandi, qui vtrūque pari conditione permiſit.* Hanc legem ſi obſeruarent Pontifices Romani huius ęui, non ſoluerent animas Purgatorij quas non ligauerunt.

Multa quidem ille de poteſtate ligandi & ſoluendi data ſacerdotibus. Sed nulla in his libris fit mentio confeſſionis auricularis, nec poteſtatis remittendi peccata authoritate iudiciaria, nec pœnarum ſatisfactoriarum poſt reconciliationem peccatoris.

Quæ verò ſit ſacerdotum poteſtas ex-

* Id eſt, literæ inueſtituræ.

ponit cap. 7. Ibi enim remiſſionem peccatorum quæ datur à ſacerdotibus, facit eandem cum ea quæ datur in Baptiſmo, in quo planum eſt ſacerdotes non eſſe iudices. *In Baptiſmo* (inquit) *remiſſio peccatorum omnium eſt. Quid intereſt vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius ſibi ſacerdotes vendicent? Vnum in vtroque miniſterium.* Miniſterium dicit, non poteſtatem iudiciariam.

Capite ſexto nos reuocat ad Petri fidem, non verò ad Petri ſedem, ſic loquẽs. *Non habent Petri authoritatem qui Petri fidem non habent.* At Petrus nihil docuit de Sacramento pœnitentiæ, nec de auriculari confeſſione, nec cuiquam dixit, *Abſoluo te à tuis peccatis.* Nec vlli poſt abſolutionem irrogauit pœnas ſatisfactorias.

Eodem capite Nouatianos ſic affatur. *Non ferunt oculi veſtri vilia veſtimentorum, illuuiem ſordidatorum.* Manifeſtè loquens de pœnitentia publica. Quam quidem iterari non debere dicit cap. 10. *Meritò* (inquit) *reprehenduntur qui ſæpius agendã pœnitentiam putant.* Et ibidem,

Si ſeriò agerent pœnitentiã, iterandam non putarent. Nihil hæc ad Sacramentum pœnitentiæ & arcanam confeſſionem quę ſępius iteratur.

Idem Pater ſcripſit libros de Sacramentis, in quibus nullam facit mentionem Sacramenti Pœnitentiæ.

Libro 3. de Spiritu ſancto cap. 19. ait, *Per Spiritum ſanctũ peccata donari. Homines autem in remiſſionem peccatorũ miniſterium ſuum exbibere, non ius alicuius poteſtatis exercere.*

Imperator Theodoſius I. non minus pietate quam fortitudine & victorijs clarus, conuocauit Conſtantinopolim Concilium vniuerſale : hæc enim poteſtas tunc temporis pertinebat ad ſolum Imperatorem. Huic Concilio non interfuit Damaſus Epiſcopus Romanus, nec per ſe nec per legatos, nec eius conſenſus eſt expectatus. Nec Damaſus eſt conqueſtus. Eſt tamen hæc Synodus vna de illis quas Gregorius I.* dicit ſe perinde venerari ac quatuor Euangelia.

In hoc Concilio, iuſſu Theodiſij Ne-

*Lib.1.Ep.24.

ctarius creatus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus. Cuius pietas & prudentia à veteribus laudatur ſummo conſenſu. Sozomenus lib. 7. cap. 16. dicit Imperatorem ad eum eligendum fuiſſe impulſum diuino inſtinctu. Eo regente Eccleſias Græcas & Orientales, res accidit quæ Nectario dedit occaſionem abolēdi non tantùm Conſtantinopoli, ſed etiam per totam Grçciam, Aſiam, denique per totum Orientem, preſbyterum illum pœnitentiarium. Idque hac occaſione. Mulier quædam nobilis iſti ſacerdoti faſſa eſt ſe à Diacono in ipſo templo eſſe compreſſam: quod crimen cum dimanaſſet in vulgus per imprudentiam iſtius ſacerdotis, & Eccleſia inde infamaretur, Nectarius iſtum preſbyterum, toto Oriente aboleuit. Non tamen per id ſublatę ſunt pœnitētiæ publicæ, quæ poſt Nectarium obſeruatæ ſunt per multa ſæcula. Hanc hiſtoriam prolixè recitat Socrates lib. 5. cap. 19. Et Sozomenus lib. 7. cap. 16.

Huic ſanctioni Nectarij non paruit Eccleſia Romana, quippe quæ non erat ſubiecta Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

Nec Epiſcopus Romanus ęgrè tulit Nectarium deſciuiſſe à conſuetudine Eccleſiæ Romanæ. Nam Eccleſia Conſtantinopolitana non erat ſubiecta Epiſcopo Romano. An hodie Lugdunenſis Epiſcopus aut Toletanus toleraretur, ſi Papa inconſulto aboleret in ſua Diœceſi confeſſionem auricularem? Manſit tamen hęc Nectarij lex in Gręcia, & Orientalibus Eccleſijs; & nunc etiam manet. Toto enim Oriente Confeſſio auricularis, & Sacramentum pœnitentiæ, & iudiciaria ſacerdotum poteſtas in remittendis peccatis, & irrogandis pœnis corporeis, aut pecuniarijs penitus ignoratur.

Nectario in Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſucceſſit Iohannes Chryſoſtomus. Qui etſi aliquot locis hortatur populum ad confeſſionem, non obſcurè tamen declarat ſe fuiſſe animo alieno à publica pœnitentia: vult enim peccatores ſoli Deo, non verò ſacerdotibus peccata confiteri. Is homilia 5. de Natura Dei incomprehenſibili ſic loquitur, *Hortor vos ac precor, ac ſupplico, vt peccata Deo iugiter confiteamini. Non enim te produco in thea-*

trum tuorum conſeruorum, nec te cogo reuelare hominibus peccata, explica conſcientiam tuam coram Deo, & ei oſtende tua vulnera, & pete ab eo remedia: oſtende illi qui non exprobrat. Nam etiam ſi taceres omnia cognoſcit. Eadem dicit in Pſal. quinquageſimum & homilia in parabolam Lazari.

Homilia 31. in epiſtolam ad Hębręos. *Non oportet pœnitentem detegere ſua peccata, ſed Deum oret, ne eorum meminerit.* Et paulo poſt. *Non tibi dico vt te ipſum traducas, & te ipſum coram alijs accuſes*, &c.

Et homilia 28. ad populum Antiochenum. *Deus non cogit nos palam enumerare noſtra delicta, ſed iubet nos illi SOLI exponere noſtras excuſationes & ei confiteri.*

Ex his & alijs locis compluribus apparet Chryſoſtomum fuiſſe alieno animo à confeſſione tam publica quam priuata quæ fit ſacerdotibus. Quo nomine Ieſuita Petauius in Chryſoſtomum inuehitur, Animaduerſionum in Epiphanium pag. 244. *Hæc* (inquit) *parùm cõmode dicta videntur.* Et paulo poſt. *Multa ſunt à ſanctiſſimis patribus præſertim à Chryſoſtomo in homilijs aſperſa, quæ ſi ad exactæ verita-*

tis regulam accommodare volueris, boni ſenſus inania videbuntur.

Chryſoſtomo concinit Auguſtinus 10. lib. Confeſſionum cap. 3. *Quid mihi eſt cum hominibus vt audiant cõfeſſiones meas, quaſi ſanaturi eſſent omnes langores meos? curioſum genus ad cognoſcendam aliorũ vitam, deſidioſum ad corrigendum ſuam.*

Et Hilarius in Pſalmum 51. *Dauid authorem vniuerſitatis huius Dominum eſſe confeſſus nulli alij docet confitendum.*

Prima diſtinctione de Pœnitentia. Can. *Petrus*, citantur verba Ambroſij in Lucæ cap. 10. *Lacrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego.* Et gloſſa in hunc canonem hæc habet, *Fortaſſe non erat tunc facta conſtitutio confeſſionis quæ modo eſt.* Quid multa? Bellarminus* fatetur tempore Ambroſij confeſſionem Sacramentalem nondum fuiſſe.

Sed necdum anno Chriſti 813. recepta erat & certa lege ſtabilita confeſſio Sacramentalis. Nam illo anno habita eſt Synodus Cabilonenſis cuius capite 33. hæc habentur. *Quidã ſolũmodo Deo confiteri*

* Lib. 3. de Pœnit. c. 20. §. Reſpond.

debere peccata dicunt, quidam vero ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent. Synodus definit vtrumque vtiliter fieri.

Immo nec tempore Lombardi Epiſcopi Pariſienſis qui ſcripſit circa annum Chriſti 1160. quidquam erat definitum. Cui Gratianus fuit coæuus. Horum hæſitationem, & diuerſas diuerſorum ſententias circa Confeſſionem quæ fit ſacerdoti ſupra attulimus.

CAP. XV.

De forma & gradibus pœnitentiæ, in veteri Eccleſia.

HIc verò non alienum erit exponere quę fuerit forma pœnitentiæ publicæ apud veteres. Pœnitentibus locus peculiaris aſſignatus erat in Eccleſia ſeparatus à fidelibus qui ad ſacram communionem admittebantur.

Per aliquod tempus conſidebant ante fores templi, & ingreſſu in Eccleſiam arcebantur. Hic primus gradus pœnitentię πρόσκλαυσις id eſt, *Anteploratio* appellabatur.

Poſt vnum aut alterum annum pœnitentiæ exactum in primo illo gradu, dabatur pœnitenti licentia ingrediendi Eccleſiam, ſed ſtabat inter pœnitentes non longè ab Eccleſię foribus, procul à ſacra menſa. Hic ſecundus pœnitentiæ gradus vocabatur ἀκρόασις, id eſt, *Auditio*, quia ex loco ipſis aſſignato poterant audire prędicationem: at precibus non intererant.

Huic ſecundo gradui pœnitentię (qui ſępe ad biennium aut triennium extendebatur) ſuccedebat tertius gradus qui ὑπόπτωσις dicebatur, quę vox *Proſtrationem* aut *Procidentiam* ſignificat quia fiebat flexo genu. Bellarminus linguæ Gręcę rudis libro primo de Pœnitentia cap. 22. ὑπόπτωσιν vertit *Contēplationem*. Eis qui obibant hunc pœnitētiæ gradum, fas erat audire concionem, & intereſſe precibus, at non participare Euchariſtiæ.

Hoc gradu peracto concedebatur pœnitenti proprior acceſſus ad ſacram menſam, quę erat ſepta cancellis, poterantque videre communicantes ſacris myſterijs, at non eorum eſſe participes. Hic poſtremus gradus σύστασις, id eſt, *Conſiſtentia* ſeu

Conſtitutio appellabatur.

Quo gradu peracto tandem impoſitione manuum Epiſcopi pœnitens recõciliabatur Eccleſię & ad ſacram cõmunionem admittebatur. Id fiebat multo cum gemitu & ſuſpirijs cleri & populi, qui multis precibus & ſummiſſo geſtu, intercedebat apud Deum pro pœnitente. Epiſcopus autem non dicebat pœnitenti *Abſoluo te à tuis peccatis*. Et hæ pœnę pręcedebant reconciliationem: Secus at nunc fit in Eccleſia Romana in qua Abſolutio Satisfactionem antecedit. Hęc omnia prolixè deſcribuntur à Sozomeño lib. 7. cap. 16.

Exemplum inſigne pœnitentiæ publicæ habemus in Fabiola nobiliſſima fœmina Romana, quæ priori marito dimiſſo animum ad ſecũdas nuptias adiecerat. Eius pœnitentiam deſcribit Hieronymus epiſtola ad Oceanum, Epitaphio Fabiolę. *Saccum* (inquit) *induit vt errorem publicè fateretur: ſtetit in ordine pœnitentium, Epiſcopo, Preſbyteris, & omni populo collacrymantibus, ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmittens*. Optatus Mileuitanus lib. 2. ſub

finem, inuehitur in Donatiſtas qui innocentes & inuitos trahebant ad publicam pœnitentiam.

Horum pœnitentium locus erat à fidelibus ſeparatus: pulla veſte erant induti ad ignominiam, cilicio tecti, capite detonſo, exceptis fœminis, quę erant ſparſo crine, facie velata.

In impletione horum graduum, multi anni inſumebantur, & ad octo aut decem annos aut etiam plures pœnitentia extendebatur, pro grauitate peccati. Interdum tamen Epiſcopi mitius agebant cum aliquibus, minuentes tempus pœnitentiæ, quæ imminutio Indulgentia appellabatur. Vt verè docet Nauarrus Commentario de Indulgentijs & Iobel pag. 567. *Ordinarius* * *olim ſolum dabat indulgentiã ad relaxandum pœnitentias iniunctas.*

Huius diſciplinæ ſtupenda ſeueritas, occaſionem dedit veteribus Chriſtianis differendi Baptiſmum vſque ad prouectam ætatem, quandoque etiam vſque ad mortem: nam ſoli baptizati his canonibus pœnitentiæ publicę erant a-

*Id eſt, Epiſcopus.

ſtricti. Inde ipſis licentia vitę diſſolutæ & effręnis. Conſtantinus Magnus baptizatus eſt in lecto, paulo antequam animam efflaret: eiuſque filius Conſtantius. Satyrus frater Ambroſij iam grandis & prouectę ętatis baptiſmum accepit. Valentianus II. Imperator obijt non baptizatus. Pręſto erant plurimi ſacerdotes à quibus poterat baptizari: Sed cupiebat baptizari ab Ambroſio: qui dum accerſitur Mediolano, inter moras Valentinianus diem clauſit. Ambroſium enim tantopere venerabatur, vt ſoleret eum Redemptorem ſuum appellare: teſte ipſo Ambroſio, ad calcem funebris orationis de obitu Valentiniani, vbi ſic eum affatur. *Tu me non ſolum vt parentem diligebas ſed vt redēptorem & liberatorem ſperabas.* Quod quidem, nolim à vero ſancto dictum. Et de hoc Imperatore quamuis non baptizato, ibidem loquitur vt de homine compote cæleſtis gloriæ, & cupit illius animam ſuæ animę adiungi, iuxta illud Chriſti, *Peto vt vbi ego fuero ſint & illi mecum.* In quo vix excuſari poteſt.

Hos autem Canones pœnitentiales eſſe perantiquos conſtat. Nam Synodus Nicena habita anno Chriſti 325. hos canones pœnitentiales præſcribit can. 11. & 12. Nec tamen tunc primùm hęc diſciplina eſt inſtituta. Extat enim Epiſtola Canonica Gregorij Thaumaturgi Neocæſarienſis Epiſcopi, in qua hi gradus pœnitentiæ diſtinctè ponuntur. Fuit autem hic Gregorius annis nonaginta Synodo Nicęna antiquior.

LIBER

LIBER QVARTVS

DE ABSOLVTIONE SACRAMENTALI.

CAPVT I.

De certitudine remiſſionis peccatorum, & fide iuſtificante.

SYNODVS Tridentina Seſſione VI. Can. 13. 14. & 15. Anathemate ferit dicentes neceſſarium eſſe ad ſalutem credere ſibi remiſſa eſſe peccata. Et cap. 12. ſic definit Synodus. *Nemo vſque adeo præſumere debet vt certò ſtatuat ſe omnino eſſe de numero prædeſtinatorum.*

Hanc doctrinam tuetur Bellarminus lib. 1. de Iuſtificatione cap. 4. §. *Itaque.*

Ibi impugnans certitudinem remiſſionis peccatorum, dicit *Certam promiſſionem ſpecialis miſericordiæ, non tã ad fidem quam ad præſũptionem pertinere.* Capite vero quinto § *Quod autem*, fidem vertit in vmbratilem quendam aſſenſum quo aſſentimur rei ignotæ. *Fides* (inquit) *non eſt propriè notitia, ſed aſſenſus in rem etiam incognitam.* Et cap. 7. §. *Iudicium. Fides diſtinguitur contra ſcientiam, & melius per ignorantiam quam per notitiam definitur.* At Chriſtus fidem & notitiam coniungit vt res indiuiduo vinculo copulatas. Ioh. 10.38. *Vt cognoſcatis & credatis Patrem in me eſſe & me in eo.* Et cap. 17. 8. *cognouerunt me à te exiuiſſe, & crediderunt.* Et Petrus Ioh. 6.69. *Credidimus & nouimus te eſſe Chriſtum, Filium Dei viuentis.* Quid quod Deus Eſaiæ cap. 53. 11. fidem vocat cognitionem? de Chriſto enim ſic loquitur, *Iuſtus ſeruus meus multos iuſtificabit cognitione ſui.* Paulus dicit nos fide in Chriſtum iuſtificari: Rom. 5.1. Deus verò dicit nos cognitione Chriſti iuſtificari. Fides igitur eſt cognitio. Qui vero fidem negant eſſe cognitionem & volunt eam

conſtare ignorantia, definientes fidem eſſe tantum aſſenſum quo creduntur eſſe vera quæ verbo Dei continentur quamuis ignota, nihil tribuunt fidei quod diabolis non conueniat, qui ſciunt omnia eſſe vera quæ verbo Dei continentur, & eis aſſentiuntur. Qui tamen hac in re præſtant ijs qui credunt quæ ignorant. Diaboli enim aſſentiuntur rebus quas ſciunt.

Hanc quidem fidem quę conſtat ignorantia facile eſt adipiſci, nam quid facilius quam nihil diſcere? Errauerit ergo Paulus Apoſtolus quando fidem dixit eſſe gratiam Dei & donum Epheſ. 2. 8. Nam quis vnquam niſi mente captus, ignorantiam poneret inter Dei dona, & beneficia? Hæc nempe eſt fides illa ſubleſta & inanis, quæ *implicita* vulgò appellatur, qua miſer populus credit Eccleſiæ, neſciens quid credat Eccleſia, nec quid debeat credere, nec quibus indicijs vera & Orthodoxa Eccleſia ab impuris dignoſcatur: veſtiens affectatam ignorantiam titulo docilitatis & obedientiæ. Quę ignorantia laicorum plurimum confert clero ad lucrũ & dignitatem. Nam in-

de fit vt populus animi pendeat, & in illa fluctuatione ancipiti, confugiat ad ſacerdotes & Prælatos, habentes (vt volunt) poteſtatem remittendi peccata. Facilius circunducitur cæcus, & homini oculis capto facilius crumena amputatur. Quod ſi populus certò crederet, pœnitenti & conuerſo peccata remitti per Chriſti fidem, non emeret indulgentias, nec peteret à Parocho remiſſionem peccatorum.

Petrus Apoſtolus prædicans Euangelium Cornelio eiuſque familiæ, vna hac ſententia totam Euangelij doctrinam complexus eſt, ſic loquens. *Huic* [Chriſto] *omnes Prophetæ teſtimoniũ perhibent, remiſſionem peccatorum accepturos per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Tam ſanctam & piam ſentẽtiam, & quæ eſt fidei Chriſtianæ ſolidum fundamentum, Bellarminus, vir tantus, Romæ ſcribens, ſub Papæ oculis, auſus eſt impugnare lib. 1. de pœnitentia cap. 6. §. *Secundò*, ſic loquens. *Nuſquam in Ambroſio inuenitur modus ille loquendi Lutheranorum proprius, Miniſterio Euangelij remiſſionem peccatorum annuntiari.* Et eodem capite §. *Octauò. Con-*

cilium Tridentinum negat fidem qua quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata veram eſſe fidem Euangelio conceptam, cum niſi figmentum Lutheranorũ iurè dici poſſit. Et paulo poſt, *Ex Euangelio fides illa concipi non poteſt qua quis certò credat ſibi remiſſa eſſe peccata.* Et cap. 8. §. *Hæc igitur. Eſt igitur fides vere iuſtificans non qua credimus Deũ nobis eſſe propitium.* Cenſet autem, veram fidem iuſtificantem poſſe eſſe abſque bonis operibus. *Fides* (inquit) *ſine operibus non eſt falſa, ſed vera, tametſi mortua dicatur.* Lib. 5. de Gratia & libero arbitrio cap. 9. §. *Sanctus Hieronymus.* At Paulus Rom. 14. dicit, *quicquid fit ſine fide eſſe peccatum.* Et ad Galat. 5. 6. de vera fide loquens dicit *eam operari per charitatem.*

Suam vero ſententiam qua negat Euangelij Miniſterio annuntiari remiſſionem peccatorum, & dicit eam non eſſe veram fidem qua quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata inde conatur probare, quia etſi Euangelium promittit remiſſionem peccatorum omni verè pœnitenti, tamen vtrum hic aut ille veram pœnitentiam habeat nuſquam dicit. Id quidem

perabſurdè. Pari enim ratione dici poſſet Titium & Męuium non eſſe obnoxios legi Dei,quia in lege Dei nomina eorum non habentur. Sic ſi rex publico edicto pollicetur omnibus militibus ſtrenuè pugnaturis duplex ſtipendium, nemo teneretur credere huic promiſſioni, quia in hoc edicto ſinguli non nominãtur. Cum Papa promulgat bullas cruciatæ quibus promittit remiſſionem peccatorum & regnum cæleſte, omnibus qui ſe cruce ſignabunt in bello aduerſus hæreticos aut Mahumetanos, vult id credi à ſingulis, quãuis ſingulorum nomina in Bulla non contineantur. Nempe promiſſionibus generalibus quæ fiunt à Deo ſub conditione, omnes debent credere & eas ſibi applicare, quibus ineſt conditio quam Deus requirit, nempe vera fides in Chriſtum & ſeria pœnitentia.

Poſſe autem peccatorem pœnitentem cognoſcere ſe habere veram fidem docet Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 13. 5. *Vos ipſos explorate an ſitis in fide.* Nemo enim niſi fatuus ſe explorat & excutit in re quæ cognoſci non poteſt. Tum idem Apoſto-

lus ad Rom. 8. 15. & 16. dicit nos per ſpiritum adoptionis inclamare Deum, & vocare Patrem. Et hunc ſpiritum teſtari in cordibus noſtris nos eſſe filios Dei. Ideoque idem Spiritus inhabitans corda vocatur ab eodem Apoſtolo, arrhabo hæreditatis noſtræ, & ſigillum quo Deus nos obſignat, 2. Corinth. 1. 22. Et ad Epheſ. cap. 4. verſ. 30. Ideoque Chriſtus hunc Spiritum vocat Conſolatorem, quippe qui occulta lętitia corda mulcet & perfundit.

At Bellarminus (horreſco referens) hæc omnia difflat, & vt inania contẽnit quaſi teſtimonium illud Spiritus eſſet fallax, & ſigillum inane. Nam lib. 1. de Iuſtificatione §. *Adde quod ſecundum*, hęc habet, *Quis eſt qui certò affirmare queat ſe toto corde, atque vt oportet, credere & fidem habere viuam & cum charitate coniunctam?* Ieſuitarum coryphæus fatetur ſe neſcire an ſua fides ſit viua an mortua: immo cenſet id ſciri non poſſe. Libro vero tertio de Iuſtificatione cap. 13. §. *Reſpondeo*, prodit ſuam anxietatem, ſic loquens, *Quis certus eſſe poteſt certitudine fidei ſe Spi-*

ritū in habitentem habere? Fatetur Ieſuita ſe neſcire quo ſpiritu agatur, & ſe ignorare quo ſpiritu impulſore ſcripſerit de controuerſijs, an Dei ſpiritu, an verò contrario. Ingenuè. At non debuerat ex malo ſtatu ſuæ conſcientię iudicare de alienis; nec limites figere efficaciæ Spiritus adoptionis, quo Deus obſignat ſuos filios.

Fateor quidem inueniri exempla hominum qui viuentes intemperanter & iniuſtè ſibi falſa ſpe blandiuntur, & ſecuritatis puluillo indormientes ſibi falsò ſpondent remiſſionem peccatorum. Sed ſi quidam habent nummos adulterinos, non poteſt inde colligi, neminem eſſe qui habeat probos. Exempla habemus in Dauide & Paulo, qui de ſua ſalute & remiſſione peccatorum tanta cum fiducia loquuntur: Et in Martyribus, in quibus fides & ardor amoris Dei ſuperauit ardorem flammarum. Quod nunquam feciſſent niſi interno Spiritus ſancti teſtimonio fuiſſent roborati, & firma fide ſuffulti.

Hęc libuit præfari ante tractatum de Abſolutione Sacramentali. Quia Pontificij efficaciam quam ademerunt Euan-

gelio & veræ fidei, tranſtulerunt ad Abſolutionem Sacramentalem, per quam Sacerdotes largiuntur remiſſionem peccatorum, authoritate iudiciaria, de qua nefas ſit dubitare.

CAP. II.

Sententia Eccleſiæ Romanæ de poteſtate Sacerdotum in remittendis peccatis anthoritate iudiciaria.

SEntentia Synodi Tridentinæ Seſſione XIV. eſt, Sacerdotes non tantùm eſſe præ cones gratiæ & adminiſtros, ſed etiam eſſe iudices habentes poteſtatem remittendi peccata authoritate iudiciaria. Vbi tamen non obſcuro indicio colligitur, conditores Actorum huius Synodi ſubpuduiſſe ſuæ doctrinæ. Nam capite quinto ſic loquuntur, *Dominus ſacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit* T A N-Q V A M *præſides & iudices*. Et cap. 6. *Abſolutio ſacerdotis eſt* A D I N S T A R *actus iudicialis*. Quæ voces *tanquā* & *ad inſtar* produnt Patrum hæſitationem.

At Papę mancipia inter quos Ieſuitę

ordinem ducunt, abſolutè & ſine circuitione aſſerunt ſacerdotes eſſe iudices, remittentes peccata confitentibus iudiciaria authoritate. Ideoque munus & poteſtatem datam ſacerdotibus ſolent nuncupare *tribunal*, & pertendunt neminem qui poſt Baptiſmum commiſit peccatum mortale, poſſe à Deo conſequi remiſſionem peccatorum, niſi eam accipiat à Sacerdotibus.

Bellarmini verba ſunt lib 3. de Pœnit. cap.2. §. *Propoſitio. Chriſtus inſtituit ſacerdotes iudices ſuper terrã: cum ea poteſtate vt ſine ipſorum ſententia nemo poſt Baptiſmum lapſus reconciliari poſſit.* Et §. *Sed hæc. Peccata omnia cauſæ ſunt quas cum Deo ipſo habemus: & ideo cum iudicium de peccatis ſacerdotibus permiſerit, non poſſunt qui in Eccleſia ſunt, ſi eiuſmodi cauſas habeant, ſine ſacerdotum iudicio cum Deo reconciliari.*

Idem docet Coſterus Ieſuita Enchiridio, cap. de Pœnitentiæ Sacramento, *Deus* (inquit) *ſacerdotes iudices eſſe voluit, qui vice ſua peccata cognoſcerent, eaque vel abſoluerent vel retinerent.* Talis eſt Eccleſiæ Romanæ conſuetudo. Nam Sacer-

dos audita confeſſione pœnitentis, dicit ei, *Abſoluo te à tuis peccatis*, loquens iudicis authoritate, & irrogans pro arbitrio pœnas ſatisfactorias.

Horrenda ſunt quę Vazquez Ieſuita dicit in tertiam partem Thomę quęſt. 84. Articulo 3. ſentētiam Dei quam pronuntiat in cœlo non abſoluere peccatorem, ſed tantùm approbare ſententiam ſacerdotis, & non efficere remiſſionem peccatorum. *Sententia* (inquit) *Dei in cœlis non ſoluit, ſed approbat quod ſolutum eſt à ſacerdote.* Si huic creditur Deus non eſt iudex, ſed tantum approbator ſententiæ ſacerdotis, quem tamen ſępe iniuſtè iudicare fatentur aduerſarij.

Quin & Bellarminus* eo vſque proceſſit impietatis, vt diceret, *ſacerdotium in Chriſtum eſſe tranſlatum, ſed Chriſtum non per ſe ſed per Miniſtros fungi Sacerdotio.* Auſus eſt Ieſuita ſe opponere Apoſtolo ad Hębręos cap. 9.24. vbi diſſerens de Chriſti ſacerdotio, dicit eum ingreſſum cæleſte ſacrarium vt pro nobis cōpareat, & pro nobis intercedat, quod quidem munus eſt Sacerdotis. Dici non poteſt

* Lib.3.de Pœnit.cap.3.S. Ad ſolutionem.

abſque blaſphemia Chriſtum ſedentem ad dextram Patris,non fungi per ſe & immediatè munere Sacerdotis:ſed hoc munus tranſtuliſſe ad ſacerdotes. Porrò Ieſuita dicens ſacerdotium in Chriſtum eſſe tranſlatum; debuerat dicere quis ſit ille à quo in Chriſtum tranſlatum ſit.

Quod ſi Chriſtus tranſtuliſſet à ſe in Sacerdotes munus iudicandi de peccatis, aut exercitium, ſine dubio inſtruxiſſet illos virtute & ſciētia infallibili, per quam in iudicando errare non poſſent. At ſępe errant vt dicit Lombard.l.4. Diſt.18.F *Deus non ſemper ſequitur iudicium Eccleſiæ quæ per ſurreptionem & ignorantiā interdum iudicat.* Idem fatetur Innocentius III. Papa. Cap. *A nobis*, De ſententia Excommunicationis. Tit. 39. *Iudicium* (inquit) *Eccleſiæ nonunquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit & falli. Propter quod contingit interdum vt qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus: & qui liber eſt apud Deum Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus.*

Chriſtus quidem ſæpe patitur Baptiſmum adminiſtrari à malis Miniſtris, ſed

id non faciunt vt iudices, verum vt præcones gratiæ & adminiſtri.

Vazquez Ieſuita in tertiam partem Thomæ quęſt. 84. Art. 3. pag. 13. rem dicit apprime memorandam. Nempe Papam Pium V. & Gregorium XIII. bulla peculiari damnaſſe propoſitiones Michaelis Baij Decani Louanienſis, quarum vna hęc eſt. *Peccator pœnitens non viuificatur miniſterio ſacerdotis abſoluentis, ſed à ſolo Deo qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans viuificat eum, & reſuſcitat.* Pia ſane oratio, Dei ſoli tribuens efficaciam viuificandi & regenerandi peccatorem. Quam tamen ſententiam duo Pontifices Romani damnarunt vt erroneam, tribuentes ſacerdoti vim viuificandi mortuos in peccato. Hoc quidem eſt θεομαχεῖν, & tribuere ſacerdotibus mortuis in peccato, vim viuificandi animas hominum peccatorum. Nam multos ſacerdotes eſſe prauis moribus vitæque diſſolutæ fatentur aduerſarij. Sępe accidit vt cynædus remittat peccata ſcortatori, & ſacrilegus furi.

CAP. III.

Hæc doctrina impugnatur, & probatur Sacerdotes non poſſe remittere peccata.

HÆc doctrina per quam homines peccatores & ignari, ſe ſupra Deum extollunt, & ſedent iudices in cauſa in qua Deus eſt actor & pars offenſa, Deo bellum indicit & eſt pars pręcipua myſterij iniquitatis.

1. Principio certum eſt ſolius Dei eſſe remittere peccata. Scribæ non credentes Chriſtum eſſe Deum, indignabantur quod Chriſtus peccata remitteret, dicentes, *Cur hic profert blaſphemias? nam quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus?* Matt. 9. & Marc. 2. 7. Eos autem verum dixiſſe agnoſcit Toletus * Cardinalis Ieſuita. *Iudæi* (inquit) *vt ſoli Deo conuenienc Chriſto opponebant quod peccata dimitteret, & vera dicebant.* Et Ianſenius Concordantiæ cap. 32. pag. 207. in hunc locum ſic ait, *In Scripturis remittere peccata ſoli Deo tribuitur.* Et Auguſtinus vige-

* Tolet. Inſtruct. Sacerd. l. 1. c. 2. ſ. Differunt.

ſima tertia homiliarum 50. *Illi nouerant hominẽ peccata non dimittere.* Et paulo poſt. *Tenete quia homo non poteſt peccata dimittere. Illa quæ ſibi à Chriſto peccata dimitti credidit, Chriſtũ non hominem tantùm ſed & Deum credidit.* Eademque homilia ſic inuehitur in eos qui ſibi arrogant poteſtatem remittendi peccata. *Quid es homo niſi æger ſanandus? Vis mihi eſſe medicus? mecum quære medicum.*

2. Nec vſpiam inuenies vllum Apoſtolum aut Euangeliſtam dixiſſe vlli pœnitenti, *Abſoluo te à tuis peccatis*, fatente ipſo Bellarmina l. 1. de Pœnitentia cap. 11. §. *Addit. Non leguntur* (inquit) *Apoſtoli peccata cuiquam remiſiſſe.*

3. Paulus quidem ignouit inceſto Corinthio, & voluit ei ignoſci à Corinthijs. Sed ibi non agitur de remiſſione peccati coram Dei tribunali, nec de Abſolutione per Sacramentum pœnitentiæ, ſed de remiſſione pœnæ Eccleſiaſticæ per quam pœnitens reconciliatur Eccleſiæ.

4. In oratione Dominica ſoli Deo dicimus *Remitte nobis debita noſtra.* Quod ſi fas eſt peccatoribus dicere Sacerdoti,

Remitte nobis peccata noſtra, cur non perinde fas erit ei dicere, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, & *ne nos inducas in tentationem?*

5. Dauid Pſalmo 51. dicit Deo, *Tibi ſoli peccaui.* A ſolo Deo petit remiſſionem peccati. Ad eum enim pertinet remiſſio offenſę quem offendimus. At pœnitens Deum offendit, non verò Sacerdotem.

6. Deus eſt Legiſlator noſter, cuius legem violauimus, ab eo ſolo petenda eſt remiſſio qui legem tulit: & cui reddendæ ſunt εὐθῦναι, noſtrarum actionum & cogitationum.

7. Is ſolus poteſt eſſe iudex animarum qui habet animas in ſua poteſtate, & qui poteſt eas punire pœnis proportionatis peccato.

8. De Deo ſic loquitur Michęas Propheta cap. 7. 28. *Quis eſt Deus fortis tibi ſimilis qui aufers iniquitatem & tranſis peccatum?* Et Daniel cap. 9. 31. Deum ſic affatur, *Remiſſiones ſunt Domini*, id eſt ad eum pertinent. Ipſe Deus de ſe ſic loquitur Eſaiæ cap. 43. 25. *Ego ſum, ego ſum qui deleo*

leo iniquitates propter me ipſum & peccatorum tuorum non recordabor. Chriſtus habet clauem Dauidis: aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Apocal. cap. 3. 7.

9. Is ſolus poteſt delere labes animæ, qui ſolus animas videt & corda cognoſcit, 2. Paralip. 6. 30. *Tu ſolus Deus noſti corda hominum.* Nam peccatum eſt labes animarum eiuſque ſedes eſt in corde. In hac poteſtate Deus non modo eſt primus, ſed ne quidem habet ſecundum: Nec quenquam in huius poteſtatis ſocietatem admittit.

10. Hac poteſtate iudiciaria quam ſibi ſacerdotes Romanenſes arrogant caruit Eccleſia veteris Teſtamenti, & ſine ea peccatores ſeruabantur. Peccatores pœnitentes à Deo immediatè remiſſionem conſequebantur; nec pendebant, vt nunc, ab intentione ſacerdotis: nec ad ſcrupuloſam ſuorum peccatorum dinumerationem aſtringebantur. Nec obnoxij erant pœnis indictis à ſacerdote, qui ſæpe nequior eſt confitente, & qui ſæpe iudicat contra ius & fas: & qui iudicat de

rebus ignotis, neſciens an vera ſit an ſubdola & ſimulata peccatoris confeſſio. Enimuero cum Apoſtolus ad Hebręos* nouum fœdus dicat eſſe præſtantius veteri, non eſt cōſentaneum melius actum cum Eccleſia veteri, & deteriorem eſſe conditionem Eccleſiæ Chriſtianæ.

11. Ipſa Synodus Tridētina, Seſſ.XIV. cap. 4. ea dicit de Contritione quæ Abſolutionem reddunt irritam. Dicit enim ſeriam contritionem hominem Deo reccōciliare ante perceptionem Sacramenti. Ergo abſolutione Sacramentali abſoluitur qui iam reconciliatus eſt Deo & abſolutus. Sic Sacerdos actum agit. Non eſt autem dubium quin quod à Deo fit ſit longè præſtātius eo quod fit à Sacerdote.

12. Quid quod per hanc doctrinam Deus inſimulatur inſipientiæ? Nam ſi quis herus multorum ſeruorum diceret vni de ſeruis ſuis *Do tibi poteſtatem remittendi omnes offenſas & contumelias quibus conſerui tui me afficient*, is proculdubio mentis impos, & ſtultus haberetur. Eiuſmodi ſeruus plus timendus eſſet domino, qui per id exibilaretur à ſeruis, & riſui ex-

* Heb. 7. 22. & cap. 8, 6.

poneretur. Nempe quę in ſocietate humana eſſent ridicula & iniuſta, in Dei cultu habentur iuſta & plena ſapientiæ. Omnino ſi quis eſſet in Gallia qui haberet poteſtatem remittendi omnia crimina quæ committuntur in regem, is eſſet maior Rege & potentior. Ignoſcens perduellibus rege inconſulto tacitè diceret regi, *Iubeo hos proditores eſſe indemnes. Tu autem rex, mihi debes hac in re obſequi, quia mihi dediſti hanc poteſtatem.*

13. Quod ſi duo ſerui peccauerint in dominum, an poterit vnus illorum condonare alteri culpam? Sunt autem Sacerdotes peccatores & rei coram Deo. An (vt fit in Eccleſia Romana) poterunt ſibi inuicem ignoſcere? An ſi duo ſontes perduellionis rei ſimul conſpirauerint in regem, vnus poterit dicere alteri, *Abſoluo te à tuis peccatis?* An rex ad tale iudicium aſtringeretur? Res eſſet ridicula, ſi alter horum ſontium conſcenſo tribunali diceret alteri, *Libero te à culpa, & capitis periculo.*

14. Cum autem decretum de remittendis peccatis Titio & Mæuio ſit ęter-

num & immutabile, & Sacerdoti ignotum, ſi Sacerdos abſoluit hominem quem Deus ab æterno reprobauit, aut negat abſolutionem electo, an ſacerdotis ſententia refiget Dei decretum? An Deus tenebitur perdere electum aut ſeruare reprobum?

15. An æquum eſt velle vt abſolutus à ſacerdote certò credat (vt vult Synodus Trid.) ſibi remiſſa eſſe peccata, cum ipſi Sacerdotes profiteantur ſe dubitare de remiſſione ſuorum peccatorum? Docent enim neminem ſine peculiari reuelatione poſſe eſſe certum de ſua ſalute & remiſſione ſuorum peccatorum. Synodus Trid. Seſſ. V. can. 13. & 15. ferit anathemate eos qui dicũt neceſſarium eſſe peccatori ad aſſequendam remiſſionem peccatorum credere ſibi remiſſa eſſe peccata, & ſe eſſe prædeſtinatum.

16. Quod ſi Deus dediſſet ſacerdotibus poteſtatem iudicandi de hominum peccatis & ea remittẽdi aut retinẽdi, proculdubio dediſſet eis cognitionem earũ rerum de quibus iudicant, ne iudicent de rebus ignotis. Iudex cæcutit, qui iudicat

de re ſibi ignota. At Sacerdos ignorat quale aut quantum ſit peccatum de quo iudicat. Ignorat enim internos animi motus & affectus, in quibus poſita eſt natura peccati. Peccatum eſt labes animæ, quæ ſacerdotis oculos effugit. Nec nouit an peccator verè conteratur, & an vera & integra ſit eius confeſſio. Horum enim non poteſt habere cognitionem niſi ex indicijs externis quæ ſæpe ſunt fallacia & obſcura. Quicunque vult finem, vult quoque media ſine quibus ad finem non poteſt perueniri. Si Deus vellet ſacerdotes eſſe iudices animarum, daret eis media ſine quibus non poſſunt iudicare.

17. Quo tandem modo ſacerdos poſſet peruidere arcana conſcientiæ alienæ, cum ipſe peccator confitens ſæpe ignoret naturam & grauitatem ſuorum peccatorum, & plerunque putet ea eſſe leuicula nec opus habentia contritione & abſolutione quæ Deus iudicat eſſe grauiſſima?

18. Nec poteſt Sacerdos ſcire an peccator cui poſt abſolutionem indixit pœnas ſatisfactorias, eas impleturus ſit bona fide. Nam ſi eas non implet, caſſa ſit ab-

ſolutio, vt pote data ſub hac conditione. Si verò eam implet, non poteſt ſacerdos ſcire an per iſtas pœnas Deo ſatisfiat, & an idonea ſit & ſufficiens apud Deum hęc ſatisfactio.

19. Non potuit igitur Synodus Trid. certiori indicio probare ſacerdotes non eſſe iudices, quàm dicendo eos non poſſe iudicare de hominum peccatis, niſi habeant perfectam cognitionem omnium peccatorum quorum memoria ſuccurrit, & circunſtantiarum.

20. Quod ſi quis fugitans, & vt rei aſperitatem verbis lenioribus mitiget, dicat ſacerdotes non remittere peccata abſolutè ſed tantum conditionaliter, dicendo cõfitenti, *Abſoluo te à tuis peccatis*, ſed ſubintelligendo apud ſe, ſi habes perfectam contritionem, & dummodo tua confeſſio ſit integra & non ſimulata, & dummodo impleas Satisfactiones quas tibi iniungo: hoc ipſo fatebitur ſacerdotes non eſſe iudices. Nunquam enim iudex cui ſit mica bonæ mentis pronuntiabit ſententias conditionales dicendo, *Hunc abſoluo ſi ſit innocens. Hunc damno ſi eſt bo-*

micida, an vero ſit homicida ignoro.

21. Toletus* in hanc rem dicit Sacerdotem apponere Abſolutioni tres conditiones vnam ſi feciſti, alteram ſi ita eſt, tertiam ſi hoc facies. Eius verba ſunt *Triplex conditio poteſt apponi abſolutioni, vna eſt de præterito, vt ſi feciſti hoc, ego te abſoluo, altera eſt de præſenti, vt ſi ita eſt ego te abſoluo: tertia de futuro, vt ego te abſoluo ſi hoc feceris.* Hæc cum incerta ſint oportet abſolutionem ex incertis conditionibus eſſe ſuſpenſam. Maldonatus vult ſacerdotem dicere apud ſe, *Te abſoluo quantùm in me eſt.* Suarez vult eum ſupplere *Abſoluo te niſi tu ipſe ponas impedimentum.* Hi omnes volunt abſolutionem eſſe conditionalem ac proinde incertam. Toletus debuerat afferre quartam conditionem. *Si Deus vult & approbat.*

22. At Nauarrus † his ſapientior dãnat abſolutiones conditionales. *Confeſſarius* (inquit) *qui abſoluit ſacramentaliter ſub conditione rei futuræ delinquit, quia abſolutio eſſet incerta.* Et tuetur ſe authoritates D. Antonini.

*Lib. 3. de Inſtr. Sacerd. c. 12. † Nauarr. Conſil. l. 5. p. 244.

23. Quod ſi Sacerdos CERTISSIME confert remiſſionem peccatorum dignè accedentibus, vt dicit Synodus Tridentina Seſſ. 14. cap 5. inde planè ſequitur, ſi ſacerdos abſoluat morientem, ei quoque dare vitam æternam, vnum enim ſequitur ex altero. Sic Sacerdos erit ſeruator animæ, & dabit gratiam quæ vltra mortem extenditur. Id non credidit Ambroſius. Nam tractatu de exhortatione ad pœnitentiam hæc habet. *Qui poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ acceperit pœnitentiam, & mox reconciliatus fuerit & vadit, fateor vobis non illi negamus quod petit. Sed non præſumo dicere quia bene hinc exit: Non præſumo, non polliceor, non dico, non vos fallo.*

24. Sacerdotem vero non habere poteſtatem in animas, hinc liquet, quod nullas pœnas infligit niſi corporeas.

25. Quis verò ſit fructus huius doctrinæ cognoſcitur experimento. Nam inde homines fiunt nequiores. Ruunt effrænes in peccata, & laxant fibulam intemperantiæ quia ſibi ſpondent à Confeſſario certam remiſſionem omnium pecca-

torum. Querela hæc eſt Auguſtini Epiſt. 54. ad Macedonium. *In tantùm* (inquit) *hominũ aliquando iniquitas progreditur, vt poſt actam pœnitentiam, poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia vel grauiora committant.*

26. Ex his facile eſt colligere quanta anxietate torqueãtur animi cõfitentium, vt poſt Medinam & Adrianum VI. agnoſcit Vazquez Ieſuita in tertiam partem Thomæ quæſt. 90. Artit. 1. §. *Secundò non.* Verba Adriani ſunt. *Non eſſe tutiorem viã Confeſſionis, immo eſſe minus certam, quia ex parte ſacerdotis abſoluentis multa incerta ſunt. An ſit ſacerdos, An habeat authoritatem, & iuriſdictionem. An habeat intentionem.*

27. Hic ego appello conſcientias ſtupentes, & ſuperſtitioni incoctas. Apoſtolus 2. ad Corinthios cap. 5. 10. dicit *oportere nos omnes cõparere coram tribunali Chriſti vt vnuſquiſque reportet quæ in corpore fecerit vel bonum vel malum.* Et Chriſtus dicit nos reddituros rationem, vel verborum otioſorum. Matt. 12. 36. Sit ergo aliquis inceſtus, manticularius,

blaſphemus, homicida, quorum inter homines maxima eſt copia. Quando hic homo ſtabit coram tribunali Chriſti die iudicij, an poterit ſe tueri hac exceptione dicendo. Ego quidem, ô Iudex, patraui hęc ſcelera, ſed meus Parochus aut Epiſcopus dedit mihi horum criminum abſolutionem. Tanta ne eſt cuiuſquam vecordia & fatalis ſtupor, vt credat tali excuſatione poſſe ſatisfieri ſummo iudici? Immo verò inde pręgrauabitur eius crimen, & magna fiet ad eius peccata acceſſio, quod expetierit remiſſionem peccatorum ab homine qui iura Dei inuaſit, & ſperauerit ſe poſſe per iudicium hominis peccatoris, effugere iudicium Dei.

28. Nec debet eſſe Sacerdotum & Papæ in tuendo hoc Sacramento magna authoritas. Inde enim ipſis queſtus, & maximum emolumentum, nec aliud eſt certius aucupium. Hoc Sacramentum eſt præcipuum fundamentū imperij Papalis, & authoritatis ſacerdotum. Hîc aduerſarij non tam litigant pro aris quam pro focis. Per hoc Sacramentum ſacerdotes pernorunt arcana & labes familiarum.

Per hoc Sacramentum Papa inſultat capitibus Regum & nobiliſſimarum perſonarum. Quorum peccata poſtquam innotuerunt Papæ indicit eis pœnas corporeas, & mulctas pecuniarias, per quas regia Maieſtas proculatur & ad pedes Papæ abiicitur. Sic acceptus eſt à Papa Innocentio III. Henricus II. rex Angliæ, cęſus verberibus à Monachis Eccleſię Cantuarienſis, ſic iubente Papa. Hi monachi erant octoginta, quorum quidam quinos, quidam ternos ictus nudo regis tergo inflixerunt, qui grandi pecunia redemit à Papa abſolutionem & ne tonderetur. Hęc habentur apud Matthęum Paris, Monachum Albanenſem, in vita Henrici II. Baronius Annalibus, anno Chriſti 1056. §. 8. citat Reginaldum narrantem *Antiſtitem Annonis miſericordem ſine miſericordia, vehementiſſimis correctionibus inuaſiſſe Henricum II. Imperatorem, eumque duriſſimis verberum plagis affeciſſe.*

29. Cum autem prædicatio Euangelij, & adminiſtratio Sacramentorum ſint iuncta vinculo inſeparabili, in Eccleſia tamen Romana, plurimi ſacerdotes ca-

nunt Miſſas & adminiſtrant Sacramenta, & dant Abſolutionem quibus non datur facultas & licentia prædicandi. Hi (ſi eis creditur) Chriſtum faciunt, ſed non annuntiant. Chriſtum ſacrificant, at Chriſtum non prædicant.

30. Fingamus tamen tantiſper Chriſtum Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus dediſſe poteſtatem remittendi peccata authoritate iudiciaria. Nihil tamen aduerſarij per id efficerent. Nam vt mutatis ſeris claues fiunt inutiles, ita euaneſceret hęc poteſtas in Eccleſia Romana, quæ purgatorio, meritis, iuſtificatione per opera, indulgẽtijs, inuocatione ſanctorum, &c. corrupit doctrinam Euangelij, ex qua claues datæ Eccleſiæ ſuſpenſæ ſunt.

31. Quemadmodum igitur leproſi à Chriſto mundati, non ibant ad ſacerdotem vt mundarentur à lepra, ſed vt declararentur mundi, & admiſſibiles ad ſacros cœtus, ſic peccator pœnitens venit ad Paſtorem non vt mundetur à peccato, nec vt à Paſtore accipiat remiſſionem peccati, ſed vt ab eo accipiat conſilium & conſolationem, & vt (ſi opus eſt) pœnitentia

publica ſatisfaciat Eccleſiæ quam turbauit ſcandalo, eique reconcilietur.

32. Denique, vt rem in pauca conferamus, ſi peccator tangitur ſeria pœnitentia, & credit in Chriſtum & reſipiſcit, certiſſimum eſt eius peccata eſſe remiſſa per Chriſtum: cuius ſanguis nos purgat ab omni peccato, 1. Ioh. 1. *Quiſquis crediderit in Chriſtũ, accipiet in eius nomine remiſſionem peccatorum.* Nihil ei oberunt iniuſtæ excommunicationes, nihil diræ Papales, nihil bruta Vaticani fulmina. Viciſſim ſi Sacerdotes ſexcenti abſoluant hypocritam, aut ſi quis in Iubilæo accipiat plenam, pleniorem & pleniſſimam remiſſionem pœnę & culpæ, caſuũque reſeruatorum, non per id Deo recõciliabitur, nec ei proderit Sacramẽtalis abſolutio. Cuius vanitas inde agnoſcitur, quod ſine ea pij ſeruantur, & cum ea plurimi damnantur.

CAP. IV.

Sacerdotes remittẽtes peccata ſe ſupra Deũ extollere.

GRauiſſimum eſt quod per hanc doctrinam Deus ſubiicitur Sacerdoti,

& fit inferior ſacerdote. Nam vt ait Bellarminus, *peccata ſunt cauſa quas habemus cum Deo.* Ergo ſedet ſacerdos arbiter in Dei cauſa. Deus eſt actor conquerens ſibi factam iniuriam: ſacerdos eſt iudex. Fatetur quidem ſacerdos ſe hanc poteſtatem habere à Chriſto. Sed id refertur ad incrementum dignitatis ſacerdotum. Dicunt ſe ſeruire Chriſto vt hominibus imperent, & graui iugo premant cõſcientias, & inde conſectentur lucra, & rem faciant, accumulentque diuitias. Sic qui in Reipub. ſtudent rebus nouis, & ſuam poteſtatem augent regis diſpendio, dicunt ſe ſeruire regi & curare eius negotia. Sic Papa porrigens pedem oſculandum. Imperatoribus dicit ſe id facere in honorem Chriſti. Et Sacerdotes ſacrificantes Chriſtum, ſe ſupra Chriſtum extollunt. Maius enim eſt eſſe ſacerdotem quàm victimam. Aaron ſacrificans dignior erat agnis quos ſacrificabat. Hi agni erant typus & figura Chriſti hominis morituri pro nobis. At Aaron erat figura Chriſti qua Deus, offerens ſuam naturam humanam in ſacrificium: vt docet Apoſtolus

ad Hebræos cap. 9. dicens *Chriſtũ per Spiritum æternũ ſe ipſum obtuliſſe Deo.* Merito igitur Cyprianus libro de Lapſis §. 14. dicit hominem non poſſe aliis hominibus peccata remittere quia homo non poteſt eſſe maior Deo.

Nec id obſcurè fert Cornelius à Lapide Ieſuita Commentario in epiſtolam ad Hebræos cap. 9. verſ. 6. § *Obiicies. Adde* (inquit) *ſacerdotem quatenus gerit perſonam Chriſti ſacrificantis quodam modo maiorem eſſe ipſo Chriſto ſacrificato. In omni enim ſacrificio ſacerdos maior eſt ſua victima quam offert.* Ergo & in Miſſa. Ac ne quis putet hanc eſſe vnius Ieſuitæ ſententiam, præfixa eſt operibus Cornelij approbatio facultatis Theologicæ Ieſuitarum, & Cenſoris. Non eſt ergo mirandum ſi in Sacramento pœnitentiæ ſacerdotes idem faciant quod in Miſſa.

Eodem ſpiritu afflatus Gabriel Biel celebris inter Scolaſticos, Lectione prima in Canonem Miſſæ dicit Sacerdotem habere *inſignem poteſtatem in Chriſti corpus,* ſic loquens. *Super vtrũque corpus Chriſti ſacerdos inſignes habet poteſtates.* Hæc

habet Gabriel ex Thoma in quartum librum Sententiarum Diſt. 18. quęſt. prima Artic. 1. vbi hæc habentur. *Poteſtas quã habet ſacerdos ſuper corpus myſticum, deſcendit ex poteſtate quam habet ſuper corpus Chriſti verum.*

Hęc duo corpora Chriſti ſunt Chriſtus in Miſſa, & Eccleſia. Idemque Doctor Lectione 4. *Quis huius rei vidit ſimilia? Qui creauit me (ſi fas dicere) dedit mihi creare ſe. Et qui creauit me ſine me, creatur mediante me.*

Nonne Papa ſibi tribuens poteſtatem diſpenſandi in votis & iuramentis quæ fiunt Deo, ſe extollit ſupra Deum? Oportet maior ſit rege qui poteſt ſubditos regi, liberare à fide iurata regi.

Chriſtus loquitur per Apoſtolos, & ipſe de Apoſtolis dicit, *qui vos ſpernit me ſpernit.* Ergo cum Papa diſpenſat contra Apoſtolum, ſe extollit ſupra Chriſtum Vazquez Tomo III. Diſput. 216. cap. 5. Numero 61. pag. 364. *Papa & Eccleſia Romana poſſunt iuſtis de cauſis abrogare præcepta Apoſtolica.*

* Can Lect. in Gloſſa Innoc. III. Decret. De conceſ. Præbend. Tit. 8. cap. Propoſuit.

Andra-

Andradius lib. 2. Defenſionis Concil. Trid. *Liquet minime erraſſe eos, qui dicunt Romanos Pontifices poſſe nonnunquam in legibus diſpenſare à Paulo, & primis quatuor Concilijs*. Sexcēta eiuſmodi poſſemus afferre. Oportet maior ſit Chriſto, qui Chriſto dicente, *Bibite ex hoc omnes*, audet Chriſto aduerſari, dicens *Non bibetis ex hoc omnes. ſed ſoli Clerici & Reges.*

Bellarminus in Barklaium cap. 31. *In bono ſenſu dedit Chriſtus Petro* (ac proinde Papæ) *poteſtatem faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum.* Et libro de Romano Pontifice cap. 5. §. *Secundò. Si Papa erraret præcipiendo vitia vel prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere vitia eſſe bona, & virtutes malas, niſi vellet contra conſcientiam peccare.*

Sic qui Apoſtolo dicente *Epiſcopus ſit vir vnius vxoris*, vetat Epiſcopos eſſe vxoratos. Et qui contra tam multa Scripturæ loca, vetantia fingere Dei imagines, & adorare imagines, approbat Dei imagines, & cum Concilio Niceno II. iubet imagines adorari, oportet ſit Apoſtolo & ipſo Deo maior & ſapientior.

CAP. V.

Irregularitatem reddere Abſolutionem Sacramentalem incertam. Et de Intentione Sacerdotis.

NEc paruus eſt ſcrupulus quem Irregularitas inijcit conſcientijs. Irregularis dicitur qui non eſt idoneus ad ſacros ordines ſuſcipiendos aut exercēdos.

Irregularitatis plurimæ poſſunt eſſe cauſæ. In Eccleſia Romana irregularis eſt Hermaphroditus. Tum qui caret digitis quibus ducitur ſignum crucis. Et luſcus carens ſiniſtro oculo. Et cui manus ſunt tremulæ. Tum filij & nepotes hæreticorum, niſi habeant à Papa diſpenſationem. Sed & Eunuchus irregularis eſt, niſi eas partes corporis quę ipſi deſunt, exiccatas, aut in puluerem redactas, geſtet de zona dependulas. Quæ opinio cum ſit recepta in vulgus, eam tamen improbat gloſſa Canonis *Eunuchus*, Diſt. 55. Cur verò amiſſio ſiniſtri oculi afferat irregularitatem, non verò dextri, cauſa nobis ignota eſt. Oportet ſubſit aliquod myſterium.

Synodus Tridentina Seſſ. XIV. Can. 10. condemnat eos qui dicunt ſacerdotes qui ſunt in peccato mortali, non habere poteſtatem ligandi & ſoluendi, & remittendi peccata. Ergo in Eccleſia Romana ſacerdos erit inhabilis & irregularis ob defectum digiti, & ob manus tremulas, at non ob grauiſſima animi vitia. Et Sacerdos adulter abſoluet ſcortatores, & periurus remittet peccata mendacibus; idque coram Deo, & in Dei tribunali.

Sed nec cynædus in Eccleſia Romana eſt irregularis, eſt enim habilis ad ſacros ordines exercendos, & ad conficiendum & ſacrificandum corpus Chriſti, & ad remittenda peccata: vt prolixè docet Nauarrus Tomo II. in caput *In inferenda*: *Quia* (inquit) *hic caſus non eſt in iure expreſſus. Et quia Innocentius Papa ſic ſcribit. Et quia hæreſis mentalis eſt maius crimen, vt ait Thomas.*

Is quoque eſt irregularis, & mouetur ſacerdotio, qui vt pareat Apoſtolo iubenti vt incontinens ducat vxorem, animum ad nuptias adiicit. At non fit irregularis,

nec pellitur ſacerdotio qui multas habet concubinas. Id definiuit Papa Innocentius. *Extra.* De bigamis Titulo XXII. cap. *Quia circa.* Verba eius ſunt. *Poſtulaſti per ſedem Apoſtolicam edoceri ſi preſbyteri plures concubinas habentes bigami cenſeantur. Ad quod duximus reſpondendum, quod cum irregularitatem non incurrerint bigamia, cum eis tanquam ſimplici fornicatione notatis, quod ad executionem ſacerdotalis officij poteris diſpenſare.* Concinit Gloſſa Canonis Maximianus Diſt. 81. *Cōmuniter dicitur quod pro ſimplici fornicatione quis deponi non debet, cum pauci ſine illo vitio inueniantur.*

Reſpondetur, pæderaſtia & concubinatu non incurri irregularitatem, quia hæc non ſunt contra votum clericatus quo Sacerdotes ad caſtitatem ſeu votum cælibatus obligantur. Ergo cynędum eſſe & ſcortatorem, non repugnat voto ſacerdotum. Nec ſacerdos vouens caſtitatem, vouet abſtinentiam à ſcortatione. Rem ſane miram: quod qui habent næuos in corpore non admittuntur ad ſacerdotium, at qui laborant vitijs animi

horrendis & contra naturam, tolerantur, & abſque impedimento exercent ſacerdotium.

Hic ergo vehementi anxietate & ſcrupulo cruciantur qui à ſacerdote accipiunt remiſſionem peccatorum. Neſciũt enim an corpus ſacerdotis ſit integrum. Neſciunt an ſacerdos laboret aliquo næuo animi aut corporis per quod incidat in irregularitatem, & ſit incapax adminiſtrandi Sacramentum pœnitentiæ.

Adde dubitationem de intentione Sacerdotis. Nam ſi abſit intentio ſacerdotis abſoluentis, cenſent aduerſarij abſolutionem eſſe nullam & plane irritam. Id definit Eugenius Papa, in inſtructione ad Armenos quæ aſſuta eſt Concilio Florentino: & Synodus Tridentina Seſſ. VII. can. 11. Quæ intentio cum incerta ſit, & probabili tantùm coniectura præſumatur, impoſſibile eſt pœnitentem certum eſſe ſe accepiſſe veram abſolutionem. Id poſt Medinam & Adrianum VI. agnoſcit Vazquez Ieſuita in tertiam partem Thomæ quæſt. 90. Artic. 1. §. *Secundò non.* Verba Adriani ſunt. *Non eſſe tutiorem viam*

Confeſſionis, immo eſſe minus certam, quia ex parte ſacerdotis abſoluentis, multa incerta ſunt: An ſit ſacerdos, An habeat authoritatem & iuriſdictionem. An habeat intentionem. Succinit Bellarminus libro 3. de Iuſtificatione cap. 8. §. *Dicent. Neque poteſt* (inquit) *quis eſſe certus certitudine fidei ſe percepiſſe verum Sacramentum, cum Sacramentum non conficiatur ſine intentione Miniſtri, & intentionem alterius nemo videre poſſit.* Oportet magna ſit vis veritatis, quæ tanto Cardinali & Ieſuitæ tam ingenuam confeſſionem extorſerit. Ergo in Eccleſia Rom. nemo ſcit an ſit baptizatus, quia nemo nouit intentionem baptizantis. Nec ipſe ſacerdos ſcit an ſit ſacerdos, quia ignoratur intentio eius qui eum ordinauit, nec nota eſt intentio eius qui ordinauit ordinantem.

Sane abundat hoc ſæculum atheis, qui dicis cauſa & perfunctoriè & aliud agentes munere ſuo defunguntur, & data opera auertunt cogitationem à re præſenti. Sunt & non pauci ſacerdotes qui imbuti cognitione veræ religionis, ſed ſibi metuentes ab hominibus, corde premunt

hanc cognitionem, qui poſtquam excuſſerunt hunc metum & veram religionem amplexi ſunt fatentur ſe diu Miſſam ceciniſſe & adminiſtraſſe Sacramentum pœnitentiæ reluctante genio, & ſumma cum animi auerſione. An aduerſarij auſint affirmare hos contuliſſe confitentibus veram abſolutionem?

CAP. VI.

De virtute infuſa Sacerdotibus, à Spiritu ſancto in Ordinatione.

Alium ſcrupulum mouet Synodus Tridentina. Dicit enim ſacerdotes qui peccati mortalis ſunt ſibi conſcij, per virtutem Spiritus ſancti in Ordinatione eis infuſam, tanquam Chriſti Miniſtros functionem remittendi peccata exercere. Nam in ordinatione Preſbyteri, Epiſcopus ordinator ei imponens manus dicit *Accipe Spiritum ſanctum.* Hoc quidem magnum eſt αἴτημα, cui nemo fidem adhibebit niſi qui vult decipi. Nempe Epiſcopos, quando ordinant preſbyte-

ros, dare eis Spiritum ſanctum: quos Epiſcopos ſæpe ſcatere vitiis ipſi aduerſarij fatentur & conqueruntur. An poſſent dare Spiritum ſanctum qui aguntur alio ſpiritu? An quiſquam poteſt dare quod non habet?

Et cum in Eccleſia Romana puerulis vix prorepentibus ex cunis dentur opimi Epiſcopatus, quis credet per hanc nundinationem, hos pueros repleri Spiritu ſancto, & virtutem accepiſſe dandi aliis Spiritum ſanctum?

In Apoſtolos quidem Chriſtus effudit Spiritum ſanctum. At idem fieri omnibus, qui per ordinationem initiantur ſacris, temerarium eſſet definire, nec apud prudentes fidem inueniet. Quod ſi quis Epiſcopus poſt ordinationem ad vitia conuerſus, ſuum munus infamat, & Spiritum ſanctum excutit, an per vim Spiritus ſancti quem excuſſit poterit alteri conferre poteſtatem remittendi peccata?

CAP. VII.

De Abſolutione qua ipſe Papa abſoluitur à peccatis.

QVantùm ipſe Papa diffidat iſti abſolutioni hinc apparet. Liber primus Sacrarum Cęremoniarum Sect. 15. cap. 2. dicit Papam inſtante morte aduocare ſuum Confeſſarium, & petere ab eo plenam indulgentiam, & Papam tunc largiri præſentibus aliquas ſpirituales gratias. Bellarm. lib. 1. de Indulgentijs cap. 6. §. *Poſtrema. Papa*(inquit)*poteſt dare Confeſſario ſuo poteſtatem vt ſe à peccatis abſoluat.* Et id quidem facit Confeſſarius, tantiſper tenens locum capitis vniuerſalis Eccleſiæ. Sic Papa moritur abſolutus ab omni peccato. At poſtquam Papa fato functus eſt, Cardinales circunſtantes dant abſolutionem mortuo. Quod non facerent ſi crederent eum iam eſſe à Deo abſolutum, & ratam eſſe abſolutionem quam accepit à Confeſſario. Tunc Roma perſtrepit Miſſis pro Papę anima. Concipiuntur preces in quibus petitur à Deo

vt liberet animam Papæ ab inferno. Inducitur mortuus ſic loquẽs: *Domine quando veneris iudicare terram, vbi me abſcondam à vultu iræ tuæ? Commiſſa mea paueſco*, &c. Purgatorij nulla mentio. Hæc habentur prolixe libro primo ſacrarum Ceremoniarum. Sect. XV. cap. 2.

At quæ tandem poteſt eſſe illa Abſolutio quæ à Cardinalibus datur mortuo? An etiam pertinet ad Sacramentum pœnitentiæ? An poſt hanc abſolutionem Venerandi Patres irrogant Papæ mortuo pœnas ſatisfactorias?

Ego vero arbitror paucos inueniri inter Pontificios qui putent Papam poſſe ſibi ipſi remittere peccata. Attamen cum alteri dicit *Do tibi poteſtatem remittendi mihi omnia mea peccata*, perinde eſt ac ſi ipſe Papa ſibi peccata remitteret. Bellar. lib. 1. de Indulg. c. 6. §. *Poſtrema.* cenſet Papam poſſe eſſe participem Indulgentiæ à ſe datæ. Emanuel Sa Aphor. Verbo *Indulgentia. Indulgentia vtitur etiam qui eam conceſſit.*

Lector prudens obſeruabit Pontificem remittere ſuo Confeſſario peccata, &

Confeſſarium viciſſim remittere peccata Pontifici, ſic reciprocatur inter viros bonos remiſſio peccatorum. Remittunt autem ſibi inuicem offenſas non eas quibus ſe inuicem offenderunt, ſed quibus peccauerunt in Deum. Piè autem pręſumitur Deum hoc luſu delectari.

CAP. VIII.

Expenduntur Chriſti verba Iohannis cap. 20. Quorum remiſeritis, &c.

POteſtatem remittēdi peccata authoritate iudiciaria qua ſe iactant ſacerdotes, Synodus Tridentina tuetur verbis Chriſti quæ habentur Ioh. cap. 20. *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis peccata erunt retenta.* His verbis volunt inſtitui Sacramentum pœnitentiæ. Hęc verba Chriſtus dixit poſt reſurrectionem. Vnde ſequitur, ante reſurrectionem, Eccleſiam & ſacerdotes, & ipſos Apoſtolos non habuiſſe poteſtatem remittendi peccata. Thomas in 4. Sent.

Diſt. 19. Art. 1. *Claues ordinantur ad aperiendum regnum cœlorum, quod aperiri non potuit ante Chriſti paſſionem.* Nec tamen ob id peccatores minus ſeruabantur, via ad ſalutem tunc erat difficilior.

At ipſi Patres Tridentini orſa à ſe detexunt & deſtruunt quod aſtruxerant. Fatentur enim ſacerdotes non poſſe eſſe iudices, niſi accuratam habeant cognitionem omnium peccatorum. Quam cognitionem eos non habere abunde probauimus.

Nec in his Chriſti verbis vlla fit mentio confeſſionis auricularis, nec pœnarum ſatisfactoriarum. Nec elementi, nec ſigni viſibilis, ſine quo nullum eſt ſacramentum.

Nec ibi habetur vllum mandatum quod aſtringat peccatores ad ſiſtendum ſe coram ſacerdote, & ad confitendum, vt abſoluantur.

Quodſi, vt vult Cyrillus, in vigeſimum caput Iohannis, hęc poteſtas extenditur ad non baptizatos, non poteſt id accipi de ſacramento pœnitentiæ, quod non datur non baptizatis.

His adde quod definitio Sacramenti quę recepta eſt in Eccleſia Romana, nempe Sacramentum eſſe ſignum viſibile gratiæ inuiſibilis, obſtat ne Chriſti verba de Sacramento pœnitentiæ intelligantur. Chriſtus enim dicit, *quorum retinueritis peccata erunt retenta.* An retinere peccata, & nolle ignoſcere peccatori ſignum eſt gratiæ? An volunt aduerſarij partem verborum Chriſti intelligendam de Sacramento pœnitentiæ, alteram verò partem de eo non intelligi? An volunt his verbis duo ſacramenta inſtitui? quorum alterum ſit ſignum gratiæ, alterum verò ſit ſignum damnationis? Profectò, velint nolint, id extorquemus ab inuitis, mediam partem verborum Chriſti non poſſe ad ſacramētum pœnitentiæ pertinere.

Nec ſenſus quem aduerſarij affingunt his Chriſti verbis caret blaſphemia. Volunt enim Deum non remittere peccata niſi ſacerdos ea remittat, & Dei decretum de remittendis aut non remittendis peccatis ex ſacerdotis arbitrio ſuſpēditur.

Nempe Chriſti mens eſt dare Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus poteſtatem il-

ligandi peccatores pœnis Eccleſiaſticis, & eos ſoluendi his vinculis per ademptionem excommunicationis. Eſtque hæc retentio peccatorum eadem cum ligatione de qua Matthæi cap.18. per quam peccator impœnitens aggregatur Ethnicis & publicanis. Qua in re habemus conſentientes præcipuos quoſque Theologos Eccleſiæ Romanæ.

CAP. IX.

Confeſſio Aduerſariorum.

HIc verò denſo agmine aduerſarij in noſtras partes tranſeunt. Lombardus Sententiarum lib. 4. Diſt. 18. G. "Eſt (inquit) alius modus ligandi & ſol-"uendi qui per excommunicationem ge-"ritur, dum aliquis ſecundum canonicam "diſciplinam tertiò vocatus ad emenda-"tionem delicti & ſatisfacere vilipendens "ſententia Eccleſiæ à loco orationis, & ſa-"cramẽtorum communione pręſcinditur.

Quem ſecutus eſt Cornelius Ianſenius Epiſcopus Gandauenſis, vir inter aduer-

ſarios magni nominis. Is Concordiæ Euangelicæ cap. 72. pag. 544. explicans Chriſti verba Matth.18. *Quicquid ligaueritis* dicit in his Chriſti verbis fundatam eſſe excommunicationem. Nulla autem cauſa idonea afferri poteſt cur poteſtas data Apoſtolis remittendi & retinendi peccata, Ioh. 20. non ſit eadem cum poteſtate ligandi & ſoluendi de qua Matth. cap. 18.

Idem Lombardus ibidem dicit ſacerdotes ſoluere peccatores, non quod ipſi ſoluant, ſed quia declarant & oſtendunt peccatores eſſe ſolutos. Sacerdotibus (inquit) Deus conceſſit poteſtatem ligandi & ſoluendi, id eſt oſtendendi homines eſſe ligatos aut ſolutos. Vnde Dominus ſanitati leproſum per ſe reſtituit, deinde ad ſacerdotes miſit, quorũ iudicio oſtenderetur mundatus.

Inſignia ſunt verba Hadriani VI. Papę quinta quęſtione Quodlibeticorũ fol. 32. Difficultas magna eſt inter Doctores an claues ſacerdotij ſe extendant ad culpæ remiſſionem. Et certè probatiſſimi Theologi ſenſerunt quod non. Magiſter ſen-

« tentiarum dicit quod ſacerdotibus non
« conceſſit Deus poteſtatem dimittendi
« peccata ſeu ligandi, ſed oſtendendi ho-
« mines ligatos & ſolutos. In culpis igitur
« retinendis & ſoluẽdis Eccleſiaſticus idem
« facit quod in leproſo olim legalis, &c.
« Item Doctor Irrefragabilis quarta parte
« quęſt.80. Sacerdotis poteſtas ſe extendit
« ad culpam delendam per modum depre-
« cantis. Sed per modum impertientis vel
« imperantis nequaquam. Vnde dicit. Sa-
« cerdos nunquam tentaret abſoluere eum
« de quo non pręſumitur quod eſſet abſo-
« lutus à Deo. Addit Bonauenturam idem
ſentire. Dicit tamen ſe rem relinquere
in medio & indeciſam.

Vazquez Ieſuita in tertiam partem Thomæ quęſt.84. art.13.pag.11. magnam affert turbam Doctorum qui ſenſerunt ſacerdotes non eſſe iudices. Lõbardum, Bonauenturam, Bielem, Marſilium, Maiorem, Okamum, Antiſiodorenſem, Alexandrum, Thomam de Argẽtina, Sotum, Hugonem de Sancto Victore & alios. Ipſe vero etſi contra ſentit, tamen tam languidè rem tantam tractat, vt ſuam

cauſam prodere videatur.

Gratianus hîc diſertus eſt Diſtinctione prima de pœnitentia cap. *Omnis qui*, ſic loquens. Non ergo in confeſſione peccatum remittitur quod iam remiſſum eſſe probatur. Fit itaque confeſſio ad oſtenſionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ. Et ſicut circuncifio data eſt Abrahæ in ſignum iuſtitiæ non in cauſam iuſtificationis, ſic confeſſio ſacerdoti offertur in ſignum veniæ acceptæ, non in cauſam remiſſionis accipiendæ.

CAP. X.

Patrum Veteris Eccleſiæ ſuper hac re ſententia.

PRincipio habemus Apoſtolos ſtantes à noſtris partibus, quorum nullus, fatente Bellarmino, vnquam dixit peccatori *Abſoluo te à tuis peccatis.*

Irenæus lib. 5. cap. 7. Si nemo poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus, remittebat autem hęc Dominus, & curabat homines, manifeſtum eſt quoniam ipſe erat Verbum Dei, filius hominis factus.

Nouatianus lib. de Trinitate cap. 13. “Cum nullius ſit niſi Dei peccata dimitte- “re, idem Chriſtus peccata dimittit.

“ Cyprianus libro de lapſis §. 14. Nemo “ſe fallat, nemo ſe decipiat, Solus Domi- “nus miſereri poteſt. Veniam peccatis “quę in ipſum commiſſa ſunt ſolus ille po- “teſt largiri qui peccata noſtra portauit, “*&c.* Homo non poteſt eſſe Deo maior: “nec remittere aut donare indulgentia ſua “poteſt quod in Dominum grauiore deli- “cto commiſſum eſt, ne adhuc lapſo & hoc “accedat ad crimen, ſi neſciat eſſe prædi- “ctum Maledictus homo qui ſpem habet “in homine. Vbi apprimè obſeruandum Cypriani ſententiam eſſe, hominem qui hominibus peccata remittit, ſe ſupra Deum extollere.

Clemens Alexandrinus Pædagogi cap. 8. *μόνος οὗτος οἷός τε ἀφιέναι τὰ πλημμελήματα ὑπὸ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων ὁ ταχθεὶς παιδαγωγὸς ἡμῶν. Ille ſolus poteſt remittere delicta noſtra qui à patre vniuerſi conſtitutus eſt noſter pædagogus.*

“ Hilarius octauo canone commentarij “in Matthæum, Fides ſola iuſtificat. Dein-

de murmurationem eorum Dominus in- "
troſpicit, dicitque facile eſſe Filio homi- "
nis in terra peccata dimittere. Verùm "
enim nemo poteſt dimittere peccata niſi "
ſolus Deus. Ergo qui remittit Deus eſt, "
quia nemo remittit niſi Deus. "

Quin & Theodoretus libro quarto περὶ αἱρετικῆς κακομυθίας Audianos accenſet hęreticis ὅτι ἄφεσιν ἁμαρτημάτων ποιεῖσθαι νεανιεύουσιν, *quod iuuenili temeritate darent remiſſionem peccatorum.*

Extat vita Baſilij magni, ſcripta, vt præfert titulus, ab Amphilochio. In ea, "
mulier quędam venit ad Baſilium petens "
remiſſionem peccatorum. Cui Baſilius, "
Intellexiſti ne ô mulier neminem poſſe remit- "
tere peccata niſi ſolum Deum? Ad hæc pia
mulier reſpondet. *Sic didici, mi pater ideoque rogo te vt pro me apud Deum intercedas.*

Ambroſius Epiſtol. 76. ad Studium. "
Solus remanet Chriſtus, quia non poteſt "
hoc eſſe cuiquam cum Chriſto commune "
vt peccata condonet. Solius hoc munus "
eſt Chriſti qui tulit peccatum mundi. "

Idem libro 3. de Spiritu ſancto cap. 19.
Sine peccato nemo eſt, quia nemo ſine "

„ peccato niſi vnus Deus. Peccata quoque „ nemo cõdonat niſi vnus Deus, quia æquè „ ſcriptum eſt Quis poteſt peccata donare „ niſi ſolus Deus? Et paulo poſt. Homines „ in remiſſione peccatorum, miniſterium „ ſuum exhibent, non ius alicuius poteſtatis „ exercent.

Commentarius in primam ad Corinthios qui Ambroſio tribuitur. *Peccatum dimittere & Spiritum dare Dei ſolius eſt.*

Prima Diſtinctione de Pœnitentia Can. *Verbũ*, citatur Ambroſius in hæc „ verba. Verbum Dei dimittit peccata, ſa„ cerdos eſt iudex. Sacerdos quidem ſuum „ officium exhibet, & nullius poteſtatis iu„ ra exercet. In hæc verba *Sacerdos eſt iudex*, gloſſa annotat. *Iudex id eſt miniſter. Miniſterio enim non authoritate habet peccata dimittere.* Et remittit ad can. *Aliud.* Diſt. 4. de Conſecratione, vbi dicitur ſacerdos baptizare per miniſterium, non per authoritatem. Gloſſatores idem cenſent de remiſſione peccatorũ per ſacerdotem, quod de remiſſione in Baptiſmo.

Chryſoſtomus Homilia ſexta in ſecundam ad Corinthios *οὐδεὶς δύναται ἀφιέναι*

ἁμαρτίας εἰ μὴ μόνος ὁ θεός, *Nemo poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus.*

Quia autem aliquando dicit Deum remittere peccata per ſacerdotes, quæ ſint ſacerdotis partes in hac remiſſione exponit, homilia 86, in Iohannem ſub finem. Quid ſacerdotes dico? neque Angelus, " neque Archangelus quicquam in eis quæ " à Deo data ſunt efficere poteſt, ſed Pater " & Filius & Spiritus ſanctus. Vide Opta- " tum Mileuitanum lib. 5. contra Parmenianum.

Auguſtinus quinquaginta homiliarum homil. 23. Tenete quia homo non poteſt " dimittere peccata. Illa [mulier] quæ ſibi " à Chriſto peccata dimitti credidit Chri- " ſtum non hominem tantùm, ſed Deum " credidit. Tum prædicit fore quoſdam " qui dicent *Ego peccata dimitto, ego iuſtifico*, &c. *Audet homo hoc ſibi vſurpare? Quid contra hæreticus? ego dimitto, ego mundo, ego ſanctifico.* Et inde colligit hominem non poſſe remittere aliorum peccata. Nam (inquit) quis es ô homo niſi æger " ſanandus? Vis mihi eſſe medicus? me- " cum quære medicum. "

Fuiſſet olim res horrenda, & prodigio propior ſi Epiſcopus aut presbyter dixiſſet peccatori pœnitenti, *Abſoluo te à tuis peccatis.* Cohorruiſſent Chriſtiani vt ad rem nefandam, & impiam. Poſt peractam Canonicam pœnitentiam peccatores reconciliabantur Eccleſiæ, per preces Epiſcopi & populi, & per impoſitionem manuum Epiſcopi, & ad communionem Eccleſiæ admittebantur. Nec Epiſcopus dabat pœnitenti abſolutionem, nec ei remittebat peccata. Nec poſt hanc reconciliationem irrogabat ei pœnas ſatisfactorias corporeas aut pecuniarias. Nec peccator recõciliatus dabat Cõfeſſario ſtipem in mercedem remiſſionis peccatorũ.

Nec diu eſt ex quo hæc corruptela inuaſit Eccleſiam Romanam. Nam in Bibliotheca Patrum habemus Officium Romanum, quale vſitatum erat tempore Caroli Magni & Ludouici Pij, vbi habemus formulam verborum per quæ peccator reconciliabatur Eccleſiæ, in hęc verba *Deus dimittat tibi omnia peccata tua, & te liberet ab omni malo.* Precatio eſt, non vero ſententia iudicis.

CAP. XI.

Reconciliationem peccatoris pœnitentis fuiſſe reconciliationem cum Eccleſia, non vero vt Dei iuſtitiæ ſatisfieret.

GRauiſſimo errore Eccleſia Romana poſterioris æui ſatisfactionem qua olim peccatores ſatisfaciebant Eccleſiæ quam turbauerant ſcandalo tranſtulit ad ſatisfactionem quę fit Dei iuſtitiæ, quę à Synodo Tridentina & à Theologis Romanenſibus appellatur vindicta & compenſatio qua Deo ſatisfit ob iniuriam acceptam. Auguſtinus Enchiridij ad Laurentium cap. 65. hæc habet, *Rectè conſtituuntur ab ijs qui Eccleſiæ præſunt tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam ſatis Eccleſiæ in qua remittuntur ipſa peccata.* Vir ſanctus dicit peccata remitti in Eccleſia, & non ab Eccleſia. Nec dicit Deo fieri ſatis, ſed Eccleſiæ. Quo ſenſu tamen peccatores poſſint dici Deo ſatisfacere, ſuo loco docebitur.

Gregorius I. Epiſtola 31. libri duodecimi *Peccatores precibus ſacerdotum Eccleſiæ*

Catholicæ reconciliantur. Bonus Præſul duo dicit. Nempe peccatorem pœnitentem reconciliari Eccleſiæ, & hanc reconciliationem fieri precibus Eccleſiæ, non verò poteſtate iudiciaria ſacerdotum. Verba ſane inſignia, & quæ vrunt aduerſarios.

CAP. XII.

Quanto artificio Eccleſia Romana deprimat dignitatem & efficaciam Baptiſmi, & Euchariſtiæ vt extollat Sacramentum Pœnitentiæ. Fraus multiplex.

QVanto aſtu hæc omnia ſint concinnata operæpretium eſt cognoſcere. Duo ſunt Sacramenta Noui Teſtamenti Baptiſmus & ſacra Cœna ab ipſo Chriſto inſtituta, & quorum inſtitutio habetur in ſacra Scriptura. Multa attulimus teſtimonia pręcipuorum Theologorum Eccleſiæ Romanę fatentium, inſtitutionem Sacramenti pœnitentiæ haberi ex ſola traditione, non verò ex Scripturis Veteris aut Noui Teſtamenti. Cum ergo maior debeat eſſe authoritas & dignitas Ba-

ptiſmi & ſacræ Cœnæ quam iſtius fictitij Sacramenti, tamen Pontifices eiuſque Miniſtri toto conatu in hanc curam incubuerunt vt Sacramentum pœnitentiæ ſupra Baptiſmum & Euchariſtiam extollerent, eique longè maior tribueretur efficacia.

Docent enim Baptiſmo elui peccatum originale, & peccata actualia quæ Baptiſmum anteceſſerunt, & totam eorum pœnam adimi & remitti; quæ quidem peccata actualia in infantibus nulla ſunt, vnde ſequitur in Baptiſmo infantium ſolum peccatum originale elui. At certum eſt Chriſti gratiam eandem offerri in Baptiſmo quæ offertur in Euangelio, ex quo diſcimus Chriſti ſanguinem nos mundare ab omni peccato 1. Ioh. cap. 1. Et omnia noſtra peccata nobis eſſe cõdonata per Chriſtum: Coloſ. 2. 13. Ab hac doctrina diſſentiunt aduerſarij. Docent enim peccatorum quæ cõmittuntur poſt Baptiſmum culpam quidem totam remitti per Baptiſmum; at non pœnam; & oportere per pœnas ſatisfactorias Dei iuſtitiæ ſatisfacere, primum quidem in hac

vita per pœnas indictas à Sacerdotibus: & ſi quid deſideretur, id eſſe luendum in igne purgatorij.

Sic decurtata eſt dignitas & efficacia Baptiſmi vt ad Sacramentum pœnitentiæ transferatur, per quod cenſent peccatores mundari & abſolui ab omnibus peccatis cõmiſſis poſt Baptiſmum, id eſt tota vita. Sic ademptum eſt Baptiſmo quod trãsfertur ad pœnitentiæ Sacramentum.

Tum in Eccleſia Romana baptiſma poteſt adminiſtrari à muliere, ab Hermaphrodito, à Iudæo, à meretrice Ethnica. At Sacramentum pœnitentiæ, vt pote dignius, non poteſt adminiſtrari niſi à ſacerdote.

Nec mitius actum eum Sacramento Euchariſtiæ, cui adempta eſt efficacia ad remiſſionem peccatorum. Enimuerò ſinguli de plebe Romana tenentur ad Confeſſionem auricularem, & ad accipiendam abſolutionem à ſacerdote paulò antequam percipiãt Euchariſtiæ ſacramentum. Veniunt ergo ad ſumptionem Euchariſtiæ iam abſoluti ab omni peccato: nec accipiunt Euchariſtiam vt eis remit-

tantur peccata, iam condonata per abſolutionem ſacerdotalem quæ paulo ante anteceſſit. At Chriſtus porrigens diſcipulis calicem, diſertis verbis expreſſit hũc finem, dicens *Hic calix eſt Nouum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum.* Hæc remiſſio peccatorum adempta eſt Euchariſtię vt tranferatur ad Sacramentum pœnitentiæ.

Intereſt enim Papæ & Sacerdotum extollere efficaciam Sacramenti à ſe inuenti, ex quo percipiunt tanta emolumenta, & per quod ſacerdotes fiunt iudices animarum, & ſedent arbitri in cauſa in qua Deus eſt actor & pars offenſa. Et per quod ſcrutantur arcana familiarum: & habent Reges & nobiliſſimas perſonas ſibi obnoxias, eiſque irrogant pœnas corporeas & pecuniarias ex arbitrio. Inde fit vt poſtquam aperuerunt ſua crimina Confeſſario, & pudendas actiones, nunquam eum aſpiciant quin eum reformident, aut erubeſcant. At ſe ſolantur putantes ſe Abſolutione ſacerdotali tutos eſſe aduerſus Dei iudicia.

In Hiſpania quotannis ſinguli Hiſpani emunt Bullam Papalem per quam facultas datur Sacerdoti remittẽdi eis peccata. Pretium Bullæ duæ* Regales. O gentem tenebris plus quam Cimmerijs immerſam. Cum ergo ſinguli Hiſpani hos duos nummos pendant in capita, ad emendam remiſſionem peccatorum incredibile eſt ad quantam ſummam exurgant hæ duæ regales ſolutæ quot annis in capita. Hęc pecunia Romam tranſcribitur per literas collybi, quæ vulgo *literæ cãbij* appellantur. Sic faciebant Apoſtoli.

Non minori aſtutia docent, totam quidem culpam remitti per abſolutionem Sacramentalem, at non totam pœnam ſatisfactoriam: vt ſit locus pœnis ſatisfactorijs quas pro arbitrio indicunt peccatoribus. Caderet enim poteſtas ſacerdotum, ſi populus crederet poſt abſolutionem nullam amplius pœnam ſatisfactoriam deberi & pœnas impoſitas à ſacerdotibus naſo ſuſpenderet. Quas vt populus obeat incunctanter perſuaſerunt populo implendum eſſe in purgatorio quicquid deſideratur in pœnis ſatisfacto-

* *Decem ſolidi Gallici.*

riis quę debuerant peragi in hac vita. Cuius purgatorij cruciatus horribiliter exaggerant, vſque adeo vt doceant vnam animulam ob vnum peccatum veniale de qua non opus fuit conteri, vri & torqueri per triennium aut ſeptennium in purgatorio.

Inde eſt quod cum Satisfactio debeat pręcedere abſolutionem (oportet enim debitor ſoluat & ſatisfaciat antequam liberetur) homines naſuti & verſipelles, voluerunt ſatisfactiones eſſe poſteriores abſolutione, vt peccator abſolutus maneat adhuc obnoxius. Ideoque poſt abſolutionem irrogant pœnas quæ ad multos annos extenduntur.

Hæc omnia pertinere ad incrementum dignitatis & potentiæ Pontificis, inde liquidò apparet, quod cum Papa eiuſque Miniſtri imminuerint efficaciam Baptiſmi & Euchariſtiæ vt dignitatem & efficaciam Sacramenti pœnitẽtiæ extollerent, Papa tamen voluit ſuas indulgentias eſſe efficaciores hoc Sacramento. Nam per Sacramentum pœnitentiæ docent tolli quidem omnem culpam, at non omnem

pœnam ſatisfactoriam. Per indulgentias vero Papales liberantur peccatores neceſſitate ſatisfaciendi per pœnitentias ſatisfactorias. Tum per indulgentias plenas, pleniores, & pleniſſimas quales acquiruntur in Iubileo Papa tollit omnem culpam & pœnam. Adde quod abſolutio ſacramentalis tãtum datur viuis, at Indulgentiæ dantur & viuis & mortuis.

Nec hic finis eſt & terminus technarum & cauponationis. Nam à ſacerdotibus canuntur Miſſæ pro animabus mortuorum & fiunt ſuffragia anniuerſaria, ex quibus ſacerdotes rem faciunt. Ita mors ipſa ſacerdotibus eſt vectigalis, nec homini mediocriter nũmato permittitur gratis mori aut vili pretio. Immo & canuntur Miſſæ pro infantibus mortuis ſtatim à Baptiſmo, quos tamen credunt eſſe in paradiſo. Viri prudentes hoc lucellum noluerunt ipſis perire.

CAP. XIII.

Catecheſis Tridentinæ impura dogmata. Gelaſii Epiſcopi Romani audacia contradicentis Chriſti ſententiæ.

CAtecheſis Tridentinæ capite de Pœnitentia verba hęc ſunt. *Non aliter accipienda eſt vox Sacerdotis peccata legitimè condonantis, quam Chriſti dicentis paralytico Confide fili tua peccata tibi ſunt remiſſa.* Impura ſane oratio. Chriſtus enim his verbis ſanauit paralyticum quod quidem à ſacerdote abſoluente ęgrum fieri non poteſt. Chriſtus peruidebat cor paralytici, eique infundebat fidem remiſſionis peccatorum per Spiritum ſanctum, eratque paralytici Redemptor: nihil horum de ſacerdote dici poteſt, qui ſępe iniuſtè iudicat, & eos abſoluit quos Deus damnat & reprobat. Adde quod hi Catechiſtæ prę ſupponunt ſacerdotem poſſe legitimè condonare peccata. Quod quidem id ipſum eſt quod controuertitur, & quod pernegamus.

Nec leue eſt quod Synodus Tridentiña definit legitimam eſſe & efficacem abſolutionem quæ datur à ſacerdote conſcio peccati mortalis. Ergo presbyter adulter, periurus, veneficus remittet aliis peccata quorum ipſe conſcius eſt. Eritque hęc abſolutio pari certitudine & reuerentia accipienda ac ſi Chriſtus ipſe diceret pœnitenti, *Confide fili, remiſſa tibi ſunt tua peccata*, Matt.9. Ad hęc quis pius non cohorreſcat?

Eadem Catecheſis Tridentina de efficacia huius Sacramenti ſic loquitur. *Nullum eſt tam graue & nefarium ſcelus quod Pœnitentiæ Sacramento, non quidem ſemel, ſed iterum & ſæpius non deleatur.*

Sed quia Scriptura loquitur de quibuſdam peccatis irremiſſibilibus quale eſt peccatum in Spiritum ſanctum, & peccatum ad mortem, pro quo Iohannes* negat orandum eſſe, eadem Catecheſis docet quomodo id debeat intelligi. *Cum* (inquit) *hæ ſententiæ in ſacris literis occurrunt quibus videntur affirmare aliqua peccata remitti non poſſe, ita eas interpretari oportet vt difficilem admodum eſſe veniã impetratio-*

* 1.Ioh.6.

petrationem intelligamus. Cenſent venerabiles Catechiſtæ peccatum in Spiritum ſanctum remitti poſſe à Sacerdote per Sacramentum pœnitentiæ, ſed cum maiori difficultate, vtcunque Chriſtus aliter pronuntiet. Quid ſi ipſe Sacerdos peccet in Spiritum ſanctum? an remittet peccata peccanti in Spiritum ſanctum?

Tempore Gelaſij Epiſcopi Romani, qui ſedit anno Chriſti 492. nondum erat inuentum ſacramentum pœnitentiæ: nec ſacerdotes dicebant pœnitenti, *Abſoluo te à tuis peccatis*: nec poſt Abſolutionem irrogabant pœnas ſatisfactorias. Hic tamen Gelaſius ſuperbiæ ſpiritu afflatus, auſus eſt os ponere in cœlum, & Chriſto cōtradicere & de ſacra Scriptura & Concilijs contemptim loqui. Nam Tomo de vinculo Anathematis, inuehitur acriter in Concilium vniuerſale Chalcedonenſe in quo Epiſcopus Conſtātinopolitanus, in omnibus rebus tam ciuilibus quam Eccleſiaſticis æquatur Epiſcopo Rom. quod tamen Concilium ſexcētis triginta Epiſcopis fuit frequens, & vnum eſt de quatuor Cōcilijs vniuerſalibus quæ Gregorius I.*

*Lib.1.Ep.24.

dicit ſe pari veneratione recipere & credere, ac quatuor Euangelia. Cauſam verò cur non teneamur omnia credere quæ hoc Concilio continentur, Gelaſius hanc affert. *Quid enim? * Quia in libris ſanctis, quos vtique veneramur & ſequimur, quoniam quorundam illic & profanitates eſſe feruntur, & ſcelera geſta narrantur ideo nobis pariter aut veneranda ſunt, aut ſequenda, quia in illis ſanctis libris, & venerabilibus continentur?* Idque probat exemplo Petri cuius ſimulatio meritò à Paulo eſt reprehenſa. Et quia Paulus de paganorum libris quædam poſuit. Ex his colligit non omnia vniuerſaliũ Conciliorum decreta eſſe recipienda, cum ne quidem omnia quæ ſacris ſcripturis continentur ſint recipienda & imitanda.

Cui ſuæ ſententiæ vt fidem aſtruat, exemplum affert peccati in Spiritum ſanctum: quod quamuis Chriſtus pronuntiauerit eſſe irremiſſibile, venerandus Papa Chriſto ſapientior pronuntiat eſſe remiſſibile. *Notandum* (inquit) *quod quolibet genere blaſphemantibus in Spiritum ſanctum, ſi reſipiſcant & corrigant, & hīc*

* Nota. Hæc ſcelera ibi non proponi vt regulas.

& in futuro ſæculo remittetur: Præſuppo-
nit enim eos poſſe reſiſpiſcere. Ergo Catechiſtæ Tridentini definientes peccatum contra Spiritum ſanctum poſſe remitti à ſacerdotibus habuerunt authorem quem ſequerentur.

Profectò ad huius Sacramenti efficaciam & præſtantiam extollendam miro modo deſudauit humana prudẽtia. Omnes aliæ technæ pre hoc artificio ſunt merus ſtupor. Caruiſſet tamen ſucceſſu hæc humana prudentia niſi adempta fuiſſet populis ſacra ſcriptura. Hac luce diuina amota facile fuit oblinere os cæcis, & inſultare eorum ignorantiæ.

Quantùm in defenſione huius abſolutionis Sacramentalis Bellarminus ſibi diffidat hinc liquet, quòd ſuper ſingulis partibus huius Sacramenti ſcripſit libros peculiares, præter quàm de Abſolutione: quam tamen dicit eſſe formam, ac proinde præcipuam partem huius Sacramenti. Nempe quia in tota antiquitate nullum exemplum inuenire potuit Sacerdotis qui dixerit peccatori confitenti *Abſoluo te à tuis peccatis*.

CAP. XIV.

De Charactere indelebili.

SYnodus Tridentina Seſſ. VII. can. 9. diro Anathemate percutit negantes Sacramentis Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis imprimi animabus characterem, quem dicunt eſſe quoddam ſignum ſpirituale, indelebile: ac proinde manens poſt mortem.

De hoc charactere nihil inuenimus in Scripturis, nec in veteribus: nec quiſquam viſu aut aliquo alio ſenſu potuit hunc characterem videre, aut ſentire, aut aliquo certo indicio cognoſcere. Et cum Sacramentum Ordinis, fatentibus aduerſariis, conferatur multis qui ſunt expertes verę pietatis, vix quiſquam auſit dicere ſe ſenſiſſe talem characterem ſuæ animæ imprimi cum ordinationem accepit.

Difficile autem dictu eſt quid animabus hoc charactere ſignatis, quę crucientur in Tartaro, proſit hic character, niſi

fortè vt alię animæ dãnatorum hoc charactere non inſignitæ eis reuerenter aſſurgant, & honeſtiori ſint apud inferos conditione.

Huius characteris vi Sacerdotes ſibi arrogant poteſtatem conſecrandi & Tranſſubſtantiandi panem in corpus Chriſti, nec tantum hoſtiolam Miſſæ, ſed etiam totum panem macelli, & vini dolia. Qui character cum ſit (vt volunt) indelebilis & nec ab ipſo Papa poſſit obliterari, inde ſequitur Sacerdotem qui eiurata religione Romana ad aliam tráſijt, adhuc habere eandem poteſtatem, & poſſe multos panis corbes vertere in carnem, magno piſtorum damno, & multa vini dolia vertere in ſanguinem, vnde fiet vt Chriſti ſanguis lagenis incluſus per popinas circunferatur & à tricongijs ebibatur.

Vi eiuſdem characteris Sacerdotes ſe iactant poteſtate remittendi peccata authoritate iudiciaria. Rem ſane magnam pręſtarent ſi ad fidem huic aſſertioni faciendam ſuum illum characterem nobis oſtenderent. Fruſtra enim trahitur ad characterem ſacerdotalem, quod Scri-

ptura dicit de Spiritu ſancto quo Deus obſignat electos, 2. ad Corint. cap. 1. ℣. 22. Et Epheſ. 1. 13. Et c. 4. 30. Et Apoc. 2. 17. Nam hũc characterem ſacerdotalem poſſe cõtingere reprobis fatentur aduerſarij.

Mirificum verò eſt acumen Thomæ Angelici Doctoris, qui in librum quartum Sententiarum Diſt. 19. Quęſt. 1. Art. 1. mouet hanc obiectionem, aduerſus id quod habetur Apocal. 3. vbi Chriſtus dicitur habere clauem domus Dauidis. *Videtur* (inquit) *quod Chriſtus non habuerit claues. Clauis enim characterem ordinis conſequitur: Sed Chriſtus non habuit characterem. Ergo non habuit claues.* Hunc nodum Thomas ſic ſoluit, vt putet hunc defectum characteris in Chriſto pręſtantia perſonæ ſuppleri.

CAP. XV.

Varij abuſus Abſolutionis, tam eius quæ fit poteſtate Ordinis in Sacramento quam eius quę fit poteſtate Iuriſdictionis extra Sacramentum.

INfinitum eſſet perſequi omnes abuſus abſolutionum. Eſtenim errorum lerna,

& corruptela fidem excedens; Pauca afferemus ex pluribus. Per abſolutionem Sacramentalem Nauarrus De Indulg. p. 572. dicit, *Peccatorem abſolui à ſententia & condemnatione Dei.* Id autem Sacerdos facit vt iudex.

Emanuel Sa Ieſuita Aphoriſmis, verbo Abſolutio. Et Gregorius de Valentia lib. de Satisfactione cap. 4. §. *Tertiò ex.* Et Toletus Inſtruct. Sacerd. lib. 3. cap. 11. & alij plures, volunt hæc verba adjici abſolutioni: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita beatæ Mariæ & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris & mala quæ patienter ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, & in augmentum gratiæ & præmium vitæ æternæ.* Chriſti morti adduntur merita ſanctorum ad cumulum & auctarium: vt definit Clemens VI. Extrau. *Vnigenitus.*

At quale eſt quod abſolutiones dantur per vicarium & ſubdelegatum. Eman. Sa Verbo *Abſolutio. Abſoluere poteſt Epiſcopus. vel per ſe vel per alium.* Toletus addit *per procuratorem & commiſſarium.* lib. 1. Inſtruct. Sacerd. cap. 14. §. 4. & 8. Sic

Apoſtoli remittebant peccata.

Eiuſdem Emanuelis ibidem hæc ſunt verba *Poteſt aliquis abſolui non ſolum ſine dolore, & ab vna Excõmunicatione, relicta altera.* Bellarm. lib. 1. de Indulgentijs cap. 6. *Abſolutio iudicialis dari poteſt etiam inuito.* Et paulo poſt. *Abſolutio ab Excõmunicatione poteſt in inuitum conferri.* Concinit Toletus lib. 1. cap. 14. *Etiam inuitus poteſt abſolui ſicut inuitus potuit excommunicari.* Concinit Thomas in 4. Sent. Mirifica ſane remiſſio peccatorum, quæ obtruditur reluctanti, & ingeritur inuito: quaſi ſacerdos diceret peccatori, velis nolis & quamuis diſrumparis, tamen abſoluam te à tuis peccatis. Talis abſolutio non poteſt eſſe cum contritione peccatoris, vt nec ea quam Toletus ait dari poſſe ignaro & inſcio Lib. 1. Inſtr. Sacerd. cap. 14. §. 3.

Mira hæc ſunt eiuſdem Emanuelis ibidem. *Abſolutus ſimpliciter, ſed præſtita cautione de ſatisfactione, ſi non ſatisfaciat non reincidit*, id eſt non cadit iterum in excommunicationem, quamuis illuſerit Deo & Eccleſiæ & ſponſori. At quamri-

diculum quod abſolutio ſacramentalis requirit vadem & ſponſorem: Et id quidem non abs re, quãdo ad ſatisfactionem ſacramentalem indicta eſt mulcta pecuniaria.

Et ibidem. *Accipienti indulgentiam plenariam poteſt dari abſolutio ſine pœnitentia.* Id cum ſit, hoc ſacramentum ſit mancum & mutilum, adempta ſatisfactione. Et ſic Deo non ſatisfit, fraudatur enim ſatisfactione & cõpenſatione quam ſperabat, & quæ ei debebatur.

Bellarmini hæc ſunt lib. 4. de Pœnitentia cap. 13. *Indulgentiæ faciunt vt pro pœnis quæ per Indulgentiam condonantur, non teneamur præcepto illo de faciendis dignis pœnitentiæ fructibus.* Hic quidem eſt apex impietatis, docere Papam aut Epiſcopum poſſe liberare homine à ſubiectione & obedientia quæ debetur Dei mandatis.

Huc pertinet quod idem Bellar. ait libro 1. de Indulgent. cap. 7. *Paludanus teſtatur à Bonifacio VIII. fuiſſe prohibitum pœnitentiariũ ne confitentibus peccata anno Iubilei ſatisfactiones iniungeret.* Ema-

nuel Sa in verbo *Excommunicatio. Abſolutio ex cauſa falſa valet.*

Quod ſi quis tactus ſeria pœnitentia venit ad ſacerdotem, vt ab eo accipiat remiſſionem peccatorum, fraudabitur ſpe ſua, nec remiſſionem accipiet, ſi ſacerdos non habeat intentionem abſoluendi. Hoc pacto pœnitens luet pœnas peccati ſacerdotis, & caſſa fiet promiſſio Euangelij promittens pœnitenti remiſſionem peccatorum.

His adde fœdam cauponationem, & claues adhibitas ad aperiendas arcas: de qua accuratiùs ſuo loco agetur.

Quid quod ſub obtentu horum Chriſti verborum *Quicquid ſolueritis, &c.* Papa ſoluit obligationem iuramẽtorum; ſoluit matrimonia ritè & legitime ſociata; ſoluit filios à ſubiectione parentibus debita. Et ſubditos à fide iurata Regibus. Immo & ſoluit mortuos, transferens animas ex Purgatorij flammis in paradiſum. Nihil eſt auaritia & ambitione ingenioſius.

Emanuelis Sa hæc ſunt, in Verbo *Abſolutio. Abſolui poteſt qui proponit abſtinere à peccato, etiam ſi credat ſe propoſito non*

ſtaturum ſed peccaturum.

Et *Abſolui poteſt qui ex rationabili & iuſta cauſa non vult omittere peccandi occaſionem.* Veſtram fidem! an poteſt eſſe vlla iuſta & rationabilis cauſa peccandi?

Et *Accipienti indulgentiam plenariam poteſt dari abſolutio ſine pœnitentia.*

Aliquis poteſt abſolui ab vna Excommunicatione manente altera. Veluti ſi Princeps diceret ſonti, Duorum criminum à te patratorum vnum tibi condono, ſed ſuſpenderis ob alterum. Ita vnus idemq; homo eodem tempore, erit in Eccleſia quia abſolutus eſt, es extra Eccleſiam quia excommunicatus eſt.

Idem Emanuel. Ibid. §. 24. Confitens « poteſt per partes abſolui, ſcilicet nunc de « parte peccatorum quæ dixit, poſtea de a- « lia parte cum dixerit, & partem vni, par- « tem alteri explicare, & partem omittere. «

Idem in verbo *Excommunicatio.* §. 15. *Reges à ſolo Papa excommunicātur.* Id non credidit Ambroſius qui Theodoſium I. Imperatorem mouit communione Eccleſię, inconſulto Epiſcopo Romano.

Idem. Verbo *Abſolutio ab excommuni-*

"*catione*. Excommunicatus poteſt abſol-
" ui data cautione, ſaltem iuratoria, ſi aliud
" non poteſt.
" Ibid. Poteſt abſolui quis non ſolum
" ſine dolore ſed etiam inuitus, & ab vna
" excommunicatione relicta alia.

Horrendum eſt quod idem Ieſuita ait,
" Verbo *Indulgentia*. Reſeruatum crimen
" patrans, ſpe Iubilæi poteſt per Iubilæum
" abſolui. Et id confirmat authoritate Nauarri, & Bellarmini. Sunt autem caſus reſeruati atrociſſima crimina, quorum abſolutio excedit poteſtatem omnium Epiſcoporum, & quam Papa ſibi ſoli reſeruauit. Ergo ſi quis aliquod talé crimen patrauerit fretus hac fiducia, fore vt anno Iubilæi plenam remiſſionem conſequatur, quia Papæ eſt illimitata poteſtas, hic ſceleratus Deo illudens, veniam omnium ſuorum peccatorum conſequetur.

Nec omittendum quod ex commiſſione Papæ, laicus poteſt dare morienti abſolutionem.

Obſeruabit Lector prudens, omnia hæc impura dogmata ad incrementum Papalis imperij pertinere. Inde eſt tota

ſabes. Nempe vt catharri à capite defluunt in membra, ita à capite Eccleſiæ Romanę defluxit hæc corruptela in clerum,& per clerum in totum corpus Eccleſiæ Romanæ.

Tota hęc impuritas inde fluxit quod poteſtas clauium in Eccleſia Romana, auulſa eſt & ſeparata à prædicatione Euangelij. Inde eſt quod plurimi ſacerdotes qui non prędicant,dant tamen Abſolutionem & remittunt peccata. Immo & laicus & fœmina poſſunt vibrare excommunicationes ex Papæ licentia. Tol. de Inſtr. Sacerd. lib. 1. cap. 6. Fœmina „ excommunicare poſſet ex commiſſione „ Papæ, vt notat Panormitanus & Anto- „ ninus. „

Ibid. Laicus non poteſt excommuni- „ care, niſi ex commiſſione Papæ. „

Inde etiam eſt quod Papa, etiam ſi non eſſet in ſacris, & merus eſſet laicus poſſet dare indulgentias,& ſoluere ab excõmunicatione, vt docet Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs cap. 11. Sanè ſi laicus poteſt dare indulgentias per quas peccata remittuntur, inde ſequitur verba illa Chriſti,

LIBER QVINTVS DE SATISFACTIONIBVS.

CAPVT I.

Quid ſit ſatisfactio, & quotuplex. Quomodo ſatisfiat homini: quomodo Deo. Status controuerſiæ.

SATISFACTIONEM vltimo loco ponimus, quia in Eccleſia Romana fit poſt Abſolutionem: Qui quidem ordo eſt præpoſterus. Nam debitor debet ſatisfacere antequam abſoluatur. Id fit ſummo aſtu, vt peccator abſolutus maneat obnoxius ſacerdotibus & Prælatis, qui peccatori abſoluto irrogant pœnas ſatisfactorias, quæ ſæpe permultos annos durant. In Synodalibus Eccleſiæ Trecenſis, regula hęc habetur

betur.* *Debent Sacerdotes, Pœnitentiam antè abſolutionem à peccatis præmittere.*

Satisfactionis inter homines duæ ſunt ſpecies. Fit enim ſatisfactio, vel pro offenſa, vel pro debito.

Satisfactio pro offenſa fit confeſſione culpæ, & petitione veniæ, vel excuſatione qua quis ſe purgat apud eum qui paſſus eſt offenſam, vel putat ſe paſſum eſſe. Formula ſatisfactionis apud veteres hæc erat. Nolim factum.† Et iuſiurandum dabo te eſſe indignum hac iniuria. Aut id non factum eſſe à me malo animo nec vt inferrem iniuriam. At pro debito fit ſatis, ſoluendo debitum & liberando fidem.

Satisfactio quoque quæ Deo fit bifariam accipitur. Deo enim ſatisfit, aut humili confeſſione, & agnitione peccati, & petitione veniæ, vitęque emendatione: Aut ſolutione qua Dei iuſtitiæ ſatisfiat.

Priori modo peccatores ſatisfaciunt Deo, exomologeſi, lacrymis, pœnitentia, deprecatione pœnæ, & conuerſione ad meliorem frugem. At ſecundo modo,

* *Bochel Decret. lib. 2. p. 243.* † *Terent. Adelphis.*

ptura dicit de Spiritu ſancto quo Deus obſignat electos, 2. ad Corint. cap. 1. ꝟ. 22. Et Epheſ. 1. 13. Et c. 4. 30. Et Apoc. 2. 17. Nam hūc characterem ſacerdotalem poſſe cōtingere reprobis fatentur aduerſarij.

Mirificum verò eſt acumen Thomæ Angelici Doctoris, qui in librum quartum Sententiarum Diſt. 19. Quęſt. 1. Art. 1. mouet hanc obiectionem, aduerſus id quod habetur Apocal. 3. vbi Chriſtus dicitur habere clauem domus Dauidis. *Videtur* (inquit) *quod Chriſtus non habuerit claues. Clauis enim characterem ordinis conſequitur: Sed Chriſtus non habuit characterem. Ergo non habuit claues.* Hunc nodum Thomas ſic ſoluit, vt putet hunc defectum characteris in Chriſto pręſtantia perſonæ ſuppleri.

CAP. XV.

Varij abuſus Abſolutionis, tam eius quæ fit poteſtate Ordinis in Sacramento quam eius quę fit poteſtate Iuriſdictionis extra Sacramentum.

INfinitum eſſet perſequi omnes abuſus abſolutionum. Eſtenim errorum lerna,

& corruptela fidem excedens; Pauca afferemus ex pluribus. Per abſolutionem Sacramentalem Nauarrus De Indulg. p. 572. dicit, *Peccatorem abſolui à ſententia & condemnatione Dei.* Id autem Sacerdos facit vt iudex.

Emanuel Sa Ieſuita Aphoriſmis, verbo Abſolutio. Et Gregorius de Valentia lib. de Satisfactione cap. 4. §. *Tertiò ex.* Et Toletus Inſtruct. Sacerd. lib. 3. cap. 11. & alij plures, volunt hæc verba adjici abſolutioni: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita beatæ Mariæ & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris & mala quæ patienter ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum, & in augmentum gratiæ & præmium vitæ æternæ.* Chriſti morti adduntur merita ſanctorum ad cumulum & auctarium: vt definit Clemens VI. Extrau. *Vnigenitus.*

At quale eſt quod abſolutiones dantur per vicarium & ſubdelegatum. Eman. Sa Verbo *Abſolutio. Abſoluere poteſt Epiſcopus. vel per ſe vel per alium.* Toletus addit *per procuratorem & commiſſarium.* lib. 1. Inſtruct. Sacerd. cap. 14. §. 4. & 8. Sic

Apoſtoli remittebant peccata.

Eiuſdem Emanuelis ibidem hæc ſunt verba *Poteſt aliquis abſolui non ſolum ſine dolore, & ab vna Excõmunicatione, relicta altera.* Bellarm. lib. 1. de Indulgentijs cap.6. *Abſolutio iudicialis dari poteſt etiam inuito.* Et paulo poſt. *Abſolutio ab Excõmunicatione poteſt in inuitum conferri.* Concinit Toletus lib. 1. cap. 14. *Etiam inuitus poteſt abſolui ſicut inuitus potuit excommunicari.* Concinit Thomas in 4. Sent. Mirifica ſane remiſſio peccatorum, quæ obtruditur reluctanti, & ingeritur inuito: quaſi ſacerdos diceret peccatori, velis nolis & quamuis diſrumparis, tamen abſoluam te à tuis peccatis. Talis abſolutio non poteſt eſſe cum contritione peccatoris, vt nec ea quam Toletus ait dari poſſe ignaro & inſcio Lib. 1. Inſtr. Sacerd.cap.14. §.3.

Mira hæc ſunt eiuſdem Emanuelis ibidem. *Abſolutus ſimpliciter, ſed præſtita cautione de ſatisfactione, ſi non ſatisfaciat non reincidit*, id eſt non cadit iterum in excommunicationem, quamuis illuſerit Deo & Eccleſiæ & ſponſori. At quam ri-

diculum quod abſolutio ſacramentalis requirit vadem & ſponſorem: Et id quidem non abs re, quãdo ad ſatisfactionem ſacramentalem indicta eſt mulcta pecuniaria.

Et ibidem. *Accipienti indulgentiam plenariam poteſt dari abſolutio ſine pœnitentia.* Id cum ſit, hoc ſacramentum fit mancum & mutilum, adempta ſatisfactione. Et ſic Deo non ſatisfit, fraudatur enim ſatisfactione & cõpenſatione quam ſperabat, & quæ ei debebatur.

Bellarmini hæc ſunt lib. 4. de Pœnitentia cap. 13. *Indulgentiæ faciunt vt pro pœnis quæ per Indulgentiam condonantur, non teneamur præcepto illo de faciendis dignis pœnitentiæ fructibus.* Hic quidem eſt apex impietatis, docere Papam aut Epiſcopum poſſe liberare homine à ſubiectione & obedientia quæ debetur Dei mandatis.

Huc pertinet quod idem Bellar. ait libro 1. de Indulgent. cap. 7. *Paludanus teſtatur à Bonifacio VIII. fuiſſe prohibitum pœnitentiariũ ne confitentibus peccata anno Iubilei ſatisfactiones iniungeret.* Ema-

nuel Sa in verbo *Excommunicatio. Abſolutio ex cauſa falſa valet.*

Quod ſi quis tactus ſeria pœnitentia venit ad ſacerdotem, vt ab eo accipiat remiſſionem peccatorum, fraudabitur ſpe ſua, nec remiſſionem accipiet, ſi ſacerdos non habeat intentionem abſoluendi. Hoc pacto pœnitens luet pœnas peccati ſacerdotis, & caſſa fiet promiſſio Euangelij promittens pœnitenti remiſſionem peccatorum.

His adde fœdam cauponationem, & claues adhibitas ad aperiendas arcas: de qua accuratiùs ſuo loce agetur.

Quid quod ſub obtentu horum Chriſti verborum *Quicquid ſolueritis, &c.* Papa ſoluit obligationem iuramẽtorum; ſoluit matrimonia ritè & legitime ſociata; ſoluit filios à ſubiectione parentibus debita. Et ſubditos à fide iurata Regibus. Immo & ſoluit mortuos, transferens animas ex Purgatorij flammis in paradiſum. Nihil eſt auaritia & ambitione ingenioſius.

Emanuelis Sa hæc ſunt, in Verbo *Abſolutio. Abſolui poteſt qui proponit abſtinere à peccato, etiam ſi credat ſe propoſito non*

ſtaturum ſed peccaturum.

Et *Abſolui poteſt qui ex rationabili & iuſta cauſa non vult omittere peccandi occaſionem.* Veſtram fidem! an poteſt eſſe vlla iuſta & rationabilis cauſa peccandi?

Et *Accipienti indulgentiam plenariam poteſt dari abſolutio ſine pœnitentia.*

Aliquis poteſt abſolui ab vna Excommunicatione manente altera. Veluti ſi Princeps diceret ſonti, Duorum criminum à te patratorum vnum tibi condono, ſed ſuſpenderis ob alterum. Ita vnus idemq; homo eodem tempore, erit in Eccleſia quia abſolutus eſt, es extra Eccleſiam quia excommunicatus eſt.

Idem Emanuel. Ibid.§.24. Confitens « poteſt per partes abſolui, ſcilicet nunc de « parte peccatorum quæ dixit, poſtea de a- « lia parte cum dixerit, & partem vni, par- « tem alteri explicare, & partem omittere. «

Idem in verbo *Excommunicatio*. §. 15. *Reges à ſolo Papa excommunicãtur.* Id non credidit Ambroſius qui Theodoſium I. Imperatorem mouit communione Eccleſię, inconſulto Epiſcopo Romano.

Idem. Verbo *Abſolutio ab excommuni-*

"*catione*. Excommunicatus poteſt abſol-
" ui data cautione, ſaltem iuratoria, ſi aliud
" non poteſt.

" Ibid. Poteſt abſolui quis non ſolum
" ſine dolore ſed etiam inuitus, & ab vna
" excommunicatione relicta alia.

Horrendum eſt quod idem Ieſuita ait,
" Verbo *Indulgentia*. Reſeruatum crimen
" patrans, ſpe Iubilæi poteſt per Iubilæum
" abſolui. Et id confirmat authoritate Nauarri, & Bellarmini. Sunt autem caſus reſeruati atrociſſima crimina, quorum abſolutio excedit poteſtatem omnium Epiſcoporum, & quam Papa ſibi ſoli reſeruauit. Ergo ſi quis aliquod talé crimen patrauerit fretus hac fiducia, fore vt anno Iubilæi plenam remiſſionem conſequatur, quia Papæ eſt illimitata poteſtas, hic ſceleratus Deo illudens, veniam omnium ſuorum peccatorum conſequetur.

Nec omittendum quod ex commiſſione Papæ, laicus poteſt dare morienti abſolutionem.

Obſeruabit Lector prudens, omnia hæc impura dogmata ad incrementum Papalis imperij pertinere. Inde eſt tota

labes. Nempe vt catharri à capite defluunt in membra, ita à capite Eccleſiæ Romanę defluxit hæc corruptela in clerum, & per clerum in totum corpus Eccleſiæ Romanæ.

Tota hęc impuritas inde fluxit quod poteſtas clauium in Eccleſia Romana, auulſa eſt & ſeparata à prædicatione Euangelij. Inde eſt quod plurimi ſacerdotes qui non prędicant, dant tamen Abſolutionem & remittunt peccata. Immo & laicus & fœmina poſſunt vibrare excommunicationes ex Papæ licentia. Tol. de Inſtr. Sacerd. lib. 1. cap. 6. Fœmina « excommunicare poſſet ex commiſſione « Papæ, vt notat Panormitanus & Anto- « ninus. «

Ibid. Laicus non poteſt excommuni- « care, niſi ex commiſſione Papæ. «

Inde etiam eſt quod Papa, etiam ſi non eſſet in ſacris, & merus eſſet laicus poſſet dare indulgentias, & ſoluere ab excōmunicatione, vt docet Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs cap. 11. Sanè ſi laicus poteſt dare indulgentias per quas peccata remittuntur, inde ſequitur verba illa Chriſti,

quæcunque ſolueritis in terris, &c. non dici ſolis ſacerdotibus ſed & fœminis & cuilibet laico.

Obſeruabit lector, in Eccleſia Romana quemlibet Sacerdotem in Sacramento pœnitentiæ diſpenſare & applicare peccatoribus Chriſti merita & ſatisfactionem: at non Satisfactiones Sanctorum. Non enim ſunt diſpenſatores theſauri Eccleſiæ, in quem Papa ſatisfactiones ſuperfluentes Sanctorum congeſſit. Hanc poteſtatem ſibi Papa reſeruauit, eiuſque portiunculam Epiſcopis conceſſit.

Pertendunt autem Papam & Prælatos improbos, & peccati mortalis conſcios poſſe abſoluere à peccatis, & dare indulgentias. Nauarri verba hæc ſunt Cõmentario de Indulgentijs p.572. *Non refert an viuus qui id facit, ſit in ſtatu gratiæ, vel peccati lethalis, vt Auguſtinus ab Ancona eleganter probat, & ſequitur Folinus.*

Quia autem Miſſæ anniuerſariæ non canuntur pro mendicis, nec pro ijs qui nihil dederunt, nec legauerunt Eccleſiæ, ſed pro benefactoribus, hunc colorem obtendunt aduerſarij, pauperes & eos qui

nihil legauerunt participes eſſe ſuffragiorum generalium quæ fiunt pro omnibus mortuis, Nauarrus prudenter obſeruat, ſuffragia ſpecialia plus prodeſſe ei pro quo fiunt quam generalia. *Specialia* (inquit) *plus proſunt ei pro quo fiunt quam generalia huic vel illi.* Nam quis legaret pecuniam Monachis, niſi ſub ſpe alicuius peculiaris vtilitatis.

LIBER QVINTVS DE SATISFACTIONIBVS.

CAPVT I.

Quid ſit ſatisfactio, & quotuplex. Quomodo ſatisfiat homini: quomodo Deo. Status controuerſiæ.

SATISFACTIONEM vltimo loco ponimus, quia in Eccleſia Romana fit poſt Abſolutionem: Qui quidem ordo eſt præpoſterus. Nam debitor debet ſatisfacere antequam abſoluatur. Id fit ſummo aſtu, vt peccator abſolutus maneat obnoxius ſacerdotibus & Prælatis, qui peccatori abſoluto irrogant pœnas ſatisfactorias, quæ ſæpe permultos annos durant. In Synodalibus Eccleſiæ Trecenſis, regula hęc habetur

betur.* *Debent Sacerdotes, Pœnitentiam antè abſolutionem à peccatis præmittere.*

Satisfactionis inter homines duæ ſunt ſpecies. Fit enim ſatisfactio, vel pro offenſa, vel pro debito.

Satisfactio pro offenſa fit confeſſione culpæ, & petitione veniæ, vel excuſatione qua quis ſe purgat apud eum qui paſſus eſt offenſam, vel putat ſe paſſum eſſe. Formula ſatisfactionis apud veteres hæc erat. Nolim factum.† Et iuſiurandum dabo te eſſe indignum hac iniuria. Aut id non factum eſſe à me malo animo nec vt inferrem iniuriam. At pro debito fit ſatis, ſoluendo debitum & liberando fidem.

Satisfactio quoque quæ Deo fit bifariam accipitur. Deo enim ſatisfit, aut humili confeſſione, & agnitione peccati, & petitione veniæ, vitæque emendatione: Aut ſolutione qua Dei iuſtitiæ ſatisfiat.

Priori modo peccatores ſatisfaciunt Deo, exomologeſi, lacrymis, pœnitentia, deprecatione pœnæ, & conuerſione ad meliorem frugem. At ſecundo modo,

* *Bochel Decret. lib. 2. p. 243.* † *Terent. Adelph.*

O

diaboli & damnati ſatisfaciunt Deo luendo pœnas debitas.

Pro electis verò & fidelibus ſatisfactio Chriſti interuenit, qui ſe vadem conſtituit, & pœnam nobis debitam in ſe tranſtulit. Hęc vnica ſatisfactio pro pœna nobis debita, eſt Deo accepta. Nec vllum aliud eſt pretium redemptionis per quod expientur peccata, & iuſtitię Dei ſatisfiat. *Nec ſalus eſt in vllo alio, nec vllum nomen ſub cœlo datum hominibus per quod oporteat nos ſeruari*, Act. 4. 12.

Status controuerſiæ hic eſt, quod Pontificij docent Deum exigere à pijs & verè pœnitentibus & credentibus pœnas ſatisfactorias quibus ſatisfiat eius iuſtitiæ, quas pœnas Synodus Tridẽtina & Theologi Romanenſes vocant vindictas ſeu vltiones & compẽſationes quæ fiunt Deo ob acceptam iniuriam. At nos credimus Chriſti paſſionem eſſe integram & perfectam ſatisfactionem pro omnibus noſtris peccatis, & rejicimus omnes humanas ſatisfactiones, id eſt pœnas ſatisfactorias quibus Dei iuſtitiæ à pijs ſatisfiat. Pœnas verò quas Deus infligit ſuis filijs & electis,

dicimus eſſe caſtigatorias ad emendatio-
nem: non verò ſatisfactorias ad vltionem
aut vindictam, vt Dei iuſtitiæ ſatisfiat.

Dicimus ergo Deo ſatisfaciendum eſſe humili confeſſione, & cordis contritione, & emendatione vitæ: at non pœnis vltricibus per quas Dei iuſtitiæ ſatisfiat, & iniuria Deo illata compenſetur. Ac proinde damnamus pœnas ſatisfactorias à ſacerdotibus indictas, aut ſponte ſuſceptas, aut à Deo poſt mortem inflictas in igne Purgatorij, non ad emendationem ſed ad vltionem & vindictam.

CAP. II.

Quæ & quales ſint Satisfactiones Eccleſiæ Romanæ.

Eccleſia Romana docet hominem poſſe Deo ſatisfacere ex condigno, id eſt per equipollentiam & pœnam ἀντάξιον. Id Catecheſis Tridentina docet cap. de Sacramento pœnitentiæ, ſic definiens Satisfactionem. Nepe eſſe rei debitæ in-"
tegram ſolutionem & compenſationem "
qua homo pro peccatis commiſſis aliquid "

« Deo perſoluit. Melchior Canus Rele-
« ctione de Pœnitentia. Confeſſor inſti-
« tutus eſt loco Dei ad compenſendas iniu-
« rias contra Deum & taxandas pœnas pro
« offenſa. Sic Dei damna ſarciuntur.

Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs c. 2. §. *Poſtremò. Operi Satisfactorio DEBETVR merces ex iuſtitia commutatiua.* Sic Deus fit debitor homini, idque ex iuſtitia commutatiua, quæ tantundem rependit quantùm accepit.

Et cap. 9. §. *Secundò. Catholici Theologi docent non ſolum poſſe hominem iuſtificatum ſatisfacere, ſed etiam id poſſe ex condigno*, id eſt ęquipollenti ſatisfactione. Et lib. 4. de Pœnitentia cap. 7. §. *Illud. Accedente gratia Dei, eaque multiplici, verè poſſumus aliquo modo ex proprijs & ad æqualitatem, ac per hoc iuſte, & ex condigno ſatisfacere.*

Inde eſt quod in Sacramento pœnitentiæ aliud volunt eſſe Contritionem & Confeſſionem, aliud Satisfactionem. Id quidem perperam, cum ipſa Contritio &
» Confeſſio, ſit apud Deum Satisfactio, eo
» modo quem diximus.

Has pœnas ſatisfactorias non eſſe ne-

ceſſatias & pœnitentem poſſe abſolui abque ſatisfactione docēt aduerſarij. Nam Papa per indulgentiam liberat neceſſitāte ſatisfaciendi. Gregorius VII. dedit indulgentias ſine vllo adiuncto opere, teſte Bellarmino.

Has pœnas Satisfactorias Pontificij ſummo conſenſu dicunt eſſe voluntarias, attamen moleſtas. Nauarrus Satisfactionem ſic definit. Satisfactio eſt paſſio voluntaria pœnæ pro peccato. Gregorius de Valēntia, Tractatu de Satisfactione cap. 1. Satisfactio eſt compenſatio pœnæ temporalis debitæ Deo, per peccatum illatæ, ſecundùm aliquam ÆQVALITATEM iuſtitiæ, & cum propoſito ſaltem virtuali non peccandi in poſterum.

Inſigne eſt quod Theologi Romanenſes volunt has Satisfactiones eſſe voluntarias. Inde enim ſequitur cruciatum Purgatorij non eſſe Satisfactionem. Nemo enim ſpontè & ſua ipſius voluntate detruditur in fornacem illam ardentem. Id clamant indulgentiæ Papales quibus animæ extrahuntur purgatorio. Nam hæ indulgentiæ quæ dantur mortuis cupidè

expetuntur à ſuperſtitibus, & pro magno beneficio computantur.

Nec minus ſe implicant dum Satisfactiones dicunt eſſe pœnas oneroſas & moleſtas. Nam inter Satisfactiones ponunt preces & eleemoſynas, quę tamen à pijs cum voluptate peraguntur. Immo ab eis prohiberi grauis eſſet pœna. Ergo ſeruire Deo pœna erit. Sic virtutes & bona opera fiunt odioſa dum pœnis & moleſtis paſſionibus annumerantur. Bellarm. l. 2. de Purgatorio cap. 6. §. *Quātum. Oratio eſt opus quoddam pœnale & laborioſum.*

CAP. III.

Species Satisfactionum.

IN Eccleſiæ Romana tres ſunt ſpecies ſatisfactionum. Quędam enim ſpontè ſuſcipiuntur à peccatoribus. Quædam ſuſcipiuntur ex Sacerdotis imperio. Quędam ſunt quas dicunt à Deo infligi pijs, ad vindictam & compenſationem pro offenſa in hac vita, vt morbos, egeſtatem, naufragia: & poſt hanc vitam, flammas Purgatorij.

CAP. IIII.

De prima ſpecie Satisfactionum.

PRima ſpecies eſt earum quę ſponte ſuſcipiuntur, nec ad ſacerdotis imperium. Talia hęc ſunt, macerare carnem ieiunijs, abſtinere conuiuijs, non vti balneis, vinum pręter morem multa aqua diluere, &c. Quæ quidem afflictationes corporis poſſunt eſſe vtiles, modo abſit opinio meriti & ſatisfactionis.

Hac in parte ſuperſtitio eſt ingenioſa & crudelis vſque ad inſaniam. Sunt enim qui ſuper nuda cute pręcinguntur fune. Sunt qui incubant cranio. Sunt qui cilicio aſpero quod *ſcapulare* vocant humeros ſuos excoriant. Sunt qui ſe concidũt loris & flagellis, & ſibi tergum vibicibus diſcriminant. Sunt qui plures alijs & grandiores baccas habent in ręſte precatoria. Qua tamen ſęuitia nunquam adęquabunt ſacerdotes Baal, qui cultellis præacutis ſibi laniabant cutem. Deus non expoſcit à nobis cruciatum corporis, ſed

mutationem animi & reſipiſcentiam. *Exercitium corporis ad pauca eſt utile, at pietas ad omnia eſt utilis habens promiſſiones vitæ præſentis & futuræ.* 1. Tim. 4. 8.

CAP. V.

De ſecunda ſpecie Satisfactionis.

PRęter has vltroneas ſatisfactiones aliȩ ſunt quæ indicuntur à ſacerdotibus poſt confeſſionem & abſolutionem. Hæ vocantur Satisfactiones Sacramentales. Eſt enim hęc Satisfactio pars Sacramenti, quamuis in ea nullum ſit elemētum. Flagellatio & cilicium non poſſunt eſſe ſignum gratiæ, cum ſint pœnæ. Nec peragatur hæc ſatisfactio in Eccleſia, ſed in agris, in equo, in lecto, & per diuerſa loci & temporis interualla. Et non fiat à Sacerdote, cuius eſt adminiſtrare Sacramenta, ſed ab ipſo pœnitente, qui (ſi his creditur) ipſe ſibi adminiſtrat & confert Sacramentum, Veluti ſi quis ſe ipſum baptizaret. Eſtque hęc pars Sacramenti pœnitentiȩ tanti momenti vt plerumque

per pœnitentias, ſolæ ſatisfactiones intelligantur.

Ergo Parochus pro ea poteſtate quam dicit ſe habere à Chriſto, infligit peccatori pœnas corporeas aut pecuniarias: eique dat remiſſionem peccatorum ea lege & conditione, vt pedibus ſuſcipiat peregrinationem ad quaſdam reliquias, aut per dies ſtatos abſtineat certis cibis. Indicit ei flagellationem, nudipedalia, χαμευνίαν, ſecubationem ab vxore. Nam viri honeſti & infirmæ frontis in torum coniugalem vſurpauerunt imperium.

Sed & irrogant pœnas pecuniarias ſub titulo eleemoſynæ. Nam quę dantur monachis diſtentis aqualiculo, & ipſi Papæ, eleemoſynę appellantur. Ideoque bullis Indulgentiarum inſcritur ſemper hæc clauſula, dari hanc gratiam ſpiritualem, *manus porrigentibus adiutrices*. Et ad calcem Bullæ, *Datum Romæ*, cum potius ſcribendum eſſet, *Venditum Romæ*.

His artibus venerandi Patres emungunt populum argento, & in corpora & fortunas laicorum, ne regibus quidem exceptis, vſurpauerunt imperium.

Hoc iugum ne quis excutiat, ſed patienter ferat, homines emunctæ naris perſuaſerunt populo, ſi hæ pœnæ imperatæ à Sacerdotibus non impleantur in hac vita, quod deſiderabitur implendum eſſe in igne Purgatorij, vbi animæ horribili cruciatu torquentur per triennium aut ſeptênium pro vno peccato veniali. Sunt tamen qui pertæſi harum ſatisfactionum proteruè hoc iugum excutiunt, dicentes, *Malo ſatisfacere in Purgatorio.*

CAP. VI.

Variæ ſpecies Satisfactionum Sacramentalium.

LOngum eſſet perſequi ſingula, & exponere quam variis & abſurdis Satisfactionibus, illudatur peccatoribus, tam in Sacramento quam extra Sacramentum. Nicolaus Ægidius qui Regi Ludouico XII. fuit ab epiſtolis, Chronicorum anno 768. refert, Roberto Normanno qui cognomento diabolus nûcupabatur, indictam fuiſſe hanc pœnitentiam, vt per ſeptennium non loqueretur, & reliquijs canum ſemeſis veſceretur.

Baronius Annalibus ad annum Chriſti

1055. §. 11. hæc citat ex epiſtola Damiani Cardinalis ad Alexandrum III. Papam, *Vt tria ſcoparum millia conficerent vnum pœnitentiæ annum.* Addebatur modulatio Pſalmorum. Plurima eiuſmodi habes in Decreto Burchardi VVormatienſis Epiſcopi: & in Pœnitentiali Romano: & in Pœnitentiali Theodori.

Exemplum lectu digniſſimum habetur in Decreto Gratiani, Cauſa 33. quæſt. 2. cap. *Admonere.* Hoc caput continet epiſtolam Stephani V. Papæ ad Aiſtulphum qui vxorem interfecerat: Interdicit ei vſum vini & ſiceræ diebus pœnitentiæ: & carnis vſum prȩterquam Paſchate & die Natali. Vetat ne vnquam arma induat, nec enſe accingatur, vxorem nunquam ducat, nec adulterium committat, nec concubinam habeat, balneo nunquam lauetur: In Eccleſia poſt oſtium ſedeat, ſegregatus ab alijs, Euchariſtiæ nunquam communicet niſi in mortis agone. Hȩc ſi Aiſtulphus impleat Papa ei ſpondet remiſſionem peccatorum. Venerabilis Pontifex legem Deo figit, eumque iubet hac Satisfactione contentum eſſe,

qui fortaſſe expectabat maiorem compenſationem.

Summo conſenſu Theologi docent, poſſe opera alioqui debita imponi pœnitenti in pœnam ſatisfactoriam: Vt cum Parochus iubet peccatorem in pœnam peccati obſeruare quadrageſimam. Id patet exemplo huius Aiſtulphi, cui Papa irrogauit hanc pœnam ſatisfactoriam, ne concubinam haberet, & adulterium non committeret. Bellarminus & alij referunt preces & eleemoſynas inter pœnas ſatisfactorias, ac proinde moleſtas. Vtique ſi hæc ſunt mala cur iubentur? Si ſunt bona cur pœnis annumerantur? Laudandæ quidem ſunt preces & eleemoſynæ, ſed ſummo ſcelere vertuntur in ſupplicium, vt fiant odioſæ & peragantur cum tędio.

Non tamen multùm abſcedunt à vero qui hæc opera referũt inter pœnas: Nam preces quę in Eccleſia Romana irrogantur in pœnam ſunt permoleſtę. Obmurmurare ſeptem Pſalmos pœnitentiales lingua ignota, perrodendo ſibi vngues, & anhelando ad finem cum tædio; Et

eandem precationem quinquagies repetere, voluendo grana reſtis precatoriæ, res ſunt graues & valde moleſtæ: quapropter à diuitibus pecunia redimuntur. Et cum promulgantur Bullæ cruciatæ dantes indulgentias pendentibus certam auri ſummam, hæc impendia perperam vocantur eleemoſynæ, quippe quę non fiunt ex commiſeratione erga pauperes poſcentes opem, ſed fiunt ex Papę voluntate qui habet ſuos collectores, & qui has pecunias aut recondit, aut ex arbitrio diſpenſat. Per collybiſtas hę pecuniæ Romam tranſcribuntur. Obtenditur cauſa, nempe bellum aduerſus hęreticos, aut infideles.

Mulctæ pecuniarię ad ſatisfactionem pro peccato exemplum habemus in Concilio Lateranenſi vltimo Seſſ. IX. Ibi Synodus iubet nobilem blaſphemantem pendere viginti quinque ducatos, conuertendos in ſarta tecta Eccleſię Sancti Petri. Si reinciderit pendere quinquaginta. Emanuel Sa Aphoriſmis, Verbo *Epiſcopus. Poteſt Epiſcopus laicos cohibere à peccatis per pœnam pecuniariam, vel exilij.* Idemque Ieſuita ibidem dicit merce-

tricium eſſe iure permiſſum. Bellar.lib.1. de Indulgentijs cap.12. §. *Poſterior, Si neceſſe ſit ædificare Baſilicam vel Xenodocium, & dentur indulgentiæ ſeptem vel decem annorum conferentibus certam auri ſummam.* Platina in Gregorio IX. dicit Fridericum II. Eccleſiæ communione motum, reconciliationem impetrauiſſe ſoluendo centum & viginti mille vncias auri. Et in Martino IV. *Fulginates ſacris interdicti veniam meruere, perſoluta tamen prius magna pecunia, pœnæ nomine.* Sic Deo ſatisfactum. Et Henricus II. Rex Angliæ, poſt flagellationem, grandi pecunia ſe redemit ne Monaſterio includeretur. Teſte Mattheo Paris in Henrici II. vita. Nec diſſimulat Baronius pœnitentias pretio relaxari. Nam anno Chriſti 1055. §. 8. hęc citat ex Petro Damiano. *Non ignoras quia cum à pœnitentibus terras accipimus, iuxta menſuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus.* Et §.9. eadem verba eiuſdem Petri citat. Tum addit. *Quibus planè oſtendit bona Eccleſiaſtica eiuſmodi redemptione fieri ſolita, aucta creuiſſe.* Ergo qui dat Monachis, Deo pro peccatis

ſatisfacit. Et iubetur Deus minori pœnitentia & ſatisfactione eſſe cōtentus, quia Monachi locupletati ſunt, & imminutio pœnitentię pecunia ſuppletur & compenſatur.

Sed inter impias ſatisfactiones quæ Deo non poſcenti obtruduntur, illę primas obtinent quę ſunt immania crimina, & per quas peccatores pœnitentes aſtringuntur ad aliquod ſcelus. Anno Christi 1102. Paſchalis II. Papa * iuſſit Robertum Comitem Flandrię trucidare clerum Leodienſem ſtantem à partibus Henrici V. Imperatoris, idque ad ſatisfactionem pro peccatis, & cōſequendam remiſſionem peccatorum. Verba Paſchalis ad Robertum hęc ſunt; *Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem, & Apoſtolicæ ſedis familiaritatem præcipimus, vt his laboribus ac triumphis ad cæleſtem Hieruſalem, Domino prę ſtante perueniaſ.* Hęc habentur Annalibus Baronij Anno 1102. §. 18. Innocentius III. Philippo Auguſto Regi Francorum dedit Angliam ad ſatiſfactionem pro peccatis, eumque iuſſit infeſta arma mouere in

* Bochellus.

alienum regnum, & Iohannem Regem regno exuere, pollicens ei in mercedem ſceleris, remiſſionem peccatorum. Et quotieſcunque Pontifices iuſſerunt arma capi in eos quos vocant hæreticos, militibus vndique conuolantibus ad eos trucidandos dederunt largas indulgentias. Noſtro ſeculo Papa largitus eſt Indulgentias ſeptem annorum Gallis qui rebellarent in Regem Henricum III. & fidem ei iuratam frangerent. Has Indulgentias paſſim affixas compitis, & templorum valuis ipſi vidimus. Per eas Papa non obſcurè dicebat populis. *Ea lege vobis remitto peccata ſi ſitis proditores & perfidi.* Hoc pacto Deus non tantum fauet malis, ſed etiam eis fauet quia ſunt mali.

CAP. VII.

De Flagellatione.

ANno Chriſti 1262. teſte Trithemio, exorta eſt ſecta flagellantium, qui ingenti agmine perreptabant oppida & pagos, nudi vmbilico tenus, & ſe flagellis

cruentabant.

cruentabãt. Quæ ſecta cũ interquieuiſſet, rurſus in Pãnonia hic furor recruduit, quẽ Papa Clemens cõpeſcuit. Nec tamen per id planè deſijt hæc inſania. Nam S. Dominicus teſte Antonino in eius vita ſibi ter die diuerberabat corpus catena ferrea. Idemque de Catharina Senenſi refert idem Antoninus, quem Papa Clemens VII. retulit in numerum Sanctorum, anno Chriſti 1523.

De ſancto Franciſco idem Antoninus, & Bonauentura, & Iacobus de Voragine hæc narrant. Cum diabolus Franciſcum inhalaſſet, inde ſenſit vredinem libidinis vehementem in ſe accendi: Quos motus vt frænaret, arrepta ſcutica ipſe ſe horribiliter flagellauit, ſic alloquens ſuam carnem, *Euge frater aſine, ſic te decet manere & ſubire flagellum.* At cum hoc exercitio hęc concupiſcentia non ſedaretur, corpus nudum niui immerſit, & vxorem ſibi ex niue finxit quam amplectebatur. Sic vir Seraphicus magna cum voluptate in hoc volutabro volutabatur.

Lucianus dialogo περὶ γυμνασίων Laconum flagellationem ſub oculis parentum

expetuntur à ſuperſtitibus, & pro magno beneficio computantur.

Nec minus ſe implicant dum Satisfactiones dicunt eſſe pœnas oneroſas & moleſtas. Nam inter Satisfactiones ponunt preces & eleemoſynas, quę tamen à pijs cum voluptate peraguntur. Immo ab eis prohiberi grauis eſſet pœna. Ergo ſeruire Deo pœna erit. Sic virtutes & bona opera fiunt odioſa dum pœnis & moleſtis paſſionibus annumerantur. Bellarm. l. 2. de Purgatorio cap. 6. §. *Quãtum. Oratio eſt opus quoddam pœnale & laborioſum.*

CAP. III.

Species Satisfactionum.

IN Eccleſiæ Romana tres ſunt ſpecies ſatisfactionum. Quędam enim ſpontè ſuſcipiuntur à peccatoribus. Quædam ſuſcipiuntur ex Sacerdotis imperio. Quędam ſunt quas dicunt à Deo infligi pijs, ad vindictam & compenſationem pro offenſa in hac vita, vt morbos, egeſtatem, naufragia: & poſt hanc vitam, flammas Purgatorij.

CAP. IIII.

De prima ſpecie Satiſfactionum.

PRima ſpecies eſt earum quę ſpontę ſuſcipiuntur, nec ad ſacerdotis imperium. Talia hęc ſunt, macerare carnem ieiunijs, abſtinere conuiuijs, non vti balneis, vinum pręter morem multa aqua diluere, &c. Quæ quidem afflictationes corporis poſſunt eſſe vtiles, modo abſit opinio meriti & ſatisfactionis.

Hac in parte ſuperſtitio eſt ingenioſa & crudelis vſque ad inſaniam. Sunt enim qui ſuper nuda cute pręcinguntur fune. Sunt qui incubant cranio. Sunt qui cilicio aſpero quod *ſcapulare* vocant humeros ſuos excoriant. Sunt qui ſe concidũt loris & flagellis, & ſibi tergum vibicibus diſcriminant. Sunt qui plures alijs & grãdiores baccas habent in teſte precatoria. Qua tamen ſęuitia nunquam adęquabunt ſacerdotes Baal, qui cultellis præacutis ſibi laniabant cutem. Deus non expoſcit à nobis cruciatum corporis, ſed

mutationem animi & reſipiſcentiam. *Exercitium corporis ad pauca eſt vtile, at pietas adomnia eſt vtilis habens promiſſiones vitæ præſentis & futuræ.* 1. Tim. 4. 8.

CAP. V.

De ſecunda ſpecie Satisfactionis.

PRæter has vltroneas ſatisfactiones aliæ ſunt quæ indicuntur à ſacerdotibus poſt confeſſionem & abſolutionem. Hæ vocantur Satisfactiones Sacramentales. Eſt enim hæc Satisfactio pars Sacramenti, quamuis in ea nullum ſit elemẽtum. Flagellatio & cilicium non poſſunt eſſe ſignum gratiæ, cum ſint pœnæ. Nec peragatur hæc ſatisfactio in Eccleſia, ſed in agris, in equo, in lecto, & per diuerſa loci & temporis interualla. Et non fiat à Sacerdote, cuius eſt adminiſtrare Sacramenta, ſed ab ipſo pœnitente, qui (ſi his creditur) ipſe ſibi adminiſtrat & confert Sacramentum, Veluti ſi quis ſe ipſum baptizaret. Eſtque hæc pars Sacramenti pœnitentiæ tanti momenti vt plerumque

per pœnitentias, ſolæ ſatisfactiones intelligantur.

Ergo Parochus pro ea poteſtate quam dicit ſe habere à Chriſto, infligit peccatori pœnas corporeas aut pecuniarias: eique dat remiſſionem peccatorum ea lege & conditione, vt pedibus ſuſcipiat peregrinationem ad quaſdam reliquias, aut per dies ſtatos abſtineat certis cibis. Indicit ei flagellationem, nudipedalia, χαμευνίαν, ſecubationem ab vxore. Nam viri honeſti & infirmæ frontis in torum coniugalem vſurpauerunt imperium.

Sed & irrogant pœnas pecuniarias ſub titulo eleemoſynæ. Nam quę dantur monachis diſtentis aqualiculo, & ipſi Papæ, eleemoſynę appellantur. Ideoque bullis Indulgentiarum inſcritur ſemper hæc clauſula, dari hanc gratiam ſpiritualem, *manus porrigentibus adiutrices*. Et ad calcem Bullæ, *Datum Romæ*, cum potius ſcribendum eſſet, *Venditum Romæ*.

His artibus venerandi Patres emungunt populum argento, & in corpora & fortunas laicorum, ne regibus quidem exceptis, vſurpauerunt imperium.

Hoc iugum ne quis excutiat, ſed patienter ferat, homines emunctæ naris perſuaſerunt populo, ſi hæ pœnæ imperatæ à Sacerdotibus non impleantur in hac vita, quod deſiderabitur implendum eſſe in igne Purgatorij, vbi animæ horribili cruciatu torquentur per triennium aut ſeptênium pro vno peccato veniali. Sunt tamen qui pertæſi harum ſatisfactionum proteruè hoc iugum excutiunt, dicentes, *Malo ſatisfacere in Purgatorio.*

CAP. VI.

Variæ ſpecies Satisfactionum Sacramentalium.

Longum eſſet perſequi ſingula, & exponere quam variis & abſurdis Satisfactionibus, illudatur peccatoribus, tam in Sacramento quam extra Sacramentum. Nicolaus Ægidius qui Regi Ludouico XII. fuit ab epiſtolis, Chronicorum anno 768. refert, Roberto Normanno qui cognomento diabolus nũcupabatur, indictam fuiſſe hanc pœnitentiam, vt per ſeptennium non loqueretur, & reliquijs canum ſemeſis veſceretur.

Baronius Annalibus ad annum Chriſti

1055. §. 11. hæc citat ex epiſtola Damiani Cardinalis ad Alexandrum III. Papam, *Vt tria ſcoparum millia conficerent vnum pœnitentiæ annum.* Addebatur modulatio Pſalmorum. Plurima eiuſmodi habes in Decreto Burchardi VVormatienſis Epiſcopi: & in Pœnitentiali Romano: & in Pœnitentiali Theodori.

Exemplum lectu digniſſimum habetur in Decreto Gratiani, Cauſa 33. quæſt. 2. cap. *Admonere.* Hoc caput continet epiſtolam Stephani V. Papæ ad Aiſtulphum qui vxorem interfecerat: Interdicit ei vſum vini & ſiceræ diebus pœnitentiæ: & carnis vſum pręterquam Paſchate & die Natali. Vetat ne vnquam arma induat, nec enſe accingatur, vxorem nunquam ducat, nec adulterium committat, nec concubinam habeat, balneo nunquam lauetur: In Eccleſia poſt oſtium ſedeat, ſegregatus ab alijs, Euchariſtiæ nunquam communicet niſi in mortis agone. Hęc ſi Aiſtulphus impleat Papa ei ſpondet remiſſionem peccatorum. Venerabilis Pontifex legem Deo figit, eumque iubet hac Satisfactione contentum eſſe,

qui fortaſſe expectabat maiorem compenſationem.

Summo conſenſu Theologi docent, poſſe opera alioqui debita imponi pœnitenti in pœnam ſatisfactoriam: Vt cum Parochus iubet peccatorem in pœnam peccati obſeruare quadrageſimam. Id patet exemplo huius Aiſtulphi, cui Papa irrogauit hanc pœnam ſatisfactoriam, ne concubinam haberet, & adulterium non committeret. Bellarminus & alij referunt preces & eleemoſynas inter pœnas ſatisfactorias, ac proinde moleſtas. Vtique ſi hæc ſunt mala cur iubentur? Si ſunt bona cur pœnis annumerantur? Laudandæ quidem ſunt preces & eleemoſynæ, ſed ſummo ſcelere vertuntur in ſupplicium, vt fiant odioſæ & peragantur cum tędio.

Non tamen multùm abſcedunt à vero qui hæc opera referũt inter pœnas: Nam preces quę in Eccleſia Romana irrogantur in pœnam ſunt permoleſtę. Obmurmurare ſeptem Pſalmos pœnitentiales lingua ignota, perrodendo ſibi vngues, & anhelando ad finem cum tædio: Et

eandem precationem quinquagies repetere, voluendo grana reſtis precatoriæ, res ſunt graues & valde moleſtæ: quapropter à diuitibus pecunia redimuntur. Et cum promulgantur Bullæ cruciatæ dantes indulgentias pendentibus certam auri ſummam, hæc impendia perperam vocantur eleemoſynæ, quippe quę non fiunt ex commiſeratione erga pauperes poſcentes opem, ſed fiunt ex Papę voluntate qui habet ſuos collectores, & qui has pecunias aut recondit, aut ex arbitrio diſpenſat. Per collybiſtas hę pecuniæ Romam tranſcribuntur. Obtenditur cauſa, nempe bellum aduerſus hęreticos, aut infideles.

Mulctæ pecuniarię ad ſatisfactionem pro peccato exemplum habemus in Concilio Lateranenſi vltimo Seſſ. IX. Ibi Synodus iubet nobilem blaſphemantem pendere viginti quinque ducatos, conuertendos in ſarta tecta Eccleſię Sancti Petri. Si reinciderit pendere quinquaginta. Emanuel Sa Aphoriſmis, Verbo *Epiſcopus. Poteſt Epiſcopus laicos cohibere à peccatis per pœnam pecuniariam, vel exilij.* Idemque Ieſuita ibidem dicit mere-

tricium eſſe iure permiſſum. Bellar. lib. 1. de Indulgentijs cap. 12. §. *Poſterior, Si neceſſe ſit ædificare Baſilicam vel Xenodocium, & dentur indulgentiæ ſeptem vel decem annorum conferentibus certam auri ſummam.* Platina in Gregorio IX. dicit Fridericum II. Eccleſiæ communione motum, reconciliationem impetrauiſſe ſoluendo centum & viginti mille vncias auri. Et in Martino IV. *Fulginates ſacris interdicti veniam meruere, perſoluta tamen prius magna pecunia, pœnæ nomine.* Sic Deo ſatisfactum. Et Henricus II. Rex Angliæ, poſt flagellationem, grandi pecunia ſe redemit ne Monaſterio includeretur. Teſte Matthęo Paris in Henrici II. vita. Nec diſſimulat Baronius pœnitentias pretio relaxari. Nam anno Chriſti 1055. §. 8. hęc citat ex Petro Damiano. *Non ignoras quia cum à pœnitentibus terras accipimus, iuxta menſuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus.* Et §. 9. eadem verba eiuſdem Petri citat. Tum addit. *Quibus planè oſtendit bona Eccleſiaſtica eiuſmodi redemptione fieri ſolita, aucta creuiſſe.* Ergo qui dat Monachis, Deo pro peccatis

ſatisfacit. Et iubetur Deus minori pœnitentia & ſatisfactione eſſe cõtentus, quia Monachi locupletati ſunt, & imminutio pœnitentię pecunia ſuppletur & compenſatur.

Sed inter impias ſatisfactiones quæ Deo non poſcenti obtruduntur, illę primas obtinent quę ſunt immania crimina, & per quas peccatores pœnitentes aſtringuntur ad aliquod ſcelus. Anno Chriſti 1102. Paſchalis II. Papa * iuſſit Robertum Comitem Flandrię trucidare clerum Leodienſem ſtantem à partibus Henrici V. Imperatoris, idque ad ſatisfactionem pro peccatis, & cõſequendam remiſſionem peccatorum. Verba Paſchalis ad Robertum hęc ſunt; *Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remiſſionem, & Apoſtolicæ ſedis familiaritatem præcipimus, vt his laboribus ac triumphis ad cœleſtem Hieruſalem, Domino prœſtante perueniaſ.* Hęc habentur Annalibus Baronij Anno 1102. §. 18. Innocentius III. Philippo Auguſto Regi Francorum dedit Angliam ad ſatiſfactionem pro peccatis, eumque iuſſit infeſta arma mouere in

* Bochellus.

cruentabãt. Quæ ſecta cũ interquieuiſſet, rurſus in Pãnonia hic furor recruduit, quẽ Papa Clemens cõpeſcuit. Nec tamen per id planè deſijt hæc inſania. Nam S. Dominicus teſte Antonino in eius vita ſibi ter die diuerberabat corpus catena ferrea. Idemque de Catharina Senenſi refert idem Antoninus, quem Papa Clemens VII. retulit in numerum Sanctorum, anno Chriſti 1523.

De ſancto Franciſco idem Antoninus, & Bonauentura, & Iacobus de Voragine hæc narrant. Cum diabolus Franciſcum inhalaſſet, inde ſenſit vredinem libidinis vehementem in ſe accendi: Quos motus vt frænaret, arrepta ſcutica ipſe ſe horribiliter flagellauit, ſic alloquens ſuam carnem, *Euge frater aſine, ſic te decet manere & ſubire flagellum.* At cum hoc exercitio hęc concupiſcentia non ſedaretur, corpus nudum niui immerſit, & vxorem ſibi ex niue finxit quam amplectebatur. Sic vir Seraphicus magna cum voluptate in hoc volutabro volutabatur.

Lucianus dialogo περὶ γυμνασίων Laconum flagellationem ſub oculis parentum

& agnatorum graphicè depingit. Eiuſdem meminit Tertullianus ſub finem Apologetici.

Hoc exemplum ſecuta eſt Eccleſia Romana. Baronius ad annum Chriſti 1056. §. 7. ait *Petro Damiano authore vel propagatore introductum eſſe in Eccleſiam laudabilem vſum, vt pœnitentiæ cauſa fideles ſe verberibus afficerent, flagellis ad hoc paratis idoneis.* Ex eodem Damiano Baron. ibid. hæc citat, *Huius ſancti ſenis Dominici loricati exemplo faciendæ diſciplinæ mos in noſtris partibus inoleuit, vt non modo viri ſed & nobiles mulieres, hoc purgatorij genus inhianter arriperent.* Additque vno anno infligi ſolita tria ſcoparum millia. Idem Petrus Damianus teſte Baronio iuſſit vt *Monachi Caſſinenſis cœnobij nudis pedibus lugubres & mœrentes incederent, & expleto cõmuni modulationis pſalterio mutua ſe ſcoparum purgatione purgarent.* Hic cantus inter flagellorum crepitacula fuit ſuauiſſimus. Toletus Cardinalis Ieſuita l. 1. Inſtr. Sacerd. cap. 14. *Abſoluatur cum Pſalmo, & oratione Dominica & verberibus.*

Nec Imperatores & Reges à fœda iſta

ſatisfactione ſunt immunes. Idem enim Baronius ibidem citat Reginaldum narrantem, *Præſulem Annonis miſericordem ſine miſericordia vehementiſſimis correctionibus inuaſiſſe Henricum II. Imperatorem, eũque duriſſimis verberum plagis affeciſſe.* Durius actum cum Henrico II. Rege Angliæ quem ab octuaginta monachis cæſum virgis, quorum alij ternos, alij quinos ictus ei inflixerunt, narrat Matthæus Paris, author illius æui in vita Henrici II.

Carolus V. potentiſſimus, & prudentia pollens Imperator, feſſus laboribus, vltrò ſe abdicauit imperio, & in monaſterio conſenuit: ibique diem clauſit. Reliquit hæredem filiũ Philippum qui anno Chriſti 1598. in Fano S. Laurentij phtiriaſi conſumptus eſt: Is inter pretioſiſſima *κειμήλια* quæ in arcula aſſeruabat, habuit flagellum ſanguinolentum quo pater eius in monaſterio fuerat flagellatus: Inſtante morte cum pediculi bullirent, & toto corpore erumperent, iuſſit hoc flagellum depromi, & ſibi afferri. Tum cranium coram ſe ſtatui, cui impoſita erat regalis corona. Hæc accuratè habes deſcripta ab

Auguſto Thuano authore grauiſſimo, hiſtoriarum lib. 120.

Bellarminus lib. 4. de Pœnitentia c. 6. has flagellationes laudat & tuetur: Eas tamen refert inter opera indebita, & à Deo non iuſſa.

Hac flagellatione ſe exercent Franciſcani rigidiores, qui vulgò Capucini indigetantur. Nam ter ſeptimana, hora ſecunda poſt mediam noctem ſibi tergum & nates cruentant virgis. Nempe 1. nocte quæ diem Lunæ antecedit. 2. Et nocte quæ diem Mercuri. 3. Et nocte quæ diem Veneris. Inter horrendum flagrorum crepitaculum canitur ſuaui modulatione Pſalmus *Miſerere* deſinens in *vitulos*. Et Pſalmus *De profundis*. Et *Salue Regina*. Quæ regina piè creditur hac natium flagellatione delectari.

Hæc flagellatio Romæ publicè factitatur. Nam hebdomade quæ diem Paſchatis proximè antecedit, pœnitentes longo ordine procedunt per plateas, nudis ſcapulis, laruata facie, armati flagellis, & ſub oculis populi ſe diuerberant vſque ad ſanguinem, Idque ad ſatisfactionem non

tantùm pro ſuis ipſorũ peccatis, ſed etiam pro alienis. Et ſunt qui id faciunt in gratiam amaſiarum ſuarum ſpectantium ex feneſtellis, quæ ab Italis *geloſiæ*, id eſt zelotypiæ appellantur. Si quis paulò humanior & cui mens non planè obbrutuit hæc ſpectat, dicit apud ſe, *hi quidem inſaniunt ſolẽnia, & meritò vapulant, ſunt enim ſcutica digniſſimi.*

Hoc ſpectaculo Pontifex delectatur: qui quidem, pro ſua ſolita benignitate, fatuæ iſti plebi de ſuo corio ludenti poſſet largiri indulgentiam, per quam diſpẽſaretur ab hoc cruciatu, & majorem gratiam adiſpiſceretur illa quam poſſunt per flagra adipiſci.

Hic furor ſuperauit Alpes, & ex Italia trãſijt in Galliam. Sub rege Henrico III. longi ordines Flagellãtium procedebant per Lutetiam & alias vrbes, cæruleo, veneto, & nigro colore diſtincti, laruati, & ſe oblectantes hac flagellatione, eo modo quem Thuanus Curiæ Pariſienſis præſes deſcribit Hiſtoriarum lib. 59. & 78. ad annum Chriſti 1583. damnans nouam ſuperſtitionem, quæ imminentes Galliæ cla-

des portendebat, per quas ipſe Rex miſerè ſublatus eſt.

At Curia Parlamenti Pariſienſis anno Chriſti 1601. decima ſeptima Iunij, grauiſſimo Senatuſconſulto, quod Arreſtum vocant, hũc furorem repreſſit, pronuntiãs proceſſiones Hieronymianas eſſe *furioſa Bacchanalia*. & ne deinceps fierent interdixit. Hoc Senatuſconſultum habes libro ſecundo Decretorum Bochelli cap. 34.

Extat Iohannis Gerſonis, viri, vt illo æuo, optimi tractatus cõtra ſectam Flagellantium, in quo inter alia hæc ait, *Sicut non licet homini ſe propria manu mutilare vel caſtrare, niſi pro ſanitate totius corporis conſequenda, ſic nec licet (vt videtur) quod à ſe ipſo quis ſanguinem eliciat, niſi cauſa medecinæ corporalis.*

CAP. VIII.

Refelluntur aduerſariariorum rationes quibus tuentur flagellationem.

HAnc inſaniam tuentur aduerſarij exemplo Apoſtoli 1. Cor. 9. vbi de

ſe ipſo ſic loquitus. ὑπωπιάζω ϗ δουλαγωγῶ τὸ σῶμα μου, vulgata vertit, *Caſtigo corpus meum & redigo in ſeruitutem.* At Paulus non dicit ſe id feciſſe vt ſatisfaceret iuſtitiæ Dei. Nec id faciebat ſemet cædendo virgis aut ſcutica, ſed labore, ſobrietate, vigilijs. Id euidẽter inde probatur, quod ibi ſe comparat athletis, quorum nemo vnquam ſe flagellis parauit ad luctam.

Publicanus verò ſibi pectus percutiebat non ad ſatisfactionem, ſed ad doloris & pœnitentiæ indicium. Luc 18. 13.

Hieronymus epiſtola ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis, dicit ſe nuda humo vix cohęrentia oſſa colliſiſſe, pectus percuſſiſſe, hebdomadas inedia trãſegiſſe. Sed nihil hæc ad flagellationem: nec id faciebat vt Dei iuſtitiæ ſatisfaceret per pœnam, qua daretur Deo compenſatio. Cum tamen hæc faceret ad reſtinguendum ardorem libidinis qua fatetur ſe æſtuaſſe, prudenter feciſſet ſi ex præcepto Apoſtoli animum adieciſſet ad nuptias.

CAP. IX.

Tertia ſpecies Satisfactionum.

SVpereſt tertia ſpecies ſatisfactionis, nempe flagella quæ à Deo infliguntur peccatoribus in hac vita, vt morbi, damna, contumeliæ, &c. & poſt hanc vitam (vt volunt aduerſarij) flamma purgatorij. His pœnis Deo ſatisfieri docent Theologi Romanēſes. Id docet Vazquez in tertiam partem Summæ Thomæ p.281. Idque ex Concilio Tridentino Seſſ. XIV. cap.9. & can. 11. Bellarminus lib. 1. de Pœnitentia cap. 5 §. *Secundò. Flagella à Deo immiſſa, ad ſatisfactionem valent.* Nos morbos & calamitates, à Deo immiſſas electis dicimus eſſe commonefactiones & caſtigationes paternas ad emendationem, non verò ſatisfactiones ad vltionem & compenſationem. Morbi corporis ſunt medicinæ animæ. Superbus eſſet æger, qui in animum iuduceret ſe corporis doloribus ſoluere Deo compenſationem. Tum torqueretur anxietate animi inter podagræ

aut calculi dolorem,ſi crederet Deum, id facere ad vindictam & vt exigat compenſationem. Quod ſi fas eſſet dicere hos dolores eſſe ſatisfactiones, ſtatuendum eſſet, Deum per eos ſibi ſatisfacere, non vero hominem Deo,qui hæc exigit ab inuito. Ad has ſatisfactiones pertinet Purgatorium, de quò agetur ſuo loco.

CAP. X.

Satiſfactiones Eccleſiæ Romanæ repugnare Dei verbo, & perfectæ Chriſti ſatiſfactioni.

HAs ſatisfactiones conflatas eſſe in Chriſti contumeliam qui planè ſatisfecit pro noſtris peccatis facile eſt demonſtrare. Scriptura hanc laudem ſoli Chriſto tribuit. *Chriſti ſanguis nos purgat ab omni peccato.* 1. Ioh.1.7. Idem Apoſtolus eiuſdem Epiſtolæ cap.2. *Si quis peccauit habemus aduocatū apud Patrem Ieſum Chriſtū IVSTVM, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Innuens neminem poſſe eſſe propitiationem pro noſtris peccatis, niſi qui iuſtus eſt & planè expers pec-

cati. In eandem ſententiam Petrus 1. Ep. cap. 1. 19. *Redēpti eſtis pretioſo ſanguine Chriſti, agni immaculati.* At Bellarminus auſus eſt affirmare, nos eſſe noſtri ipſorum Redemptores lib. 1. de Purgatorio c. 14. §. *Reſpondeo. Homo ſui ipſius redēptor & ſaluator appellatur: nec propterea vlla ſit Chriſto iniuria.* Pari impietate qua lib. 1. de Indulgentijs cap. 4. §. *Sexta*, pertendit Sãctos aliquo modo eſſe noſtros Redemptores, quippe qui ſuis Satisfactionibus ſuperabundantibus pro nobis ſatisfecerunt. An eſſent idonei Redemptores qui à Chriſto redempti ſunt, & à maledictione liberati?

Petrus Actorum cap. 4. de Chriſto hæc ait, *Non eſt ſalus in vllo alio, non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus per quod oporteat nos ſaluari.*

Nam vt ait Paulus ad Coloſſenſes c. 1. *Placuit patri ſibi recõciliare omnia tam quæ ſunt in terra quam quæ ſunt in cælo, facta pace per ſanguinem crucis.* Et vt ait Eſaias cap. 53. *Sauciatus eſt pro noſtris criminibus, & Deus ei impoſuit iniquitatem noſtrûm omnium.*

Enimuerò *Deus eſt vnus, & Mediator vnus Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus qui ſe tradidit pretium redẽptionis pro omnibus.* 1. Timot. 2. 5. Apoſtolus docet qua ratione Chriſtus ſit vnicus Mediator, nempe quia ſe tradidit in pretium redemptionis.

Idem Apoſtolus ad Coloſſ. cap. 2. 13. *Per Chriſtum Deus condonauit nobis GRATIS omnia noſtra peccata.* Et ad Romanos, cap. 13. 24. *Iuſtificati GRATIS per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu.* An redimitur gratis, qui ſatisfacit per pœnas, & per multas ſæcula cruciatur igne purgatorij?

Hęc redemptio facta per Chriſtum perfecta eſt. Nam quemadmodum in Symbolo Apoſtolorum, cum profitemur nos credere reſurrectionem carnis, & vitam æternam, id non eſt intelligendum de reſurrectione imperfecta, nec de vita ęterna in qua aliquid deſideretur, ſic nec articulus de remiſſione peccatorum, de imperfecta remiſſione intelligendus eſt.

Ezechielis cap. 18. 22. Deus dicit ſe non recordaturum iniquitatum quas commi-

ſerit peccator, qui abſiſtit peccato. An non recordatur iniquitatum qui eas punit in igne ardente?

Chriſtus multis remiſit peccata, ſed nullas eis irrogauit pœnas ſatisfactorias. Iohannis cap. 5. commate 14. Chriſtus cum ſanaſſet ægrum, ei dixit *Ecce ſanatus es, ne pecca amplius, ne quid deterius tibi accidat;* Hortatur eum ad pœnitentiam, at non vt ſe diuerberet virgis, aut certis cibis abſtineat, nec ei indixit mulctas pecuniarias. Lucæ cap. 7. Chriſtus fœminæ peccatrici dicit, *Peccata tua tibi ſunt remiſſa, fides tua te ſeruauit, vade in pace.* Nullas ei indixit pœnas ſatisfactorias.

De Petro poſt trinam abnegationem Ambroſius in 22. cap. Lucæ dicit. *Petri lacrymas lego, ſatisfactionem non lego.* Bellarminus lib. 3. de Pœnitentia cap. 20. §. *Reſpondeo*, ſic reſpondet, *Reſpondeo, eo tempore* [id eſt tempore Ambroſij] *nondum fuiſſe inſtitutã Confeſſionem Sacramentalem*, Ergo nec Sacramentum pœnitentiæ, nec Satisfactio Sacramentalis. Hæc verba in Ieſuitarum Coryphæo apprimè notanda ſunt.

Vtiq;cum Chriſtus pro tota pœna ſatisfactoria tam tēporali quam æterna abundè ſatisfecerit, alienum eſt à iuſtitia Dei pro vno eodemque debito geminam ſatisfactionem exigere. An mors Chriſti non eſt ſufficiens ad efficiendum vt piorum animæ non cruciētur in Purgatorio? An mors Chriſti quæ eſt pretium ſufficiens ad nos redimendos à pœna æterna, non eſſet ſufficiens ad nos redimendos à pœna temporali purgatorij? Aut ſi eſt ſufficiens, cur Deus hanc ſatisfactionem pro pœnis purgatorij non admittit? Cur Deus de eius efficacia portionem recidit & amputat? Quis ad verba Vazquis Ieſuitæ non cohorreſcat? *Adulti* (inquit) *ſolo merito Chriſti non ſunt efficaciter redempti.* Hęc habet Tomo IV. in tertiam partem Thomæ pag. 274. *Et nihil nobis condonatur fauore etiam ipſius Chriſti*, pag. 275. Huic ſceleratæ doctrinæ appoſita eſt cenſorum approbatio. Nec ſegnior eo Bellarminus lib. 1. de Purgatorio cap. 14. §. *Reſpondeo.* Si Chriſtus ſatisfecit pro " omni culpa & pœna noſtra, cur poſt re- " miſſam culpam adhuc tam multa pati- "

" mur, & tandem etiam morimur? Et §.
" *Reſpondeo tres*. Si poteſt homo iuſtus ſuis
" operibus mereri de condigno vitam ęter-
" nam, cur non ſatisfacere pro pœna tem-
" porali quod eſt minus?

Non ſi totam antiquitatem peruoluas, inuenies exemplum paſtoris, qui dixerit peccatori, *Abſoluo te à tuis peccatis*, & qui peccatori poſt abſolutionem irrogauerit pœnas ſatisfactorias.

CAP. XI.

Diluuntur aduerſariorum effugia. Modi quibus beneficium Chriſti nobis applicatur.

CONantur aduerſarij putido cauillo ſe expedire. Dicunt Chriſtum quidem abundè ſatisfeciſſe pro culpa & pœna æterna, ſed ſupereſſe pœnam temporalem ſatisfactoriam, pro qua ſatisfaciendum ſit in hac vita, & poſt mortem in Purgatorio. Hic quidem eſt articulus fidei Romanæ, de quo in Dei verbo οὐδὲ γρῦ. Quid? nonne Chriſtus plenè ſatisfecit pro iſta pœna temporali? Si ſatisfecit, cur Deus aliam

ſatisfactionem exigit? Cur cruciat animas filiorum pro peccatis remiſſis? Profecto ſi quis à vade integram ſolutionem pro me accepit, amiſit ius exigendi à me vel minimam partem debiti. Nec iuſtitia patitur vt quiſquam poſt totam culpam remiſſam luat pœnas ſatisfactorias, quippe qui nullius culpæ eſt reus. An Deus punit carentes culpa? Id ſi iniuſtum eſt in quolibet homine, multò iniquius eſt in patre. Oportet pater ſit plane ἄστοργος & quauis bellua immanior qui filios præcipitat in fornacem ardentem, ob peccata remiſſa, & pro quibus plenam ſatisfactionem accepit. Sceleratus eſt pater qui gaudet cruciatu filiorum carentium culpa, & quibus omnem culpam ignouit. Pater cui ſupereſt mica bonæ mentis nunquam caſtigat filios ad vindictam, & vt ſibi ſatisfaciat, ſed vt eos emendet. Quæ emendatio (ſi creditur aduerſarijs) locum non habet in Purgatorio.

Fruſtra cauſantur ſanguinem Chriſti dare efficaciam noſtris ſatisfactionibus. Id enim Scriptura non dicit. Figmentum eſt humani cerebri nouum & adhuc ca-

lens ab incude. Enimuero Chriſtus non eſt mortuus, vt nobis daret vires ſatisfaciendi, ſed vt ipſe ſatisfaceret. Non redemit nos vt ipſi eſſemus noſtri redemptores. Nec perſoluit debita noſtra vt ipſi ea ſolueremus. Nec nobis dat vires faciendi quod iam factum eſt. Immo ob id ipſum ſatisfecit iuſtitiæ Dei vltrici, ne nos teneremur ei ſatisfacere per pœnas quas Synodus Tridentina vocat vindictas. *Iuſtificamur gratis per Chriſtum*, Rom. 3. 24. Apoſtolus ad Hebræos cap. 1. V. 3. dicit Chriſtum per ſe ipſum peregiſſe purgationem noſtrorum peccatorum: non ergo per noſtros cruciatus & flammas Purgatorij. Sanguis Chriſti nos purgat ab omni peccato. 1. Ioh. 1.

Quod ſi Chriſtus dicitur ſatisfeciſſe pro nobis quia dat nobis vires ſatisfaciendi, idem dicendum erit de Patre & Spiritu ſancto. Nam pios animi motus & patientiam in ærumnis debemus, Patri, Filio & Spiritui ſancto.

Pari errore & libidine condendi noua fidei dogmata aduerſarij dicunt ſatisfactionem Chriſti nobis per noſtras ſatisfa-

ctiones applicari. Nam ſolutio debiti non applicatur alia ſolutione. Nec contrarium applicatur per contrarium. Lux non applicatur per tenebras: Nec ſalutaris medicina per propinationem veneni. Deus non confert remiſſionem peccati per pœnam. Nec perfecta ſatisfactio Chriſti nobis applicatur per media quæ derogant iſti perfectioni: id enim implicaret contradictionem.

Modi per quos Chriſti redemptio nobis applicatur diſcendi ſunt ex ſacra Scriptura, non verò ex hominum commentis qui deprauatione religionis Chriſtianæ ad lucrum & ambitionem velificantur. Chriſti beneficium nobis applicatur Baptiſmo: Paulus enim ad Galatas cap. 3. dicit, nos in Baptiſmo veſtiri Chriſto. In ſacra Cœna *panis quem frangimus eſt communio corporis Chriſti*, 1. Corinth. 10. ℣. 16. *Fide Chriſtus inhabitat corda noſtra.* Epheſ. 3. ℣. 17. Denique in Euangelio Chriſtus nobis offertur. Hi ſunt modi per quos Chriſtus & eius gratia nobis offertur & applicatur: non vero vſtrina animarum, flagra, ciborum diſcrimina. Quæ quidem

Deo offeruntur non poſcenti, immo & nolenti, ab hominibus dignis qui tota Chriſti gratia excidant quia aliam quæſiuerunt. Vſque adeo in errore obſtinati, vt velint Chriſti ſatisfactionem nobis applicari non modo per noſtras pœnas ſatisfactorias, ſed etiam per alienas, & Deum ignoſcere Philippo quia Antonius ſe flagellauit, & pro Philippo epulante ieiunauit.

CAP. XII.

Excutiuntur rationes quibus Synodus Tridentina tuetur ſatisfactiones humanas.

SAtisfactiones humanas Synodus Tridentina Seſſione XIV. cap. 8. tuetur his rationibus. *Diuinæ* (inquit) *iuſtitiæ ratio videtur exigere vt aliter à Deo in gratiam recipiantur qui ante Baptiſmum per ignorãtiam deliquerunt, aliter ij qui ſemel à peccato & à ſeruitute dæmonis liberati ſcientes tẽplum Dei violant, & Spiritum ſanctum contriſtant.* Hic quidem venerabiles patres vltro cæcutiuerunt. Cenſent enim

omnes qui baptiſantur liberari à peccato & diaboli ſeruitute. At non ignorabant adultos qui per hypocriſim baptiſma ſuſcipiunt, quales Hiſpania habet quamplurimos, qui populari conuitio Marrani appellantur, per hoc baptiſma non liberari à peccato & dæmonis poteſtate, cum inde pręgrauetur eorum peccatum, & maiorem damnationem ſibi conſciſcant. Deus non tenetur fauere hypocritis. Improbè faciunt qui Dei liberalitatem vertunt in ſeruitutem.

Nec Patres huius Synodi ignorabant, poſſe fieri vt aliquis ante Baptiſmum ſpontè & ex deſtinato patret grauiſſima ſcelera. Id fecit Conſtantinus magnus, qui cum eſſet Catechumenus, necdum Baptizatus, Criſpum filium, & Fauſtam vxorem, & Licinium iuniorem ſororis ſuę filium interemit. Viciſſim verò poſſe fieri vt Baptiſatus peccet per infirmitatem aut ignorantiam.

Eadem Synodus dicit has ſatisfactiones eſſe vtiles ad reuocandos homines à peccatis. Non viderunt Synodiſtæ his verbis damnari purgatorium, quod ipſi

dicunt non conferre ad vitanda vitia, & morum emendationem. At ſatisfactiones Sacramentales eſſe noxias,& cõſcientiarum tormentum ſuo loco probabimus. Pœnæ quibus Deus caſtigat ſuos filios tum demum ſunt vtiles quando non pro vltionibus ſed pro paternis commonefactionibus accipiuntur.

Addit Synodus, nos per pœnas iſtas ſatisfactorias fieri Chriſto conformes, vt ait Apoſtolus Rom. 8. *Si Chriſto compatimur & conglorificabimur.* Hæc quidem eſt horrenda Scripturæ ſanctæ deprauatio, per quam quod Apoſtolus dicit de perſecutionibus & ærumnis & martyrio pro profeſſione Euangelij trahitur ad flagra, ad peregrinationes,ad diſtinctionem ciborum, ad mulctas pecuniarias indictas à Parocho. Sanè qui hæc ſponte patiuntur, non tolerãt Chriſti crucem ſed ſuam. An qui ſibi dorſum concidit loris, aut nudis pedibus viſitat reliquias, aut qui cilicio ſibi ſcapulas excoriat,fit per hæc Chriſto conformis? cum Chriſtus nihil horum fecerit, nec fieri iuſſerit? Nec Apoſtoli Chriſti imitatores, talia vnquam factita-

uerint? An abſtinere carne triduo ante diem Paſchatis cenſebitur conformitas qua aſſimulemur Chriſto, cum illa ipſa die Chriſtus comederit agnum cum diſcipulis? An muliercula quinquagies repetens eandem precationem ſermone ignoto per id Chriſto aſſimilabitur, qui nunquam dixit Aue Maria nec Pater noſter, & Euchariſtiam inſtituit ſermone vulgari, qui à diſcipulis intelligebatur? An per cruciatum in Purgatorio poteſt quiſquam eſſe Chriſto conformis? Hæc quidem arbitror à venerandis patribus dicta magis ad mouẽdum riſum quam ad faciendam fidem. Nec Synodus hæc affirmat, ſed tantum dicit id *ſibi videri.*

CAP. XIII.

Expenditur diſtinctio Culpæ & Pœnæ. Deum poſt remiſſionem integram culpæ nullam exigere pœnam Satisfactoriam.

DEum poſt remiſſam culpam infligere pijs pœnas res eſt extra controuerſiam. Idque verbo Dei, & ipſa experientia compobatur. Sed controuertitur an

pœnæ iſtæ ſint ſatisfactoriæ, & quæ infligantur à Deo ad vindictam, vt cenſet Synodus Tridentina, & ad compenſationem pro illata Deo iniuria, vt Dei iuſtitiæ ſatisfiat. An vero ſint tantum commonefactiones & caſtigationes paternæ ad emendationem.

Hęc diſtinctio culpæ & pœnæ Pontificijs eſt quod ſorici ſcrobs in quam ſe proripit vt euadat, & pręcipuum erroris ſui præſidium. Verba Synodi Tridẽtinæ hæc ſunt Seſſ. XIV. cap. 8. *Falſum omnino eſt, & à verbo Dei alienum, culpam à Deo nunquam remitti quin vniuerſa etiam pœna condonetur.* Loquitur autem de pœnis ſatisfactorijs. Vult enim Deum poſt remiſſionem culpæ exigere à pijs pœnas vltrices & ſatisfactorias.

Hęc doctrina turpi ſe contradictione & ſexcentis abſurditatibus implicat.

I. Quærimus enim an Chriſtus moriens pro nobis, ſatisfecerit pro iſtis pœnis temporalibus ſatisfactorijs, & pro pœna Purgatorij. Si plenè ſatisfecit non opus eſt alia ſatisfactione. Si non ſatisfecit, ſatisfactio eius eſt imperfecta.

2. Sanè dempta culpa per integram remiſſionem, nihil ſupereſt pro quo ſatisfaciendum ſit: non enim fit ſatisfactio pro pœna, ſed pro culpa. Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 5. *Exempto reatu eximitur & pœna.* Nec aduerſarij poſſunt dicere ob quam culpam animæ torqueantur in Purgatorio. Iniuſtus eſt qui eum cruciat qui caret culpa. Chriſtus omnem noſtram culpam tulit, & per id abſtulit.

3. Ac profectò remittere culpam nihil aliud eſt quam eam nolle punire, vt docet Scotus * teſte Vazque in 4. part. Thomę pag. 274. Nec Chriſtus aliter ſatisfecit pro noſtra culpa, quam ferendo pœnam quæ noſtrę culpæ debebatur. Ridiculus eſſet, immo impius, qui diceret Chriſtum tuliſſe omnem noſtram culpam, at non tuliſſe omnem pœnam.

4. Ob id ipſum Chriſtus tulit noſtram pœnam vt ab ea eſſemus liberi. Vt ait Auguſtinus Sermone 37. de verbo Domini. *Chriſtus ſuſcipiendo pœnam & non ſuſcipiendo culpam, & culpam deleuit & pœnam.*

5. Nec ſons qui in Tullianum detruſus

* Scotus in 4. Diſt. 22. q. 1.

eſt aliud exoptat quam remiſſionem pœnæ. Nec ſollicitus eſt de remiſſione culpæ, dummodo certus ſit de remiſſione pœnæ.

6. Fatuus eſſet Princeps qui reo abſoluto diceret, *Tibi remitto crimen, at non pœnam. Condono tibi culpam, tantùm ageris in crucem.* Si autem ſonti abſoluto qui mortem commeruit Princeps irrogat mulctas pecuniarias, aut exilium, aut damnationem ad remum, hæ pœnę ſunt imminutio gratiæ: Quod dicere de Chriſti gratia indigna eſſet gratiæ Chriſti decurtatio. An Chriſtus diceret peccatori, ego quidem te libero à pœna inferni; ſed tantùm cruciaberis igne per aliquot ſæcula.

7. Abſit verò vt Deus fingatur illudere hominibus, cõdonans culpam, ſed tamen puniens ob culpam. Remittens totum debitum, ſed exigens ſolutionem. Nam cur in Deo cenſeretur actio iuſta quæ ſi fieret ab homine, hic homo meritò accuſaretur iniuſtitiæ & ſubdolæ reconciliationis? Quis non abominaretur hominem qui poſt acceptam iniuriam condonauerit culpam, mox tamen exigeret pœnam, & eum à quo paſſus eſt contumeliam blanda

reconciliatione delinitū, magno mactaret infortunio? dicens, *Ego quidem ei remiſeram culpam at non pœnam.* Enimuerò an eſſem melior Deo qui idem facit? Nonne homines ſatis ſunt proni ad vindictam, vt Deus inſuper fiat ſceleratæ vltionis patronus & exemplar?

8. Vtique cum Deus iubeat nos remittere proximis culpam & pœnam, non eſt conſentaneum Deum velle nos eſſe clementiores quam ipſe ſit. *Eſtote* (inquit Paulus ad Epheſ. cap. 4.) *miſericordes condonantes vobis mutuò, ſicut Deus per Chriſtum condonauit nobis.* Deus nobis ignoſcit eodem modo quo ignoſcimus proximis. Vult autem vt proximis remittamus omnem pœnam. Ergo Deus idem facit.

9. Bellarminus preſſus euidentia veritatis frontem perfricat. Nam libro 4. de Pœnitent. cap. 13. huic obiectioni reſpondet hoc modo. *Mandatum illud Euangelicum de peccatis remittendis gratis, id eſt nulla ſatisfactione impoſita, nos adhuc in quatuor Euangeliſtarum voluminibus repetire nequiuimus.* Non auſus eſt dicere id non inueniri in ſacris ſcripturis. At nemo

niſi perditè nequam auſit negare, epiſtolis Pauli contineri doctrinam Euangelij, & eius ſcripta eſſe verè Euangelica. Is epiſtola ad Romanos cap. 12. hæc habet. *Nemini malum pro malo reddite.* Et paulo poſt. *Non vlciſcentes vos ipſos.* Quem locum vulgata verſio corrupit vertẽs ἐκδικοῦντες per *defendentes.* Concinit Solomon Prouer. cap. 20. 22. *Noli dicere retribuam malum, ſed expecta Deum, & te liberabit.*

10. Ac ne quis deſideret loca ex libris Euangeliſtarum, Chriſtus cap. 5. Matthæi ℣. 24. hæc ait *Diligite inimicos veſtros, benefacite ijs qui vos perſequuntur.* An qui iubet nos benefacere eis qui nos offenderunt, permitteret de eis ſumere vltionem, & exigere ab eis pœnas ſatisfactorias? Nonne in libro Euangeliſtarum habetur oratio Dominica, in qua iubemur petere à Deo vt remittat nobis offenſas, quemadmodum remittimus eis qui nos offenderunt? Ergo cum petimus à Deo vt nobis remittat totam pœnam ſatisfactoriam, nos obſtringimus ad idem faciendum eis qui nos offenderunt.

11. Matthæi cap. 18. Deus deſcribitur

ſub perſona heri qui ſeruo debenti mille talenta gratis remiſit totum debitum, abſque vlla pœna ſatisfactoria, & qui à debitore ne minimam quidem partem debiti exigit.

12. Omnino qui dicunt peccato ineſſe hæc duo, *culpam* & *pœnam* pueriliter ineptiunt. Nam quomodo in peccato eſſet culpa, cum peccatum & culpa idem ſint? Nonne in Miſſa Sacerdos percutiens pectus & dicens, *Mea culpa, mea culpa*, fatetur ſuum peccatum? Sed nec in peccato quod Deus remittit pœna eſt, cum pœna ſit effectum peccati. Nauarrus Commentario de Indulg pag. 549. *Culpa non eſt effectus peccati ſed eſt ipſum peccatum.*

13. Sunt qui dicunt per culpam intelligi reatum: At id impoſſibile eſt. Nam reatus iuſtus eſt, at culpa eſt iniuſta. Tum reatus fit à lege aut à iudice, at culpa fit à peccatore. Cum igitur aduerſarij, diſtinguentes culpam à pœna, malunt dicere Deum remittere culpam, quam dicere Deum remittere peccatum, affectatus eſt ſtupor & voluntaria ignorantia, quandoquidem culpa & peccatum idem ſunt.

14. Par abſurditas in eo quod duas faciunt remiſſiones, vnam culpæ, alteram pœnæ? Cum vna eademque ſit remiſſio, & remittere culpam nihil aliud ſit quam nolle punire.

His rationibus conſtrictus Bellarminus, auſus eſt aduerſari Eccleſiæ Romanæ, in qua hic fidei articulus arctè tenetur, animabus quæ ſunt in Purgatorio omnem culpam eſſe remiſſam. Nam cap. 4. lib. 1. de Purgat. §. *Quintò*, dicit, *in Purgatorio remitti culpas, ſaltem veniales.*

CAP. XIV.

Exempla quibus ſe tuentur aduerſarij.

AD hæc aduerſarij non reſpondent quod vel minimum colorem habeat. Oſtentant quædam exempla, quibus attexunt minutas argumentatiunculas quæ ſolo flatu concidunt.

Obtendunt exemplum Dauidis, quem Deus poſt remiſſionem culpæ, ipſi à Nathane Propheta pronuntiatam, grauiſſimis pœnis affecit. Reſpondemus has pœ-

nas non fuiſſe vindictas, nec compenſationes pro offenſa, nec pœnas ſatisfactorias quibus Dauid ſatisfaceret iuſtitiæ Dei vltrici, vt cenſent aduerſarij. Non fuerunt vltiones iudicis, ſed caſtigationes patris. Non fuerunt vindictæ ob præterita, ſed commonefactiones in futurum, quod de pœnis purgatorij dici non poteſt. Medicus nũquam parat ægro medicinam amarulentam ad ſatisfactionem aut vindictam, ſed ad curam. Sic pulſantur & percutiuntur apoplectici non ad vltionem, ſed ad excutiendum ſoporem. Tales pœnæ ſunt beneficia. Maxima pœna eſt non puniri à Deo & ſalutariter corripi. Sic enim conſcientijs callus obducitur, & peccatores alto veterno indormiunt. Quos Deus amat caſtigat. Prou.3.12. Heb.12.℣. 7. 8. & 9. Iob.5 17.

Ipſe Dauid pœnas à Deo inflictas ſic interpretatur. Pſal. 119. pericope 67. *Antequam me affligeres, ibam per deuia, nunc autem eloquium tuum cuſtodio.* Ieremias cap. 10. 24. petit caſtigari à Deo, quod nunquam feciſſet niſi crediidiſſet ſibi perutile eſſe à Deo caſtigari. An petijſſet vt Deus

de ipſo ſumeret vltionem? Sententiarum Proſperi ex Auguſtino excerptarum quinquageſima tertia hęc eſt. *Iuſtis quicquid malorum ab iniquis hominibus irrogatur, non pœna eſt criminis, ſed virtutis examen.* Auguſtinus lib. 2. de meritis peccatorum cap. 34. *Pœna ante remiſſionem peccatorum, ſunt ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem ſunt certamina exercitationeſque iuſtorum.*

Inſtant tamen aduerſarij hoc modo. Dauid poſtquam ignouit Semei qui eum atrocibus conuitijs inſectatus fuerat de eo ſumpſit vltionem. Reſpondemus Dauidem ei non ignouiſſe abſolutè, vt diſcimus ex libro primo Regum cap. 2. ℣. 8. & 9 ſed pœnam in aliud tempus diſtuliſſe. Nec Semei occiſus eſt ob contumelias Dauidi illatas, ſed quod contra prohibitionem Solomonis Hieroſolyma exceſſiſſet. Tum hic Semei fuit nequam: at hic agitur de ærumnis piorum. Si quis tamen arbitraretur Dauidem hic aliquid humanitus eſſe paſſum, nolim aduerſus eum ducere contentionis funem. Sed actiones Dauidis non figunt Deo legem.

Objicit Bellarminus ipſius Dei verba

ad Dauidem. *Quia blaſphemari feciſti Dei nomen ab inimicis Domini, idcirco puer qui tibi natus eſt morietur.* At nos pernegamus mortem iſtius pueri fuiſſe ſatisfactionem pro peccatis patris. An per id compenſabatur iniuria Deo facta?

Aduerſarij ſic diſputant. Adam fuit pius & electus, attamen Deus eius peccatum vltus eſt. Hîc quoque negamus Adami pœnam fuiſſe ſatisfactoriam. Corruptionem naturalem Adam ſibi ipſe contraxit. Deus eum non corrupit, ſed ipſe ſe. Obnoxium quidem eſſe morti pœna eſt quæ Adamo & eius poſteris fuit à Deo inflicta: ſed perperam affertur exemplum pœnæ cui totum genus humanum eſt obnoxium, vbi agitur de pœnis quæ ſolis pijs & electis ſunt peculiares. Adde quod Satisfactio debet eſſe voluntaria. Solutio enim quæ fit Deo non debet fieri ab inuito: At Adam non ſpontè factus eſt morti obnoxius & animæ deprauationi.

Pergunt hoc modo, Numerorum c. 14. commate 20. Deus dicitur ignouiſſe Iſraelitis, quibus tamen poſtea ingreſſum in terram Canaam interdixit. Sed fruſtra

affertur exemplum numeroſæ gentis, vbi agitur de ſatisfactione quæ fit à ſingulis. Fructus huius remiſſionis non pertinuit ad omnes Iſraelitas, ſed ad eos tantum qui crediderunt & conuerſi ſunt. Deus dicitur ignouiſſe populo Iſraelis quia eum non deleuit nec excidit. Sed hæc remiſſio non pertinet ad vitam æternam. Interdictio illa ab ingreſſu in Palæſtinam, erga electos & pios fuit caſtigatio paterna & ſalutaris: Erga alios fuit vindicta qualem Deus exercet in reprobos. At nullus pius per hanc pœnam iuſtitiæ Dei ſatisfecit, aut compenſationem Deo obtulit pro offenſa. Nec pœna quam omnes ægerrimè tulerunt poteſt vocari voluntaria ſatisfactio.

Objiciunt exemplum Corinthiorum quibus Deus ignouit, veruntamen Apoſtolus prima ad Corinthios cap. 11. dicit multos eorum ægrotare & quoſdam eſſe mortuos. Qui ſic diſſerunt temerè præſupponunt Deum omnibus Corinthijs ignouiſſe, inter quos non dubium eſt quin aliqui fuerint hypocritæ, & ad electionem Dei non pertinentes. Reſpondemus igitur eis qui ęgrotauerunt, & conualuerunt

&

& reſipuerũt Deum ignouiſſe: at non fuiſſe punitos ad ſatisfactionem aut vindictam, ſed ad caſtigationem & emendationem. Eos verò qui ex morbo mortui ſunt, aut electos fuiſſe aut reprobos. Si electi & pij, eorum mors non fuit pœna ſatisfactoria ſed beneficium, & liberatio ab hoc ergaſtulo & iugo peccati. Si reprobi & improbi, eorum mors fuit ingreſſus in gehennam, vbi ſatisfaciunt iuſtitiæ Dei. De qua ſatisfactione hic non agitur, ſed de ea quã aduerſarij volunt pijs eſſe peculiarem.

Fruſtra oſtẽtant id quod habetur Exodi 32. vbi iuſſu Moſis, vtpote Iudicis, trucidata ſunt tria Iſraelitarum millia. Nam quid hoc ad rem?. Scriptura non dicit Deum eis remiſiſſe peccatum, nec eos per hanc pœnam Deo ſatisfeciſſe. Nec talis pœna fuit voluntaria. Quod ſi Deus aliquibus eorum ignouit, ſtatuendum eſt eos fuiſſe pios & verè pœnitẽtes. His mors profuit ad ſalutem, alijs vero ad exemplum.

Pœna inflicta inceſto Corinthio, fuit caſtigatio ad emendationem, non vero ſatisfactio ad vindictam. Id experientia comprobauit. Bellarminus tamen lib. 4.

de Pœnit, c. 8. dolorem quem Corinthij inde ſenſerunt fuiſſe vindictam ſeu pœnam ſatisfactoriam eis à Deo inflictam inde conatur probare, quod Apoſtolus 2. ad Cor. c. 7. 11. dicit triſtitiam qua fuerunt affecti peperiſſe in eis indignationem, zelum, timorem, deſiderium, vindictam. At nemo non videt Apoſtolum non loqui de pœnis ſatisfactorijs, quæ infliguntur à Deo, aut indicuntur à Parocho, ſed de vindicta qua peccator ſibi iraſcitur, & peccatum ſuum deteſtatur. Qui quidem non ſibi iraſcitur vt Dei iuſtitiæ per pœnam ſatisfaciat, ſed vt acribus ſtimulis ſe inſtiget ad reſipiſcentiam, & Dei miſericordiam imploret.

Sed & aduerſarij tuentur ſe exemplo Regum, qui ſontibus crimen remittunt, ea tamen lege vt parti offenſę ſatisfaciant. Reſpondemus id fieri, quia Rex & perſona offenſa ſunt duæ perſonæ diuerſæ, & quia Rex non poteſt de iure alterius diſpenſare. At in re de qua hic agitur Rex & perſona offenſa ſunt idem. Idem qui offenſam paſſus eſt, eſt iudex. Quando Deus quatenus Rex & iudex, remiſit peccatum,

nulla ſupereſt perſona offenſa, cui ſatisfaciendum ſit. An Deus remitteret peccatum quâ iudex, non vero qua perſona offenſa? An diceret peccatori tibi remitto crimen quâ iudex: at de te ſumam vltionem quâ perſona offenſa? Sed & grauiter allucinantur qui ſolutionem debiti putant eſſe pœnam, cum ſit bonum opus.

CAP. XV.

Refelluntur argumenta ex ratione petita.

HIs exemplis Pōtificij attexunt quaſdam rationes, ſed tam debiles & dilutas vt nihil ſupra. Deus (inquiunt) dicitur eis iraſci quos amat. Quid tum? Nonne pater amans filios poteſt eis iraſci, & eos caſtigare ad eorum emendationem, non verò vt ipſe ſibi ſatisfaciat, & ſuas iniurias vlciſcatur? Id docet Ambroſius l. 1. de Pœnit. c. 4. *Indignatio Dei, non vltionis executio, ſed magis abſolutionis operatio eſt:* Deus odit filiorum ſuorum peccata, ſed amat perſonas, & eos caſtigādo promouet eorum ſalutem. Nam amare in Deo ni-

hil aliud eſt quam velle benefacere.

At (inquiunt) aliquando Deus morte plectit ſuos filios ob peccata non ad emendationem, ergo ad ſatisfactionem. Reſpondemus id quidem non fieri ad emendationem, ſed nec ad ſatisfactionem, verùm ad beneficium, vt eos peracto certamine ſibi admoueat. An apertio carceris eſſet ſatisfactio? Quandoque etiam Deus id facit vt alij admoneantur exemplo. Deus quidem remittit peccata pœnitentibus, ſed hæc pœnitentia non eſt pœna ſed virtus.

Idem dicimus de infantibus ad Dei fœdus pertinentibus, quibus cum peccatum originale remiſſum ſit, ſunt tamen obnoxij doloribus & morti. Nam iſti dolores & mors non ſunt ſatisfactiones pro peccato: Prærogatiua eſt & beneficium per quod hi infantes immatura morte ſublati coronantur ante certamen, & tentationes effugiunt.

Quod ad dolores quibus hi infantes vexantur, præter rem huc afferuntur exẽpla pœnarum quæ conueniunt toti generi humano, & quæ accidunt hominibus quate-

nus ſunt homines. Hic enim agitur de malis & pœnis quæ conueniunt hominibus quatenus ſunt fideles, & quorum peccata remiſſa ſunt.

Bellarminus vult ſacrificia quæ ſub lege Moſis Deo offerebantur fuiſſe ſatisfactiones, & compenſationes & vindictas. Ridiculè. An vituli mactatio fuiſſet idonea compenſatio, per quam iuſtitiæ Dei fieret ſatis? Immo verò cum hæ victimæ eſſent figura Chriſti ſatisfacturi pro noſtris peccatis, hac immolatione peccatores admonebantur, ſe non poſſe Deo ſatisfacere per pœnas, vel per vlla impendia, ſed quęrendam eſſe in Redẽptore ſatisfactionem.

Deniquè ſic argutantur. In omnibus Dei actionibus, iuſtitia Dei iũcta eſt cum eius miſericordia: & hæ virtutes pariter elucent. Ergo poſtquam Deus remiſit peccatum per miſericordiam, oportet pœnas exigat per iuſtitiam. Id verò nos pernegamus. Iacobi Apoſtoli verba ſunt c. 2. *Condemnatio ſine miſericordia fiet illi qui non fuerit vſus miſericordia.* An Deus vtitur miſericordia erga diabolos? Per hanc doctrinam poſtquam Deus per iuſtitiam

præcipitauit hominem in infernum, oporteret vtatur erga eum miſericordia. Ædant aduerſarij quo pacto Deus exerceat iuſtitiam cum miſericordia erga Angelos, & Beatam Virginem. Dei quidem virtutes nunquam inter ſe confligunt. Poteſt tamen Deus exercere actus vnius virtutis ſine exercitio alterius. Colliderentur inter ſe iuſtitia Dei & miſericordia, ſi per iuſtitiam vltricem puniret peccata quæ per miſericordiam abſolutè & perfectè condonauit. Ipſi aduerſarij non rarò dant abſolutiones ſine vllo opere adiuncto. Emanuelis Sa Ieſuitæ Aphoriſmis, Verbo *Satisfactio*, verba hæc ſunt *Accipienti plenariam Indulgentiam poteſt dari Abſolutio ſine pœnitentia.* De Gregorio VII. Bellarminus dicit eum dediſſe Indulgentias ſine vllo opere adiuncto.

CAP. XVI.

Locus Danielis cap. 4. elucidatur.

THeologi Pontificij præcipuè triumphant in verbis Danielis cap. 4. com-

mate 27. quibus Regem Nebucadnezar ſic affatur. *Redime tua peccata per iuſtitiam, & tuas iniquitates commiſeratione erga afflictos.* Vrgent vocem *redimendi*, qua volunt ſolutionem pretij & ſatisfactionem per pœnas deſignari. At ſic loquentes allucinantur turpiter immo impiè, magno enim ſcelere eleemoſynas pœnis annumerant. Et ipſi orſa à ſe detexunt, & ſibi contradicunt: cenſent enim culpas ſeu peccata non redimi, ſed tantum pœnas: at Daniel dicit *peccata tua redime.*

Adde quod aduerſarij docent, ſatisfactiones tantum à pijs peragi, & ab eis qui ſunt in Eccleſia, non vero ab Ethnicis & infidelibus, qualis erat iſte Rex. An Daniel ſuaſiſſet homini Ethnico ſatisfacere pro pœnis temporalibus, qui erat obnoxius pœnis æternis? An poſſunt hęc trahi ad Satisfactiones ſacramenti pœnitentiæ cum ipſi fateantur tempore Danielis nullum fuiſſe Sacramentum Pœnitentiæ, & credant hoc Sacramentum non poſſe niſi in Eccleſia adminiſtrari? Non debuit Nebucadnezar ſollicitus eſſe de redimendo ſe à pœnis purgatorij qui addictus erat

inferno. Profectò homines infeliciter acuti res ſuas planè conturbant, & ſe ſuis compungunt aculeis.

Caput rei & fons erroris eſt quod vocabulo *redimendi* per imperitiam abutuntur. Verbum PAREK prima & vſitatiſſima ſignificatione, ſignificat abrumpere, conuellere, lacerare. Sic accipitur Geneſ.27. 40. Et 1. Regum 19. 11. Exod.c.32. 3. Et Ezechielis cap. 19. ℣. 12. & 14.

Nec vox redimendi in Veteri Teſtamento ſolet ſignificare ſolutionem pretij, ſed plerũque ſignificat liberationem, quæ fit nullo pretio ſoluto. Sic loquitur Eſaias c.52.3. *redimemini ſine argento*, id eſt gratis liberabimini. Et Deut.7.8. populus Iſraelis dicitur redemptus à ſeruitute Ægypti. Idem habetur ſecundo libro Samuelis c.7. 23. Et Ierem. c.15.21. & ſæpe alibi. Senſus ergo huius loci hic eſt *Abrumpe curſum tuorum peccatorum, & libera te à ſeruitute peccati, per clementiam erga pauperes, & exercitium bonorum operum.* Hac vitæ immutatione peccator non liberatur à peccato, effectiue, ſed formaliter, vt paries coloratus albedine.

CAP. XVII.

Quam noxia ſit peccatoribus hæc doctrina de Satisfactionibus, & quam in Deum contumelioſa.

HÆc doctrina de neceſſitate ſatisfaciendi Deo per pœnas poſt culpam remiſſam adimit pacem animabus, & eſt ſæuiſſimum tormentum conſcientiarum preſſarum ſenſu peccati. Nam quis poſt impletas pœnas ſatisfactorias indictas à Parocho poteſt eſſe certus ſe Deo ſatisfeciſſe, & Deum hac ſatisfactione contentum eſſe? Non enim ex iudicio peccatoris aut Curionis pendet ſufficientia aut pretium noſtrorúm operum aut laborum, ſed ex Dei iudicio. At Sacerdos iubet Deum contentum eſſe hac ſatisfactione.

Quis autem poſſet ferre pœnam ἰσόῤῥοπον ſuis culpis, cum Chriſto iudice, qui fratrem fatuũ vocauit ſit reus gehennæ ignis? Matth. 5. 22. Et Paulus maledicentem proximo excludat regno cœlorum? 1. Cor. 6.20. Nam quotuſquiſque eſt expers iſtorum peccatorum? pro quibus tamen nemo poteſt de ſuo aliter ſatisfacere quàm

per æternum cruciatum. Eſt enim Pontificiorum ſententia, ſatisfactionem qua homo Deo ſatisfacit debere eſſe ex condigno & per æquipollentiam, vt prolixè probauimus. Semperque ſatisfactiones vocant compenſationes, quippe quæ fiunt ad ſarcienda Dei damna & diſpendia.

Quid quod per hoc dogma adimitur pijs afflictis omnis conſolatio, rebuſque per ſe amaris affunditur inſuper fel & abſynthium? Si quidem ſuas calamitates & dolores debent accipere vt vindictas & pœnas irrogatas à iudice, non verò vt indicia amoris Dei & caſtigationes ſalutares? Pro talibus pœnis nulla poteſt concipi gratiarum actio. Illuderet Deo, & non occulta indignatione ringeretur, qui diceret Deo *Ago tibi gratias, quod de me vindictam ceperis, & tuas iniurias vltus ſis.* At Dauid Pſal. 119. 71. Deo ſic agit gratias *Vtiliſſimum mihi fuit à te affligi, vt diſcerem tua mãdata.* Vir ſanctus ſuas ærumnas non inter vltiones, ſed inter Dei beneficia computabat.

Quodſi ærumnæ iſtæ pijs eueniunt ob Chriſtum & profeſſionem Euangelij, de-

bent fideles de eis gloriari. Sunt enim honeſta dehoneſtamenta, & opprobrium ſplendidius omni humana gloria, & veluti vulnera aduerſa, & cicatrices in pectore, virtutis argumenta. At qui in animum inducit, ſibi ſubeundas pœnas horrendas, per multa ſæcula, & cruciatus in flammis ardentibus ad ſatisfactionem, magno horrore concutitur, & eſt gradus procliuis ad deſperationem.

Nec qui flagellis & inedia ſe macerauit ſcire poteſt an perfectè ſatisfecerit, nec an Deus hanc ſatisfactionem admiſerit, quippe quæ eſt inuentum humanum, nec iubetur Dei verbo.

Quanta autem anxietate torqueantur cōſcientiæ ſuperſtitioſorum morientium hinc liquet, quod ante mortem effundunt ſuas opes in ſinum monachorum, & magno pretio emunt cleri ſuffragia, adimentes liberis flentibus quod dant Monachis cantantibus. Nec licet diuitibus gratis mori. Profectò quiſquis alias ſibi ſatisfactiones conquiret præter Chriſti mortem, ſemper manebit in oſcillo dubitationis pendulus, nec inueniet in quo cōquieſcat.

Hæc vir prudens animo voluens, quotieſcunq; videbit hominem de plebe Romana exultantem, ſaltãtem, vitulantem, & indulgentem genio, adducetur in hanc cogitationem, eiuſmodi hominem naſo ſuſpendere purgatorium. Aut hanc eſſe breuem ebrietatem, quæ tantiſper metum abſtergat. Aut hunc eſſe riſum Sardoniũ, & ſub ſpecie hilaritatis intercutem anxietatem. Nam quis mentis cõpos poſſet dormire placidè, aut vigilans frui vera animi tranquillitate, qui dubitans de ſua ſalute putet ſecum benigne agi, ſi poſt mortem mittatur in fornacem ardentem in qua torreatur per multa ſæcula? Id tamen in diuitibus minus mirum eſt, qui largitionibus in clerum, & Miſſis ac ſuffragijs emptis ſibi ſpondent ſubleuationem aliquam & refrigerium in hoc cruciatu. Quam ſpem adiuuant verba Miſſæ quibus ſacerdos quotidie orat pro defunctis *qui dormiunt in ſomno pacis.*

Nec parum retunditur ardor & ſtudium incumbendi precibus & eleemoſynis in eo qui cognouerit, eas inter pœnas & ſatisfactiones pœnales computari.

Nec exigua Chriſtus afficitur contumelia, cum flagellationes Dominici & volutationes Franciſci in niue, & longæ S. Macarij pœnitentiæ ob culicem necatum adiunguntur ſatisfactioni Chriſti, ad ſatisfaciciendum pro aliorum peccatis, veluti ſiquis carbones immiſceret gemmis, aut auro obriſo adiūgeret ſcorias reiectaneas.

Nec omittendum eſt quod aduerſarij docent poſt diem vltimi iudicij nullum fore Purgatorium. Volunt ergo omnes homines qui erunt in terris quando Chriſtus veniet ad iudicandum mundum, liberos fore à pœna purgatorij, etiam eos qui ſatisfactiones debitas non peregerint. Eſt igitur quod doleamus noſtram vicem qui nati ſumus infelici hoc ſæculo, quo qui moriuntur præcipitantur in flāmas ardentes duraturas in multa ſæcula. Felicius nobiſcum ageretur, ſi Deus noſtram natiuitatem in nouiſſimum illud ſæculum diſtuliſſet.

Grauiſſimum eſt quod per impium hoc dogma Deus detruditur ſolio, & Papa ſupra Deum extollitur. Oportet enim ſit Deo maior qui liberat homines neceſſita-

te parendi Dei mandatis. Papam id poſſe diſertè Bellarminus affirmat libro 4. de Pœnit. cap. 13. ſic ſcribens. *Indulgentiæ faciunt vt pro pœnis quæ per indulgentias condonantur, non teneamur præcepto illo de faciendis dignis pœnitentiæ fructibus.* Sexcenta eiuſmodi loca poſſemus congerere in quibus precipui quique aduerſariorum pertendunt & ſummo conſenſu affirmant Papam poſſe refigere Dei mandata, & diſpenſare contra Apoſtolum, & diſpenſare in Euangelio, interpretando ipſum, & in votis & iuramētis quę ſunt de iure diuino.

Ac profectò Deus habet iuſtam cauſam ſuccenſendi Pōtifici qui per indulgentias impedit ne Deo ſatisfiat, & Deum fraudat debita compenſatione.

CAP. XVIII.

Impura Papæ Clementis VI. oratio. Tum de paſſionibus Chriſti ſupernacuis.

DE præſtantia & ſufficientia mortis Chriſti Pontificij loquuntur grandia. Clemens VI. Papa qui Iubilæum ad

quinquaginta annos contraxit Extrauagante *Vnigenitus*, dicit vnam guttam ſanguinis Chriſti potuiſſe ſufficere ad redemptionem totius generis humani. Non potuiſſet maiores inflare tibias. Quam ſententiam probat Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs cap. 4. §. *Secunda*.

Hęc ſententia Euangelium à ſtirpe conuellit & Deo inurit labem iniuſtitiæ, & crudelitatis. Inde enim ſequitur mortem Chriſti eſſe ſuperuacaneam & non neceſſariam. Nam in circuncjſione & in horto vbi ſudauit grumis ſanguinis, multas guttas ſanguinis effuderat quarum ſingulæ potuiſſent ſufficere ad totius generis humani redemptionem. Inde etiam ſequitur Deum iniuſtè & crudeliter egiſſe cum filio dilecto, quem ſubiecerit tantis in cruce doloribus, poſtquam ab eo ſufficientem ſatisfactionem pro peccatis hominum accepiſſet, vnius guttæ ſanguinis effuſione.

At oportuiſſe Redemptorem mori, & ferre pœnam quam ſumus commeriti docet Scriptura Ioh. cap. 3. 14. vbi Chriſtus loquens de ſua eleuatione in crucem dicit;

oportere Filium hominis extolli. Et Lucæ cap. 22. 25. *Nonne OPORTVIT Chriſtum hæc pati?* Nam vt ait Apoſtolus ad Hebræos cap. 2. *mortuus eſt vt morte aboleret eum qui mortis habebat imperium.* Oportuit Redẽptorem luere pœnam quam ſumus cõmeriti. Idem Apoſtolus c. 9. 16. dicit vbi eſt Teſtamentum neceſſe eſſe vt mors Teſtatoris interueniat. Et pericope 22. *Sine effuſione ſanguinis non fit remiſſio:* Loquitur autem de effuſione ſanguinis in morte victimæ.

Et hanc quidem eſſe ſententiam Bellarmini, partem paſſionum Chriſti eſſe ſuperuacuam, ipſe apertè profitetur l. 1. de Ind. cap. 3. §. *Primò*, ſic loquens *Satisfactiones Chriſto & Sanctis ſuperuacaneæ applicari poſſunt alijs qui rei ſunt pœnæ temporalis.* Et frequenter inculcat paſſiones Chriſti & Sanctorum ſuperabundantes, futuras fuiſſe inutiles niſi per indulgentias conuerterentur in vſum eorum qui rei ſunt pœnæ temporalis. Hoc debet Chriſtus Papæ, quod Papa inuenit rationem efficiendi ne maxima pars paſſionum Chriſti ſit inutilis & ſuperuacanea. Eſtque conſtans

ſtans hæc doctrina inter aduerſarios Papam congerere in Theſaurum Eccleſiæ paſſiones ſupererogatorias Chriſti, eaſque diſtribuere populis ad Satisfactionem pro purgatorio & pœnis temporalibus. Ergo, ſi his creditur, vnica gutta ſanguinis Chriſti ſufficit ad redimendos omnes homines à pœnis æternis inferni. At cæteræ paſſiones Chriſti, & ipſa mors, tantùm adhibentur ad ſatisfactionem pro pœnis temporalibus. Quod quidem eſt nouum Euangelium, & horrenda mortis Chriſti proculcatio.

Papam verò Clementem non ſeriò locutum eſſe ſequentia eius verba demonſtrant. Addit enim, *Ad cuius quidem Theſauri CVMVLVM, Beatæ Dei genitricis & omnium electorum merita adminiculum præſtare noſcuntur.* Pretium quod Chriſtus pro nobis perſoluit Papa comparat modio raſo: at additis meritis Sãctorum, cõparat modio cumulato, vnde non parua fit ad theſaurum iſtum acceſſio. Mihi vero videtur ludere operam qui vaſi pleno & ſuperfluenti inſuper affundit auctaria. Tum vox illa ADMINICVLVM non

caret blaſphemia. Chriſti enim redemptio non opus habet adiumento nec adminiculo.

CAP. XIX.

Aduerſarios indignis modis deprauare & decurtare redemptionem Chriſti.

HAc in re Bellarminus non ſibi conſtat. Nam aliquoties dicit paſſiones Chriſti eſſe pretium ſufficiens pro omni culpa & pœna. Idem tamen lib. 1. de Purgatorio c. 14. §. *Reſpondeo.* hæc ait: *Si Chriſtus ſatisfecit pro omni culpa & pœna, cur poſt remiſſam culpam adhuc tam multa mala patimur?*

Quid quod mortem Chriſti non putat eſſe actualem ſatisfactionem? Sic enim ibidem loquitur. § *Tertius. Tertius* (inquit) *modus videtur probabilior, quod vna ſit ſatisfactio, & ea ſit noſtra.* Noſtram ſatisfactionem vocat, quæ à nobis fit, & per quam nos ipſi per pœnas noſtras ſatisfacimus, non verò Chriſtus.

Vazquez Ieſuita, os ponit in cœlum, &

Chriſti ſatisfactionem rejicit: ſic loquens in 3. p. Thomæ q. 94. Art.1. pag. 275. *Conſtat nos debere pro illa culpa ſatisfacere. Quod ſi debemus pro TOTA illa ſatisfacere, nihil ergo nobis condonatur fauore etiam ipſius Chriſti: ſed fauore illius datur vt ſatisfaciamus.* Et ibidem ait Sacerdotem condonare partem pœnæ, Deum verò alteram. Idem in primam Secũdæ q.82.c.9.p.597. *Cauſa proxima quæ nobis acquirit ius regni cœleſtis non eſt iuſtitia Chriſti, ſed iuſtitia quæ per meritum Chriſti deriuatur in nos.* Hæc iuſtitia, nihil aliud eſt quam virtutes nobis inhærentes, & paſſiones quas aduerſarij dicunt à nobis tolerari ad vindictam, & ad ſatisfaciendum iuſtitiæ Dei.

Profectò ſi Deo non aliter ſatisfit quàm quia Chriſtus dat nobis vires ſatisfaciendi per pœnas, Chriſtus pro nobis non ſatisfacit. Qui dat alicui vires ferendi onus, non fert onus. Qui dat vires ſatisfaciendi, per id non ſatisfacit. Tum ſtatuendum erit Patrem pro nobis ſatisfacere. Nam Patrem dare nobis vires ſatisfaciendi cenſent aduerſarij.

At quis credat Patrem clementiſſimum,

cruciare filios in igne pro peccatis pro quibus Chriſtus abundè ſatisfecit? non vt emendentur (nam in Purgatorio nulla eſt emendatio) ſed vt ſibi ſatisfaciat & ſuas iniurias vlciſcatur, exigens compenſationem? & hanc compenſationem ponat in arbitrio Sacerdotis: qui poſtquā abſoluit peccatorem, ei pœnas infligit? Quis credat, quicquid Chriſtus effudit ſanguinis præter vnam guttam fore inutile & ſuperuacuum, niſi Papa paſſiones Chriſti ſuperabundantes, conuerteret in vſum Chriſtianorum per Indulgentias, quæ Papæ & clero ſunt compendioſæ? Nam theſauri iſtius imaginarij in quem Papa congerit ſuperabundantes paſſiones Chriſti & Sanctorum, nulla in Scripturis, nulla in tota antiquitate mentio. Figmentum eſt quod Papæ ad lucrum & ambitionem commenti ſunt, in hac nouiſſimorum ſæculorum fæce.

Cum autem Apoſtolus ad Romanos cap. 8. 33. dicat, *Chriſtum ſedentem ad dextram Patris intercedere pro nobis*, neceſſe eſt vt pro animabus quæ torquentur in Purgatorio, aut intercedat, aut non interce-

dat. Si non intercedit, cur erga has pias & ſanctas animas eſt immiſericors? Si pro eis intercedit, cur non exauditur à Patre? cur repulſam patitur? idque in petitione tam iuſta? cum oret pro eis pro quibus redimendis tam multos dolores paſſus eſt & pro quibus planè & perfectè ſatisfecit? At Chriſtus dicit ſe ſemper exaudiri à Patre Ioh. c. 11. 42. Portenta hæc ſunt, conflata ad incudem auaritiæ vt Papa habeat quod indulgeat, & in animas defunctorum habeat poteſtatem, & clerus ex Miſſis & ſuffragijs pro defũctis rem faciat.

Horrenda ſunt quæ addam, quæ cum legimus vix credimus oculis noſtris. Bellarminus l. 2. de Indulg. c. 1. § *Tertiò*, hæc habet, *Merita Chriſti partim ſunt omnibus neceſſaria, partim non neceſſaria ſed vtilia. Atque hoc ſecundo modo ad fundamentum, indulgentiarum pertinent.* Cardinalis Ieſuita tanti nominis, ſcribens Romæ, ſub oculis Papæ, auſus eſt pronuntiare merita Chriſti quibuſdam non eſſe neceſſaria, ſed tantùm vtilia. Et in eo fundatas eſſe Indulgentias. Agnoſcit enim inanes & caſſas fore indulgentias Papæ, ſi Chriſtia-

ni crederent Chriſti merita omnibus eſſe abſolutè neceſſaria, & Chriſtum pro pœnis Purgatorij abundè ſatisfeciſſe.

Ad majorem elucidationem addit. *Si quis poſt reconciliationem adeptam adhuc ſit reus luendæ pœnæ temporalis, non neceſſariò eget meritis Chriſti vt pro ea reatus ſimpliciter condonetur. Non quod ſine merito Chriſti poſſit reatus ſimpliciter condonari, ſed quia POTERIT IPSE NON REQVIRERE TANTAM LIBERALITATEM, contentus ipſe ſuis laboribus vel in hac vita vel in purgatorio.* Nempe hic homo magnanimus poterit dicere Chriſto, non requiro à te tantam liberalitatem, vt ſatisfacias pro pœna temporali, quam commerui, malo ipſe ſatisfacere in hac vita & in purgatorio. Strenuè quidem & præfidenter: Oportet ſit generoſi animi, qui Chriſto donum ſuum remittit, nec vult tantopere ei obligari, nec eius beneficijs obrui.

Cauſam verò generoſi iſtius faſtidij Bellarminus affert cap. 3. §. *In ſequenti. Non quod* (inquit) *merita Chriſti non ſufficiant, ſed quia id nobis vtilius & Chriſto glo-*

rioſius eſt vt cauſæ ſecundæ non ſint otioſæ, ſed cum ipſo ad res producendas concurrant. An quiſquam eſt ingenio tam læuo vt putet ſibi vtilius eſſe torreri in igne per multa ſæcula, quam ſtatim à morte fieri compotem gloriæ? An Chriſti gloria magis eluceſcit ſi eius morte non redimimur à Purgatorio? Debemus quidem in ſalutis negotio non eſſe otioſi, & Apoſtolus vult nos ſalutem noſtram operari, cum timore & tremore Philip.2.12. Et decertare bonum certamen fidei. Sed hæc noſtra cooperatio non fit cruciatibus & pœnis ſatisfactorijs, & tormento in igne, ſed fide, humilitate, patientia in ærumnis, charitate, precibus, &c. Nec fit ſoluendo quod iam Chriſtus abundè perſoluit. Nec hęc operatio cauſa eſt ſalutis, ſed medium & via ad ſalutem. Et fit in hac vita tantùm, non verò poſt mortem, & conſummato certamine.

Quod ſi ſatisfacere Deo per pœnas eſt vtile & honorificum, vt vult Ieſuita, magna erit prerogatiua diabolorum, qui per pœnam plenè Deo ſatisfaciunt. Et iniuſti erunt & inofficioſi qui magno pretio

emunt miſſas pro defunctis vt liberentur purgatorio: ſi quidem vtile eſt iſtis animabus & glorioſum ſic vri. An volũt eas inuitas extrahere igne, vbi vrũtur cum gaudio?

Obiter Lector obſeruet quam inconſideratè Bellarminus dixerit æquum eſſe vt ſecundæ cauſæ aliquid agant, cum in Purgatorio, quale fingitur, animæ non agant ſatisfaciẽdo, ſed tantùm patiantur.

Eodem ſpiritu afflatus Vazquez Ieſuita, in quartam Summæ Thomæ quęſt. 94. pag. 274. euomit hanc blaſphemiam, *Dicendum eſt opera in charitate ex Dei gratia facta eſſe ſatisfactoria pro pœna temporali, condignè ſatis, ſicut & ſunt meritoria vitæ æternæ, nec aliquid eis accreſcere meriti aut ſatisfactionis, propter Chriſti merita.* Et Ibidem. *Adulti ſolo Chriſti merito non ſunt efficaciter redempti.* Et pag. 275. poſtquam ſollicitè probauit opera iuſtorum eſſe ſatisfactoria ex condigno, idque ex natura ipſorum operum non autem ex benigna Dei acceptatione, eructat hanc blaſphemiam. *Nihil ergo nobis condonatur fauore ipſius Chriſti.* Huius Ieſuitæ operibus appoſita eſt Doctorum cẽſorum approbatio.

CAP. XX.

Ingenua confeſſio Gregorij de Valentia Ieſuitæ. Eum non obſcurè accuſare Deum iniuſtitiæ.

NOn diſſimulant aduerſarij, ex hac doctrina de ſatisfactionibus, ſequi Deum à nobis plus ſatisfactionis & compenſationis exigere quam regula iuſtitiæ poſtulat, & Deum exigendo à nobis pœnas ſatisfactorias, exigere ſolutionem vltra debitum. Diſerta ſunt ſuper hac re verba Gregorij de Valentia Ieſuitæ, cuius operibus affixa eſt Doctorum approbatio. Is libro de Satisfactione cap. 3. §. *Hoc tamen.* Sic ſcribit. Hoc « tamen in hac re conſequi non negan- « dum eſt, nempe compenſationem pro « offenſa fieri Deo per aliquid amplius « quam alioqui ſecundum rigorem iuſti- « tiæ oportuiſſet. Si quidem abſque no- « ſtra ſatiſfactione, potuiſſet ſola Chriſti « ſatiſfactio abunde ſufficere. Addit Ie- « ſuita. Ex voluntate æterni ſui patris, « ad maiorem vtilitatem noſtram, viſum «

« eſt, non ſolum per ſuam, ſed per no-
« ſtram ſatisfactionem (quatenus hanc
« etiam ipſe obtulit) æterno patri debi-
« tum ſoluere. Et paulo poſt. Neque ve-
« ro iniuſtum eſt, quod plus in offenſæ
« compenſationem Deus ex pacto exigat
« quàm alioqui ſatis eſſe potuiſſet. Et
« ibidem. Æterno patri aliquid amplius
« quam alioqui ad æqualitatem oportuiſ-
« ſet ipſi offertur.

Capitalis ſane oratio, & Deum conſpuens, & ei inurens labem extremæ iniuſtitiæ & crudelitatis, vt pote qui plus exigit pœnæ quam ei debetur ex rigore iuſtitiæ: Et qui cum poſſet ſatisfactione Chriſti eſſe contentus, aliam exigit quæ non debetur: & delectatur cruciatu filiorum culpa carentium, & pro quibus Chriſtus abundè ſatisfecit: & duas ſolutiones exigit pro vno eodemque debito. An qui nobis remittit pœnas debitas exigeret pœnas indebitas, & vindictam ſumeret de peccatis remiſſis? Nonne Deus iuſtam habet cauſam iraſcẽdi iſtis Theologaſtris, qui plus Deo offerunt quam debent? Hæc quidem horrenda

ſunt. Sed vis veritatis extorquet eis hanç confeſſionem: veluti cum ex purulento & fiſtuloſo vlcere compreſſo pus & ſanies erumpit.

At Ieſuita ſe ridendum propinat addens hæc fieri ad noſtram vtilitatem. An vtilius eſt homini torqueri in igne quam ſtatim transferri in paradiſum? An non rideretur vt fatuus qui diceret creditorem ad vtilitatem debitoris, exigere ab eo plus quam debet? & iniuſtitiam vellet pro beneficio accipi?

At quam impurum eſt & impium quod Ieſuita addit, Chriſtum offerre patri noſtras ſatisfactiones vt eas adiungat ſuæ? Nam vnde id habet? Quis nouum iſtum fidei articulum procudit, cuius in verbo Dei nulla fit mentio? Inſtituitur Chriſtus ſic Patrem alloquens, *Offero tibi, ô Pater, pretium meæ mortis pro peccatis huius mercatoris aut cauſidici, & vnâ cum mea morte offero tibi pœnas ſatisfactorias quas ipſe pertulit: Nam abſtinuit carne vltra morem, Peregrinatus eſt Compoſtellam ad reliquias Iacobi: ſibi tergum cruentauit flagellis, Abnoctauit, aut ſecubuit aliquandiu ab vxore:*

ex quibus ſatisfactionibus magna fit ad pretium meæ mortis acceſſio. Dicerem hęc comminiſci eſſe meram inſaniam, vix veratri centumpondio ſanabilem, niſi hęc fierent aſtutè, ad tuendas ſatisfactiones humanas quę imponuntur laicis, ex ſacerdotum arbitrio, qui hac arte vſurpauerũt imperium in corpora, & fortunas, & conſcientias laicorum. Tum Papa relaxans has pœnitentias remittit peccata mortuis, & ſtatuit altaria priuilegiata ſuper quibus qui miſſam cani curat manus porrigens adiutrices, liberat vnam animam purgatorio. Quid nequius, quid religione Chriſtiana indignius, quam dicere peccatori, tu quidem, vir bone, mihi dando pecuniam Deo ſatisfacis?

CAP. XXI.

Quo ſenſu Patres dicant peccatores Deo ſatiſfacere.

ADuerſarij magno cum ſtrepitu oſtentant quædam loca Veterum, in quibus peccatores dicuntur ſatisfacere Deo per lacrymas, per exomologeſim, & humilem petitionem veniæ, & morum

emendationem. Hæc à veteribus dicuntur piè & verè. Eiuſmodi ſatisfactiones ſunt ſanctę &ad ſalutem neceſſariæ. Nempe per hæc eodem modo Deo ſatisfit quo homines qui proximum offenderunt, ei ſatisfaciunt petitione veniæ & confeſſione peccati: non vero pœnis vltricibus, quę à Tridentinis vindictæ appellantur. Non ſi omnem veſtutatem replices inuenies exemplum Paſtoris Eccleſię qui dixerit peccatori pœnitenti, *Abſoluo te à tuis peccatis*, & poſt abſolutionem indixerit ei pœnas corporeas, aut pecuniarias, vt ſatisfieret iuſtitiæ Dei. Illæ veterum ſatisfactiones nihil derogabant perfectioni ſatisfactionis Chriſti, nec ſolutiones, nec compenſationes, nec vindictæ appellabantur. Non ſi plauſtra eiuſmodi locorum excerptorum ex patribus cōgererent quidquam efficerent. Iidem patres ſæpe dicunt peccatores ſatisfacere Eccleſiæ quam perculerunt ſcandalo: quę ſatisfactio fiebat per pœnitentiam publicam. Sed hoc nihil ad ſatisfactionem Sacramentalem.

LIBER SEXTVS

DE ALIENIS SEV vicarijs Satisfactionibus.

CAPVT I.

Sententia Eccleſiæ Romanæ. Et de paſſionibus ſuper-nacaneis Chriſti & Sanctorum.

SI homo non poteſt Dei iuſtitiæ ſatisfacere pro ſuis ipſius peccatis, vt prolixè probauimus, multò minus poterit pro alienis. Vnum poſſe ſatisfacere pro altero docent aduerſarij ſummo conſenſu. Eſtque hoc fundamentum Indulgentiarum per quas Papa paſſiones ſuperabundantes Sanctorum & Monachorum ex Theſauro Eccleſiæ depromptas ſpargit in populos ad re-

miſſionem peccatorum.

Nauarrus de Iobel. pag. 571. *Viuus pro alio viuo via iuſtitiæ ſatisfacit, ergo & pro mortuo.*

Bellarminus lib. 4. de Indulg. cap. 14. §. *Quartò*, hęc affert ex Nauarro & Dominico à Soto. *Poteſt vnus viuens pro alio viuente EX CONDIGNO ſatisfacere, igitur poteſt etiam viuens pro mortuo ſatisfacere ex condigno.* Et lib. 2. c. 16. §. *Argumentũ. Cur non poterit alter pro pœna alteri debita ſatisfacere?* Et paulo poſt. *Poteſt vnus pro altero credere, vt fit in Baptiſmo paruulorũ, cur non poterit vnus pro altero pati?* Toletus Inſtruct. Sacerd. lib. 6. cap. 21. §. 6. *Vnus iuſtus poteſt pro altero ſatisfacere quod ad pœnam ſicut pro ſe: Verbi gratia, Si Petrus ieiunat pro Paulo, Deus remittit pœnam quam debet Paulus quaſi ipſe ieiunaſſet.* In eo occupantur libri Bellarmini de Indulgentijs, vt probet Sanctos plura paſſos eſſe quam ipſis neceſſe fuit ad expianda ſua peccata, & has ſuperabundantes paſſiones congeri à Papa in theſaurum Eccleſiæ cuius eſt diſpenſator, & conuerti per indulgentias in ſatisfactionem pro alijs.

Et Libro 1. cap. 2. hæc habet. *Conſtat martyrium tam plenam ſatisfactionem eſſe, vt poſſit expiare reatum cõtractum ex quãtouis ingenti numero & magnitudine peccatorum.*

Coſterus Ieſuita Enchir. cap. de Indul. *Opera Sãctorum quatenus ſunt ſatisfactoria nondum mercedem receperunt: ſed reſeruãtur in theſauro vt pro aliјs ſatisfaciant.*

Hic finis eſt ſocietatum, quæ vulgò confraternitates appellantur, quales ſunt confraternitates funiculi & roſarij, quibus quiſquis ſe inſerit & adiungit, particeps eſt operum & ſatisfactionum quæ fiunt ab aliјs eiuſdem ſocietatis, & dum dormit, particeps eſt peruigiliorum alienorum: & dum epulatur particeps eſt ieiuniorum quibus φράτορες ſe macerant, quaſi ipſe ieiunaſſet.

Antoninus Archiepiſcopus Florentinus quem Papa Clemens VII. ſanctorum numero intulit per canonizationem, anno Chriſti 1523. in vita S. Dominici, refert Dominicum ſolitum ſibi quotidie ter diuerberare corpus catena ferrea, ſemel pro ſuis ipſius peccatis, quæ erant perpauca, ſecundò pro peccatis hominum ſuperſti-

tum,

tum, & tertiò pro animabus purgatorij.

Gloſſa Canonis Preſbyter Diſt. 82. hęc habet. *Pœnitens poteſt denarium dare, vt ſe redimat à ieiunio. Ergo multò fortiùs poterit per alterius ieiunium liberari, & ieiunium viui liberat mortuum.*

Quin eò vſque progreſſa eſt Pontificiorum audacia, vt audeant pertendere maiorem partem paſſionum Chriſti fore ſuperuacuam, niſi à Papa in vſum Chriſtianorum per Indulgentias conuerterentur: Nam Papa Clemens VI. Extrauagante *Unigenitus*, docęt vnicam guttam ſanguinis Chriſti ſufficere ad redemptionem totius generis humani. Ergo quicquid Chriſtus paſſus eſt pręter vnius guttæ ſanguinis effuſionem, totum id Papa congeſſit in theſaurum Eccleſię Romanæ cuius eſt clauiger & diſpenſator. Ob id ipſum dicitur vnica gutta ſanguinis Chriſti ſufficere ad mundi redemptionem, vt multum ſuperſit quod Papa in theſaurum ſuum congerat. Huic doctrinæ aſtipulatur Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 14. *Vna* (inquit) *gutta ſanguinis Chriſti ſufficiebat redimere mundum.* Et lib. 1. de Indulgentijs cap. 3.

Paſſiones Chriſto & Sanctis SVPERVACANEÆ applicari poſſunt alijs. Hęc applicatio fit per Indulgentias Papæ.

De paſſionibus verò Sanctorum ſuperuacuis ſic loquitur cap. 4. §. *Tertia.* *Paſſiones Sanctorum adiunguntur paſſionibus Chriſti, quia æquum eſt vt paſſiones illæ non ſint INANES.* Et § *Quinta*: *Quod pertinet ad rationem ſatisfactionis, multi labores ſanctorum eſſent INANES & ſine fructu, niſi pro reatibus aliorum conſumerentur.* Id fit per Indulgentias.

Idem Ieſuita lib. 1. de Indulgentijs cap. 2. §. *Quarta. Sãcti plus paſſi ſunt, quàm eorum peccata requirerent.* Et Nauarrus lib. de Indulg. p. 573. attribuit Chriſto & Sanctis paſſiones ſuperfluas.

Concinit Coſterus Ieſuita loco citato, vbi dicit Sanctorum opera ſatisfactoria nondum mercedem recepiſſe: quaſi gloria æterna qua fruuntur non eſſet merces paſſionum & laborum quos tulerunt in hac vita. Ergo (ſi Ieſuitis creditur) tum demum ſancti recipiunt mercedem ſuarum paſſionum ſatisfactoriarum quando eorum paſſiones à Papa in ſatisfactionem

pro alijs conuertuntur.

Hoc quidem nouum eſt Euangelium, hauſtum ex Verbo non ſcripto, in hac nouiſſimorum temporum fęce, ad quęſtum. Nam quantas ex hac diſtributione paſſionum ſuperabundantium opes Papa congeſſerit, & imperium ſuum auxerit, res eſt quę fidem excedit. Id verò permirum, quod nullus, quamuis vitam æternam meruerit ex condigno, hactenus inuentus eſt cuius tanta fuerit charitas, vt vellet pro alio cruciari in Purgatorio.

CAP. II.

Vicariæ ſatisfactionis exemplum inſigne & recens.

VIcariæ ſatisfactionis exemplum admirandum noſtra ætas vidit, & dignum accurata enarratione.

Anno Chriſti 1585. Henricus Borbonius Nauarræ Rex, ad quem ius ſucceſſionis in regnum Galliæ pertinebat, diro anathemate percuſſus eſt à Sixto V. Pontifice: & declaratus incapax & inhabilis ad coronæ ſucceſſionem: idque ob hære-

ſim: Nam Papæ nos hoc ornant elogio. Paucis poſt annis Henrico III. Rege occiſo à Iacobo Clemente Dominicano, ei Henricus IV. in regno ſucceſſit. Sed major pars regni, & præcipuæ Galliæ vrbes aduerſus eum coniurarunt: Quam coniurationem Gregorius XIV. Sixti ſucceſſor ſummo conatu promouit, arma & pecunias ſuppeditans coniuratis. Videbantur Lutetiæ & in alijs vrbibus indulgentię Papales compitis & valuis templorum affixæ, quibus largę indulgentiæ dabantur arma capientibus in Regem. Merces rebellionis erat remiſſio peccatorum & ſalus æterna Tum ſacerdotes per confeſſiones inſtillabant confitentibus rebellionem, & concionatores pro ſuggeſtu in regem debacchabantur.

In hoc æſtu animorum allatæ ſunt in Galliam Bullę Gregorij XIV. quibus Rex Henricus IV. nouo & horrendo anathemate innodabatur, & Regia dignitate exuebatur. At Curia Parlaméti Pariſienſis cuius pars Catalauni, pars Cęſaroduni Turonum confederat, quamuis religioni Romanæ addicta, generoſo tamen Senatuſ-

conſulto Bullam Gregorij damnauit vt hęreticam, ſuperbam, ſeditioſam, & ſubjicientem regiam coronam arbitrio Pontificis: eamque iuſſit publicè cremari manu tortoris.

Rex verò quamuis aliquot prælijs victor coniuratorum vires attriuiſſet, tamen ſubnaſcentibus quotidie nouis difficultatibus, gnarus hanc telam ſibi texi à Papa cauſam religionis obtendente, ſtatuit quacunque ratione Papam placarè, vt liberaretur vinculo excommunicationis, & hac ratione populi fauorem ſibi conciliaret. Id vt impetraret defecit à noſtra religione. Henricus III. occiſis Duce Guiſio Bleſis & Cardinali eius fratre, ſibi metuens à ſubditis ſuis in eum coniuratis, miſerat ad Sixtum V. Marchionem Piſanum hominem fidum & prudentem, vt aduolutus pedibus Papę recōciliationem Regis & remiſſionem peccatorum impetraret. Sed fruſtra fuit. Nam paſſus repulſam redijt re infecta.

At Rex Henricus IV. ſperauit fore vt Papa æquiori vteretur, ſi legatum mitteret de regni primoribus, pollentem viri-

bus & authoritate. Miſit ergo Ducem Niuernium. Cuius dignitati & familię datum eſt, vt admitteretur ad Papę conſpectum, non quidem vt Legatus Regis, ſed vt priuatus, & Ducis Mantuani conſãguineus. Habebat autem ſecum aliquot Epiſcopos quos ſecum adduxerat, pro quibus obnixè ſupplicauit, vt ad beatiſſimorum pedum oſculum admitterentur: ſed non impetrauit: Dux prudens & magni animi dicebat Pontifici, Cùm munus ſit boni paſtoris quęrere ouem perditã, indignum eſſe & atrox, ouem vltro venientem & ſe ſubmittentem volũtati ſummi paſtoris cum contumelia repellere. At Clemẽs obfirmato aduerſus Regem animo dicebat Niuernio, ſe non poſſe adduci vt crederet conuerſionem regis eſſe ſeriam, niſi id ei Deus miſſo ad ipſum Angelo reuelaſſet. Et Duci decem dies pręſtituit, intra quos iuſſit eum conuaſare, & ad ſua reuerti. Paruit Dux quanquam ægrè & moras nectens. Et reuerſus in Galliam, hiſtoriam ſuę legationis ſcripto cõplexus eſt, quę typis mandata per totam Galliam volitauit. Interea Papa omnem mouebat lapidem

vt Regem regno excuteret, & ſicarij frequentes ſummittebantur qui regem confoderent, eique venena parabantur. In hac denegatione abſolutionis Pontifex perſeuerabat, quia putabat regem nunquam emerſurum ex tot periculis, eumq; bello inextricabili eſſe implicitum.

At paulo poſt accidit vt dilabentibus rebus coniuratorum plerȩque vrbes Galliæ, & in eis Lutetia, ſe regijs partibus adiungerent, & præcipui coniuratorum duces ſe regi ſubjicerent. Quod vbi Papæ Clementi renuntiatum eſt cohorruit, & ad noua conſilia animum adiecit. Et per Cardinalem Gondium qui tunc Romæ erat, Regem ſubmonuit, ſi alium Legatum mitteret, fore vt pronis auribus audiretur, & Papæ clementiam experiretur. Miſſus Iacobus Daui Perronius Ebroicenſis Epiſcopus, eique adiunctus procurator Cardinalis Oſſatus. Perronius vbi Romam aduenit, conſilio communicato cum Oſſato, qui à conjuratis & à factione Hiſpanica erat alienus, libellum ſupplicem Papæ obtulit, cuius exemplar habemus lib. 113. hiſtoriarum Auguſti Thuani.

Per menſem integrum dilata eſt reſponſio, dum ſimulata anxietate deliberatur quid facto opus eſſet, & Dei reuelatio expectatur. At Perronius admonitus & certus de euentu, has moras facilè patiebatur, ipſe quoque ſimulans anxietatem. Tum vero ſupplicationes ſolemnes tota vrbe decernuntur, & precationes quadraginta horarum per Eccleſias indicũtur, vt Deus reuelaret ſuo Vicario quid eſſet è re Eccleſiæ Catholicæ. Ipſe Põtifex Nonis Quintilibus anni 1595. ſub auroram cum ſua familia nudis pedibus, ad ſanctæ Mariæ proceſſit, ibique Miſſam ipſe cecinit & nudis, vt venerat, pedibus in palatium ſuum reuerſus eſt. Eadem ſolemnitas iterata eſt die Aſſumptionis Beatæ Mariæ quæ in 18. Sextilis incidit. Hæc fiebant vt impetraret à Deo reuelationem. Incedebat autem Papa capite obſtipo, demiſſo vultu, & flenti ſimilis, & facie totoque geſtu ad deuotionem & humilitatem cõpoſito. Tunc cœptum agi de conditionibus: Quarum præcipuæ hæ fuerunt, vt Rex pro viribus daret operam vt hæreſim toto regno, & Bearnenſi Principatu exterminaret. Et

declararet, ſe ſi in hæreſim relaberetur, omni iure regni excidiſſe. Ieſuitæ regno pulſi reſtituerentur, reſciſſo Curiæ Parlementi Senatuſconſulto. Rex denuo conſecraretur. Princeps Condenſis intra annum, manibus hæreticorum eriperetur. Rex Concilium Tridentinum recipi in ſuo regno curaret. Rex quotidie coronam Beatę Virginis, & ſingulis Mercurij diebus Litanias, Sabbati die Roſarium recitaret, Quotidie Miſſam audiret. Quater anno ad minimũ peccata confiteretur.

Tentati ſunt Perronius & Oſſatus Procuratores vt hęc cõditio adjiceretur, nempe vt Regis Corona ad pedes Papę poneretur, quam Papa capiti procuratoris repręſentantis regis perſonam imponeret: At illi contra pertendere, negantes regis coronam vlli mortalium eſſe ſubiectam, nec Reges Francię in temporalibus vllum ſuperiorem agnoſcere. Nec adduci potuerunt vt Concilium Tridentinum abſque exceptione reciperetur. Et abſolutionem à Pręlatis Gallię regi conceſſam irritam eſſe confiterentur. Pręſidenter enim loquebantur, vt pote certi de euentu. Nam

ſupplicabant pro armato: quę poſtulatio à græcis πειθανάγκη appellatur.

His ita tranſactis, Perronius & Oſſatus Regis nomine hæreſim eiurarunt, & tactis ſacroſanctis Euangelijs Regem in religione Catholica Romana perſeueraturum polliciti ſunt. Supererat ſatisfactio pœnitentialis à Rege peragenda in pœnam peccati. Sic autem peracta eſt, circunſtantibus Cardinalibus, & magna frequentia. Sedebat Papa in ſublimi ſolio, virgam tenens manu. Perronius ad pedes Papæ procubuit. Ibi à ſacellano aſtante lectus eſt lenta & ſonora pronũtiatione pſalm. 50.* Cuius initium eſt *Miſerere*, deſinit autem in *vitulos*. Ad ſingulorum verſuum pronuntiationem papa percutiebat virga tergum & ſcapulas perronij projecti ad papæ pedes, & ſuſtinentis regis perſonam. Cum igitur Pſalmus pœnitentialis nouemdecim verſiculis conſtet, Perronius nouemdecim ictus in tergo accepit, eoſque aliquo temporis interuallo diſtantes. Hęc fuit Vicaria ſatisfactio, per quam pie creditur Regem pro ſuis peccatis abundè Deo ſatisfeciſſe. Tum ſententia pronun-

* In Hebr. eſt 51.

tiata in hæc verba. *Sanctitas ſua auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſua, Henricum Regem à vinculo excommunicationis qua, ex cauſa hæreſis ligatus erat abſoluit.* Tunc tormenta ex arce S. Angeli diſploſa in ſignum lætitiæ, & hymni decantati.

Hoc propudium, & regiæ dignitatis & Franciæ dedecus Rex impatienter tulit; & ſuam regiam Majeſtatem tam fœdè proculcatam indignabatur. At Papa inſigni & ſpirituali beneficio eũ placauit, & ſuum paternum amorem erga Galliam teſtatus eſt. Dedit enim Perronio arculam plenam granis benedictis, quibus Papa ſolemni benedictione multas gratias ſpirituales affuderat: Bullamque addidit quæ per Galliam promulgaretur, per quam centum anni verę Indulgentiæ dabantur omnibus Gallis qui vnum de iſtis granis insererent ſuis reſtibus precatorijs, & oſcularentur, additis aliquot oratiunculis. Diuendebantur hęc grana per Lutetiam; emebanturque à ſuperſtitioſis ob pręſumptam eorum ſanctitatem. Nonnulli etiam ea emebant ad ludibrium, dolentes vicem

populi faſcinati. Tum qui vulgo * *colligeruli* indigetantur, perreptabant plateas vrbis, paruo pretio vēdentes bullam Pontificis. Hæc ego ipſe exprobraui in os Perronio, coram Catharina ſorore Regis cui eram à ſacris. Ille ſubnidens reſpondit, *Tu ne me inſimulas Atheiſmi?* Cui ego. Abſit, attamen arbitror te cum huic ſcenæ inſeruires, riſiſſe in ſinu.

Huius dramatis hiſtoriam Iohannes Boterus Benenſis, homo proculcati pudoris vernacula lingua edidit: eiuſque verſio Latina Coloniæ edita eſt, in qua Papæ triumphus deſcribitur, magno Regis opprobrio. Tum Romæ multi verſus Italicè & Latinè ſcripti ſunt, inter quos Epigrammatarius de Rege ſic loquitur,

Magnum opus eſt armis ſtrauiſſe tot agmina. Maius
Pōtificis pedibus ſuccubuiſſe ſacris.

Quos verſus Iohannes Marquiſius inſeruit ſupplemento quod Chronico Genebrardi attexuit. Auguſtus Thuanus Curiæ Parlamenti Pręſes vir ſummæ dignitatis & fidei, agens de flagellatione Regis in perſona procuratoris, abſtinuit nomine Per-

* Colporteurs.

tonij, quia Perronius paulo poſt in mercedem nauatæ operę pontifici, auctus à papa Cardinalitia dignitate, pollebat authoritate in Regis aula: nec tutum erat eum offendere.

CAP. III.

Neminem poſſe ſatisfacere Deo pro alienis peccatis.

PEr hanc doctrinam de Vicarijs ſatisfactionibus Deo manifeſtè illuditur. Sic enim fiet, vt ſi Sacerdos homicidæ, adultero, periuro, incendiario pœnas ſatisfactorias indixerit, ieiunia, flagra, peregrinationem Compoſtellam, poſſit hic peccator has pœnas transferre in alium, & aliquem miſellum diſquirere, qui pretio conductus ieiunet pro epulante, & ſibi tergum cruentet flagellis: & dum domi placidè dormit alius eius vice peregrinetur, & ferat ſolis ardorem & pluuias.

Tum Deo tribuuntur quæ ſi homo faceret, inſanus & mente captus haberetur. Quis ferret iudicem qui reum furti aut cædis abſolueret, aut indemnem dimitte-

ret, ſub hoc obtentu quòd eius agnatus aut vicinus per aliquot dies fuiſſet abſtemius, aut ſibi ſcutica nates cruentaſſet?

Quo tandem modo ſatisfaceret pro alienis peccatis, qui non poteſt pro ſuis, & qui opus habet remiſſione peccatorum? Tu ne qui non habes vndè exoluas tua debita, vis ſatisfacere pro alienis, & Deo non petenti hæc obtrudere? Quî ſcis an hęc vicaria ſolutio Deo ſit accepta? Quis te pro altero vadem conſtituit? Sanè cum Deus acceperit à Filio pleniſſimam ſatisfactionem, non exigit aliam, nec duas ſolutiones exigit vnius debiti, aut ſi exigeret, exigeret ab ipſo peccatore, non verò ab alio qui creditur innocens.

Deus * vetat filium plecti pro iniquitate patris. Si ergo filius ſe ipſe flagellat, ſi ſe iejunijs macerat, ſi fortunas ſuas profundit in ſinum Monachorum, vt ſatisfaciat Deo pro peccatis patris, rationes ſuas malè ſubducit, ſperans Deum accepturum hanc vicariam ſolutionem quę eius lege damnatur.

Apoſtolus 1. ad Corinthios cap. 3. 8. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſe-*

* Deut. 24.16. 2. Paralip. 25.4.

cundum ſuum laborem : non ergo ſecũdum laborem alterius. Et ad Romanos c. 2. 6. *Deus reddet vnicuiq; ſecundùm opera ipſius.* Non ergo ſecundùm opera alterius. Et ad Galatas c. 6. 5. *Vnuſquiſque portabit onus ſuum.* Et 2. ad Corinth. c. 5. *Oportet nos omnes comparere coram tribunali Chriſti, vt vnuſquiſque reportet in proprio corpore ſecundum ea quæ fecit vel bona vel mala.* Apoſtolus dicit, *ſecundum ea quæ fecit in proprio corpore*, non verò *ſecundum ea quæ paſſus eſt in tergo alieno.* Et ad Rom. c. 14. 12. *Vnuſquiſque pro ſe reddet rationem Deo.*

Pſaltes pſalmo 49. pericope 8. & 9. negat quenquam redempturum fratrem ſuum, aut ſoluturum pro eo pretium redemptionis.

In Euangelio Virgines prudentes nolunt ſtultis impertiri de ſuo oleo. Dicunt enim, *Nequaquam, ne non ſufficiat nobis & vobis.*

Ipſe Deus, Ezechielis c. 14. ℣. 16. pronuntiat Noæ, Danielis, Iobi, quanquam virorum ſanctorum, interceſſionem Iudæis viuis non profuturam.

Quod ſi (vt cenſent aduerſarij) hi tres

viri plura paſſi ſunt quam eorum peccata merebantur, cur Pontifices Veteris Teſtamenti paſſi ſunt hæc auctaria & ſatisfactiones ſuperabundantes intercidere? cur non eas congeſſerunt in Theſaurum Eccleſiæ, ne eſſent inanes & inutiles, nec eas in ſatisfactionem pro peccatis populi converterunt?

Idem dicimus de Apoſtolis, qui talem theſaurum non habuerunt, nec vllas ſparſerunt in populum indulgentias: nec tot labores exantlarunt, vt per eos pro alienis peccatis ſatisfacerent. Iniuſta fuiſſet hæc charitas, immo & arrogans & profana, ſi dixiſſent Deo, O Domine, hoc patior vt ſoluam aliena debita, & tibi pro alienis peccatis ſatisfaciam. Cohorruiſſent ex indignatione, ſi quis eos redemptores appellaſſet, vt facit Bellarminus, dicens Sanctos aliquo modo eſſe noſtros Redemptores, lib. 1. de Indul. c. 4. §. *Sexta.* Et l. 2. c. 8. §. *Mirabilis. Fidere Sanctorum meritis non eſt contumelioſum in Filium Dei.* Concinit Miſſa in qua Sacerdos quotidie petit gratiam Dei per merita Sanctorum, quaſi Sancti nobis ſalutem meruiſſent.

CAP.

CAP. IIII.

Patrum teſtimonia.

DIſerti ſunt in hac re Veteres, Tertullianus lib. de Pudicitia c.22. *Ingrati vel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere quod pro magno fuerit conſecutus. Quis alienam mortem ſua ſoluit niſi ſolus Dei filius?* Et ibidem. *Si peccator es, quo modo oleum facula tua ſufficeret & tibi & mihi?*

Auguſtinus in Iohannem Tractatu 84. *In fraternorum peccatorum remiſſionem nullius Martyris ſanguis funditur.* Idem pater libro Quæſtionum Veteris & Noui Teſtamenti quæſt. 102. *Chriſtus inuenitur dixiſſe: fides tua te ſaluam fecit. Vides itaque nullius adiutorio, ſed vnumquemque fide ſua ſaluari.*

Leo I. Epiſcopus vrbis Romæ epiſt. 83. ad Palæſtinos. *Accepere iuſti non dedere coronas, & de fortitudine fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona iuſtitiæ: Singulares quippe eorum mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſoluit.*

CAP. V.

Idem probatur rationibus.

PRincipio qua fide & ſinceritate agant aduerſarij hinc liquet, quod qui negāt Chriſti iuſtitiam nobis imputari, quia (vt cenſent) nemo poteſt eſſe iuſtus per alterius iuſtitiam: ijdem tamen volunt opera ſatisfactoria ſanctorũ nobis imputari: nec putant ferendos eos qui dicunt iniuſtum eſſe vt quis cenſeatur innocens & à reatu liber quia Sancti iniuſta paſſi ſunt, & eorum paſſiones nobis imputari quaſi pro nobis ſatisfeciſſent.

Eſtque hic tanta veritatis euidentia, vt aduerſarij reſtitantes & ceſſim pugnantes in noſtras partes ſæpe concedant. Fatentur enim Chriſti ſatisfactionem ſolam & abſque ſatisfactionibus ſanctorum abũdè ſufficere: eumque ſeruari poſſe qui in ſola Chriſti ſatisfactione conquieſcit. At quid amplius quærimus quam ſalutem? Ædāt aduerſarij quid nobis conferat, aut quid percipiamus vtilitatis ex adiunctione paſ-

ſionum Sanctorum ad Chriſti paſſionem, cum habeamus in Chriſto omnia quæ ad perfectam ſatisfactionem requiruntur? Reſpondent, id cedere in honorem ſanctorum, & per id fieri vt ſatisfactiones Sanctorum ſuperfluentes non ſint inanes & inutiles. Prudenter conſulunt honori ſanctorum eis deferentes honorem quem non cupiunt, nec vnquam petierunt, & quem Deus non iuſſit eis tribui. Sanè hoc aduerſariorum commentum pertinet ad laudem Sanctorum, non verò ad noſtram vtilitatem. Quanquam non video vnde ipſis honor accreſcat, ſi eorum paſſiones adhibeantur ad faciendum quod iam factum eſt, & ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis pro quibus plenam ſatisfactionem Deus accepit à filio. Nefas eſt honorare ſanctos cum Dei contumelia. Iniuſtus enim eſt qui cum plenam ſolutionem acceperit aliam inſuper exigit.

Sancti igitur hoc debent Papæ quod rationem inuenit per quam paſſiones Sanctorum incipiant ipſis eſſe vtiles: Et vituperanda erit ſupinitas Pontificum veteris Teſtamẽti & ipſorum Apoſtolorum,

quippe qui parum proſpexerunt honori Sanctorum mortuorum, nec habuerunt Theſaurum in quem congererent labores & ſatisfactiones ſuperabundantes Abrahami, Iacobi, Ioſephi, Moſis, Samuelis, Eliæ, &c. vt eas in vſum populi conuerterent.

Cum autem aſſertores huius noui Euangelij fateantur Deum labores & opera fidelium remunerari longè vltra debitum, non eſt conſentaneum, eum qui ſoluit Deo quod debet, idque valde imperfectè, poſſe iiſdem bonis operibus exoluere aliena debita. Cenſent enim Theologi Romanenſes vnum idemque opus eſſe meritorium pro eo qui operatur, & ſatisfactorium pro alijs. Mereri quidem vnum pro altero non poſſe, at opus qua ſatisfactorium, poſſe alteri imputari. Bellarmini verba hęc ſunt l.1. de Indul. c.2. §. *Secunda. Opus bonum qua parte meritorium eſt non poteſt alteri applicari, poteſt tamen qua ſatisfactorium eſt.* Ridiculè diſtinguitur opus meritorium à ſatisfactorio, cùm ipſi velint opus ſatisfactorium mereri remiſſionem pœnæ illi pro quo ſatisfit. Ipſa Miſ-

ſa petens Dei gratiam per merita Sanctorum vult opera meritoria Sanctorum nobis applicari & imputari. Emerit igitur Titius fundum mille aureis, idque vili pretio: nonne exibilaretur vt inſanus, ſi vellet his iiſdem mille aureis ſoluere Mæuij debita, dicendo hos nummos ab vna quidem facie eſſe emptorios, ab altera verò facie eſſe ſatisfactorios?

At * (inquiunt) Martyres plura paſſi ſunt quam tenebantur, ergo illud auctarium & ſuperabundans poteſt alijs imputari. Multa hic falſa. Falſum eſt martyres plura paſſos quam tenebantur pati. Cum enim à Deo vocarentur ad martyrium, non potuerunt ſine perfidia defugere hoc certamen, & ad conſeruationem vitæ fidem Chriſti abnegare. Chriſtus enim dicit ſe abnegaturum coram patre eos qui eum abnegauerint coram hominibus. An opus erit vltra debitum quod non poteſt deſeri ſine perfidia & iactura ſalutis? Poteſt ne Deo ſoluere plus quam debet qui ſe ipſum debet Deo & omnia

* Nauar. Cóment. de Indul. p. 522. *Chriſtus & Sancti, plus quam debebant paſſi ſunt.*

ſua? An opus erit ſupererogatorium, amare Deum plus quam propriam vitam; cum lex Dei iubeat Deum amare totis viribus & ſupra omnia, ac proinde plus quam ſuam vitam?

Obſeruabit lector, aduerſarios cum agitur de operibus & ſatisfactionibus ſupererogatorijs obtendere exempla Martyrum, non vero Monachórum: qui tamen ſe iactant operibus ſupererogationis, & quorum ſatisfactiones ſupererogatorias Papa congerit in theſaurum: Metuunt exibilari, gnari horrendæ corruptelæ quæ Monaſteria inuaſit.

Quod ſi Deus daret alicui vires faciendi plura & meliora illis quæ lege Dei iubentur, & plura pati quam quæ Deus à nobis exigit, planè teneretur ea facere & pati. Tenemur enim impendere & adhibere in Dei cultum quicquid virium ab eo accepimus. Ac pro inde in iſtis operibus & paſſionibus nulla eſſet ſupererogatio.

Demus tamen tantiſper Sanctos plura paſſos quam tenebantur, an inde ſequetur hoc ὑπέρμετρον poſſe cedere in ſatisfactionem pro alijs? An inde poteſt confici Pa-

pam à Deo conſtitutum diribitorem & promum condum iſtius auctarij? An fas eſt adhibere labores ſanctorum in vſum quem ipſi non intenderunt? Enimuerò nullius Sancti fuit tam ambitioſa patientia, vt ſuas paſſiones Deo obtulerit in ſatisfactionem pro alijs.

Quantum verò habeant virium Chriſti verba cum dicit eum qui impleret legem fore ſeruum inutilem quia tantum faceret ea quæ debet, Luc. 17. 10. hinc collige, quod aduerſarij reſpondent eum quidem qui legem impleuit eſſe ſeruum inutilem, at non eum qui plura bona fecit, quàm quæ lege Dei iubentur. Mira quidem hæc ſunt. Ergo Abraham, Iacob, Ioſeph, Moſes, Samuel, Dauid, &c. cenſendi erunt ſerui inutiles quippe qui nulla fecerunt opera ſupererogatoria. At Monachus cælebs, nudipes, manticæ gerulus, pauper ex voto, & viuens alieno labore, erit ſeruus vtilis, & cui Deus debet gradum ſupereminentem gloriæ, qui à Magiſtris noſtris *Aureola* appellatur.

Quid quod aduerſarij ſeſe ſuis aculeis compungunt & ſe contradictione impli-

cant. Dicunt enim neminem poſſe mereri pro alio: cum tamen ipſa Miſſa petat ſalutem per merita Sanctorum. Et Bellarminus * velit nos ponere fiduciam in meritis ſanctorum. Par contradictio in eo quod dicunt vnum quidem non poſſe pro alio mereri, ſed poſſe pro altero ſatisfacere, cum ipſas ſatisfactiones velint eſſe merita. Et Clemens VI. Extrauagante *Vnigenitus*, includat theſauro Eccleſiæ merita ſanctorum.

Operæ pretium autem eſſet noſſe an Papa congeſſerit in Theſaurum Eccleſiæ, cuius eſt diſpenſator, ſatisfactiones ſuperabundãtes Abelis, Noæ, Abrahami, Eliæ, &c. & veterum Patriarcharum. Hoc quidem idem Papa eadem extrauagantè non obſcure innuit. Dicit enim, *ad iſtius Theſauri cumulum, omnium electorum à primo vſque ad vltimum merita adminiculum præſtare.* Si huic Papæ creditur, iacuerunt merita & ſatisfactiones horum ſanctorum inutilia per multa ſæcula. Nam Pontifices Veteris Teſtamenti & Apoſtoli, homines naris obeſæ, ſi aduerſarijs creditur, & vetus Eccleſia Chriſtiana, nõdum inue-

* Lib. 2. de Indul. cap. 8. §. *Mirabiles.*

ſerant rationem eas conuertendi in vſum qui nunc Papæ eſt compendioſus,& quaſi magna ſagena ingentem prędam conuerrit. Anaſtaſius Epiſcopus Romanus, quem Hieronymus epiſtola ad Demetriadem ait fuiſſe *ditiſſimæ paupertatis & Apoſtolicæ ſollicitudinis* eiuſmodi theſaurum non habuit, nec Petri & Pauli laboribus ad ſatisfactionem pro alijs abuſus eſt.

Quod ſi poſſibilis eſſet meæ pœnitentiæ in alium trāſlatio,& ſi mihi fas eſſet dicere alteri, Pœnitet me tui peccati & vicem tuam dolens *ago pro te pœnitentiam: ieiuno & me ipſe flagello vt pro te Deo ſatisfaciam*, deberet id fieri ex Dei mandato, quod quidem nuſpiam extat, & nullibi inuenitur. Et deberet proferri Dei promiſſio qua declararet ſe vicariam ſatisfactionem accepturum in ſolutionem pro alienis peccatis.

CAP. VI.

Expenduntur Pontificiorum argumenta quibus tuentur vicarias ſatisfactiones.

PRincipio obtenditur articulus Symboli quo profitemur nos credere com-

munionem Sanctorum. Sed id fruſtra: Hęc enim communio eo vſque non extenditur, vt alius pro alio poſſit ſatisfacere Deo, & Deum colere alterius vice, & alieni peccati pœnam in ſe transferre. Non ſecus ac communio ciuium non eo vſque extenditur vt vnus pro altero dormiat aut cibum capiat, ſic nec communio ſanctorum in eo eſt poſita vt vnus pro alio agat pœnitentiam, & luat pœnas alieni peccati. Peſſimè rationes ſuas inſtituit qui ſperat ſe die iudicij dicturum ſummo iudici, ego quidem hęc ſcelera patraui, ſed alius pro me tibi ſatisfecit. Inſanus eſt qui ludens de ſuo corio, & ſe ieiunijs & flagris exercens, putat ſe poſſe hac ratione Deo ſatisfacere, & pro ſceleribus ſoluere Deo compenſationem idoneam. Sed multo ſtultior eſt qui indulgens libidini, putat ſe emptis aut mutuò ſumptis pœnis poſſe Deo ſatisfacere.

Cōmunio Sanctorum in hoc poſita eſt quod filij ſunt eiuſdem patris cæleſtis: quod ſunt Chriſti fratres & mēbra eiuſdem corporis cuius Chriſtus eſt caput: quod aguntur eodem ſpiritu: quod ſi-

mul ſunt participes Euangelij & Sacramentorum: quod ſunt cohæredes regni cælorum. Quod ſunt cōmilitones, & comites huius peregrinationis,&ſe per viam inuicem adiuuant,&mutuo amore cōplectuntur. Sed nihil hoc ad vicarias ſatisfactiones. Enimuerò ſi opera & labores Titij poſſunt imputari Mæuio,poterunt quoque Titij peccata imputari Mæuio, ob cōmunionem fidelium. At id abhorret à Dei iuſtitia. Impia eſſet ſuperbia ſi quis diceret furi aut ſcortatori,noli eſſe ſollicitus de tuis peccatis, ego enim pro te Deo ſatisfaciam.

Inueniuntur quidem in Veteri Teſtamento loca quibus Deus dicitur peperciſſe ſuo populo ob Abrahamum aut Dauidem: ſed quo ſenſu hæc ſint accipienda ipſa Scriptura docet. Senſus eſt Deum peperciſſe Iſraelitis ob fœdus contractum cum Abrahamo & Dauide. Sic Paralipomenon lib. 2. cap. 21. ℣. 7. hæc habentur, *Tamen Dominus ob fœdus quod pepigit cum Dauide, noluit deſtruere domū Dauidis.* Id ſic accepit ipſa Virgo Maria. Luc. cap. 1. 54. ſic loquens, *Suſcepit Iſraelem ſuum puerum*

vt memor eſſet miſericordiæ ſuæ, prout loquutus eſt patribus noſtris, Abrahamo & ſemini eius. Quid abſurdius quàm arbitrari Abrahamum ſatisfeciſſe pro peccatis piorum qui vixerunt poſt multa ſæcula? An etiam pro peccatis Dauidis & Apoſtolorum? An vnquam Abraham profeſſus eſt ſe pati dolores & labores vt pro alijs ſatisfaceret, & pœnam alijs debitam in ſe trãsferret? Ipſi aduerſarij cenſent bona opera, quæ ſunt meritoria, non poſſe alijs imputari. Et fatentur nullas tunc fuiſſe Indulgentias, & Patrum Veteris Teſtamenti ſatisfactiones non fuiſſe congeſtas in theſaurum Eccleſiæ.

Inſtant tamen aduerſarij, & oſtentant verba Apoſtoli, 2. ad Timotheum c.2. 10. *Patior hæc omnia propter electos vt ſalutem adipiſcantur.* Et 2. Cor.12.15. *Ego verò libentiſſimè impendam & impendar pro animabus veſtris.* At grauiter allucinantur, exiſtimantes, ſi quis aliquid patitur in rem alterius, id facere vt pro eius peccatis ſatisfaciat Dei iuſtitiæ. Apoſtolus multa paſſus eſt, & multos labores exantlauit, non ad ſatisfactionem pro peccatis ele-

ctorum, ſed ad eorum ædificationem, & ad fidei & conſtantiæ exẽplum: vt ipſe docet 2. ad Corinth. c. 1. 6. *Si premimur id fit ad veſtram conſolationem, quæ efficitur in tolerantia earundem paſſionum.* Et ad Philippenſes cap. 1. ℣. 12. *Velim vos ſcire ea quæ mihi acciderunt, magis ad profectum Euangelij accidiſſe.* Tum addit, *Per id factum vt plerique fratrum freti vinculis meis, maiori confidentia audeant verbum Dei eloqui.*

Pari facilitate refellitur quod ad rauim occinunt. Paulus (inquiunt) ad Coloſſenſes cap. 1. 24. hæc ait *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius quod eſt Eccleſia.* Sic habet vulgata: quæ quidem ὑστερήματα vertit per *ea quæ deſunt.* Alij vertunt *reliquias, & quæ ſuperſunt.* Aliquid tamen defuiſſe paſſioni Chriſti, aut in ea aliquid ad plenam ſatisfactionem deſiderari ne ipſi quidem aduerſarij audeant pertendere: vt pote qui docent vnicam guttam ſanguinis Chriſti potuiſſe ſufficere ad totius mundi redemptionem.

Senſus loci eſt euidens. Chriſtus afflictiones Eccleſiæ dicit eſſe ſuas quia Chriſtus & Eccleſia ſunt vnum corpus. Et quę fiunt vni ex paruulis dicit ſibi fieri. Ipſe cælitus clamauit, *Saule, Saule cur me perſequeris?* Hoc ſenſu multa adhuc deſunt afflictionibus Chriſti: nec vnquam erunt completæ ante diem vltimi iudicij. Dum Chriſti membra torquentur, dici poteſt eius pedes & manus pertundi. Cum piorum fortunæ diripiuntur ab aduerſarijs, dici poteſt ſortem mitti in eius veſtiměta. Id docet Auguſtinus in Pſalmum 60. ſic pios alloquens. *Quicquid pateris ab eis qui non ſunt mẽbra Chriſti deerat paſſionibus Chriſti.* Tum addit. *Paſſionum omnium non erit finis niſi cum ſæculum finitum fuerit.*

Quod vero dicit Apoſtolus ſe pati pro Eccleſia, non eò pertinet vt dicat ſe ſatisfacere pro peccatis Eccleſiæ: nec ſe dicebat Eccleſiæ Redemptorem, vt vult Bellarminus,* qui eo vſque proceſſit audaciæ, vt diceret Sanctos eſſe aliquo modo noſtros redemptores. Sed patiebatur ad ædificationem Eccleſiæ, laboribus ſuis promouens opus Euãgelij, & fidelibus præibat

* Lib. 2. de Indulg. cap. 4 § Sexta.

exemplo, vt ipſe ait Philippenſibus cap. 1. 29. ſe pati *vt ipſi ſuſtinerent certamen quale videbant in eo.* Nam vt qui patitur pro Chriſto non patitur loco Chriſti, ſed ad eius gloriam: ita qui patitur pro Eccleſia non patitur loco Eccleſiæ, ſed ad eius ædificationem: vt ait Anſelmus Commentario in hunc locum. "Omnes ſancti patiuntur propter Eccleſiam quæ eorum exemplo roboratur." Thomas Cõmentario in hunc eundem locum. "Chriſtus & Eccleſia eſt vna perſona myſtica, cuius caput eſt Chriſtus. Et paulo poſt. Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, id eſt totius Eccleſiæ cuius Chriſtus eſt caput. Et ibidem. Omnes ſancti patiuntur propter Eccleſiam quæ ex eorum exemplo roboratur."

Lombardus Commentario in hanc epiſtolam cap. 1. "Apoſtolus ſuas paſſiones dicit eſſe Chriſti, quia noſtræ paſſiones qui ſumus membra Chriſti, Chriſti ſunt. Et ſe tuetur authoritate Auguſtini."

Emanuel Sa Ieſuita Notis in hanc epiſtolam. In hæc verba QVÆ DESVNT, ſic annotat, "Supple patienda à Chriſtia-

"nis qui Chriſti membra ſunt. Et vt im-
"pleam & plenè annuntiem, vel quaſi di-
"cat, vt impleam homines verbo Dei.

15 Eſtius profeſſor Duacenſis Commentario in hanc epiſtolam Bellarminum & alios ex hoc loco aſtruentes theſaurum Eccleſiæ, & vicarias ſatisfactiones
"ſic refellit. Hinc autem Theologi qui-
"dam putant oſtendi ſanctorum paſſio-
"nes fidelibus prodeſſe ad remiſſionem
"pœnarum, quæ vocatur Indulgentia.
"Quæ quidem doctrina etſi Catholica &
"Apoſtolica ſit, atque aliunde ſatis pro-
"betur, ex hoc tamen Apoſtoli loco no-
"bis non videtur admodum ſolidè ſtatui
"poſſe. Non enim ſermo iſte quo Apo-
"ſtolus dicit ſe pati pro Eccleſia neceſſa-
"riò accipiendus eſt quod pro redimen-
"dis peccatorum pœnis quas fideles de-
"bent patiatur. Quod fortaſſe haberet
"aliquid arrogantiæ. Hæc ille.

16 Nec magis faciunt ad rem exempla hominum quibus Deus pepercit & fauit ad interceſſionem alterius. Vt nec eorum exempla qui ob alterius culpam puniti ſunt. Ad interceſſionem Abraha-

mi

mi Deus fauit Lotho: at Abraham pro Lothi peccatis non ſatisfecit, nec vllas pœnas ſubijt quibus ea expiaret, nec obtulit Deo compenſationem pro Lothi offenſis.

Nec verum eſt aliquando innocentem plecti ob alterius peccatum. Id enim * lex Dei apertè vetat. Populus Iſraelis clade affectus eſt ob Achanis peccatum, nam omnes qui in hac clade occiſi ſunt fuerunt peccatores, & morte digni. Sed peccatum Achanis dedit Deo occaſionem eos puniendi ob ſua ipſorum peccata.

Eſt autem ingens ſaltus & mirifica ratiocinatio ſic argumentari. Ob peccatum Achanis multi innocentes perierunt. Ergo Papa habet theſaurum ex paſſionibus ſuperuacuis Sanctorum, quas ſpargat in populos per indulgentias. Inſulſa hæc deliria deblaterant rabulæ Papales facti ad nutum Papæ, qui ſibi interdixerunt omnem vſum liberi iudicij. Noui Anaxagoræ diſcipuli, educentes omnia ex omnibus, nihil penſi habent dum Papæ commodis inſeruiant.

Age verò, fingamus hominem plura pa-

* Ierem. 31. v. 29. 30. Deut. 24. 16.

ti poſſe quam requiritur ad expienda ſua peccata. At vbinam Papa hęc auctaria inuenit? Vnde ea corraſit? Quis in Papalem theſaurum hęc congeſſit? Quis author huius theſauri? Quis Papæ dedit poteſtatem ea diſpenſandi & diſtribuendi? Quis ſcit an Deus has vicarias ſatisfactiones ſit accepturus in ſolutionem? Quando incepit hæc diſtributio? Nam talem theſaurum Pontifices Veteris Teſtamenti non habuerunt, nec Apoſtoli, nec vetus Eccleſia Chriſtiana per multa ſæcula.

CAP. VII.

Theſaurum Eccleſiæ, & Indulgentias rem eſſe nouam & veteribus inauditam. Confeſſio aduerſariorum. Vanitas Indulgentiarum. De granis benedictis.

FAcilius in niue flammam inuenies quam in Scripturis ſanctis & in tota antiquitate vllum veſtigium huius theſauri vnde depromuntur indulgentiæ. Id ingenuè fatentur aduerſarij.

Caetanus lib. de Indulg. cap. 2. hęc ait.

De ortu Indulgentiarum ſi certitudo ha- "
beri poſſet, veritati indagādæ opem ferret. "
Verùm quia nulla Scripturæ ſacræ, nulla "
priſcorum Doctorum Græcorum aut La- "
tinorum authoritas ſcripta hæc ad no- "
ſtram deduxit notitiam, ſed hoc ſolum à "
trecentis annis ſcripturæ commendatum "
eſt de vetuſtis Patribus, quod Beatus Gre- "
gorius indulgentias ſtationum inſtituit. "
Hic Gregorius ſcripſit circa annum Chri-
ſti 595. In cuius ſcriptis, immo nec mul-
tis poſt eum ſæculis nulla fit huius theſauri "
nec Indulgentiarum Romanarum men- "
tio. Sanè qui Gregorio id tribuunt men- "
tiuntur: nec vllus huius rei teſtis idoneus
inuenitur.

Polydorus Virgilius lib. 8. de Inuento-
ribus rerum cap. 1. citat verba Roffenſis "
Cardinalis, fatentis apud veteres nullam "
fieri Indulgentiarum mentionem. "

Nauarrus Commentario de anno Io- "
bel pag. 545. hæc affert ex Roffenſi. Non "
certò conſtat à quo primùm indulgentiæ "
tradi coeperunt. Et paulo poſt. Quod "
multa de Euangelijs & alijs ſcripturis ſunt "
excuſa luculentius & intellecta perſpica- "

"cius quam fuerant olim. Quod nemo iam "dubitat Orthodoxus an Purgatorium ſit, "de quo tamen apud priſcos illos nulla, vel "quam rariſſima fiebat mentio. Quod non "fuit tam neceſſaria ſiue purgatorij, ſiue in-"dulgentiarum fides explicita in primitiua "Eccleſia atque nunc eſt, *&c.* Dum nulla "fuerat de Purgatorio cura, nemo quære-"bat indulgentias. Hæc Venerandus Cardinalis, Papæ martyr.

Gabriel Biel in Canonem Miſſæ Le-"ctione 57. Dicendum quod ante tempo-"ra Gregorij modicus vel nullus vſus fuit "indulgentiarum. At nec poſt Gregorium per multa ſæcula.

Alphonſus à Caſtro lib. 8. contra hęreſes, in verbo *Indulgentia.* De Indulgen-"tijs ſic ſcribit. Nulla eſt res quam minus "apertè ſacræ literæ prodiderint. Neque "tamen hac occaſione indulgentiæ ſunt "contemnendæ, quod earum vſus in Ec-"cleſia ſit ſerò receptus: quoniam multa "ſunt poſterioribus nota quæ vetuſti iſti "ſcriptores ignorauerunt. Nam de Tranſ-"ſubſtãtiatione panis in corpus Chriſti rara "eſt in ſcripturis antiquis mentio, & de

Purgatorio, *&c.* Quid ergo mirum ſi ad " hunc modum de Indulgentijs contigerit? "

Bellarminus lib.2. de Indulgentijs cap. 17. ſollicitè inueſtigans primam originem indulgentiarum, dicit Durandum, Antoninum, & Roffenſem fateri indulgentias per mille & ducentos annos in veteri Eccleſia ignotas fuiſſe. Nec potuit inuenire exemplum antiquius Alexandro III. Papa qui ſedere cœpit anno Chriſti 1160. Et hoc ipſum quod affert de hoc Alexandro aduerſatur Indulgentijs Romanis huius temporis. Dicit enim Alexander neminem poſſe dare indulgentias ijs qui non ſunt de ſuo grege & non ſunt ei ſubiecti. Vnde ſequitur Papam non poſſe dare indulgentias mortuis. Nec Alexander ibi loquitur de indulgentijs Romanis, ſed de ijs quæ dantur à quouis Epiſcopo in propria diœceſi, per abbreuiationem temporis iniunctæ pœnitentiæ. Nec loquitur de theſauro Eccleſiæ, nec de ſuperabundantibus ſatisfactionibus Chriſti & Sanctorum. Sed & ibidem Bellarminus agnoſcit cum Durando indulgentias ignotas fuiſſe tempore Hieronymi &

Auguſtini.

Hæc ſunt verba Nauarri Commentario de Iobel.* p. 545. *Fatemur eum cõmuni, nullum eſſe in Scripturis ſacris teſtimonium earũ apertum. Nullum item antiquorum Doctorum Græcorũ aut Latinorum expreſſum, vt ait Antoninus.* Et paulo poſt. *Indulgentiæ cœperunt poſtquam ad Purgatorij cruciatum trepidari cœpit.*

Indulgẽtiæ veteris Eccleſiæ nihil aliud fuerunt quam abbreuiatio temporis publicæ pœnitentiæ præſcriptæ Canonibus pœnitentialibus. Quæ abbreuiatio fiebat ex iudicio cuiuſq; Epiſcopi in ſua diœceſi: non verò ex arbitrio Epiſcopi Romani, qui vetuit ne Epiſcopus daret indulgentias vltrà dies quadraginta, & in Encænijs templi conceſſit eis facultatem largiendi Indulgentias centum dierum. Ipſe verò ſibi reſeruauit poteſtatem illimitatam, per quam dat indulgentias non modo viginti millium annorum, vt vult Bellarminus ſed ducentorum & trecentorum millium annorum, & dat indulgentias mortuis, per quas certò & indubitanter liberantur flammis Purgatorij & in paradiſum illico

* 1. Part. Tit. 10. cap. 9. In principio l.

& ſine mora transferuntur. Sunt tamen qui volunt eas paulifper recreari in prato florido, antequam in cælum admittantur. De quo prato, ſuo loco agetur.

Iſtius abbreuiationis ſeu Indulgentiæ, per quam Epiſcopi aliquid remittebant de rigore Canonum pœnitẽtialium mentio fit in Synodo Ancyrina, can. 2. In quem Balſamon ſic commentatus eſt. Si regionis Epiſcopi animaduerterint, " eos qui vere torti fuerunt [vt ſacrificarent " idolis] eſſe miſericordia dignos, propter " lacrymas & eorum humilitatem, vel con- " tra maiore ſupplicio, propter impuden- " tiam, facient prout eis videbitur, id eſt vel " pœnam augebunt, vel potius conſolatio- " nem afferent: Hęc enim in eorum poteſta- " te & iudicio ſita ſunt. De eadem indul- " gentia habemus canones 11. & 12. Concilij primi Nicæni.

Abuteretur ſuo otio, lectoriſque negotio, qui vellet perſequi ſingula, & multiplicem indulgentiarum inſaniam. Legatus Papę concedit indulgentias ad reparationem pontis collapſi. Nauarr. lib. de Indulg. pag. 585.

Pontifex aliquando largitur & depromit ex theſauro cuius eſt clauiget Indulgentias plenas, pleniores & pleniſſimas: ſunt enim hæc vocabula ἔντεχνα & plena myſterij. Aliquando Papa manum coarctat, dans indulgentiam tertiæ partis peccatorum cum aliquot quadragenis. Sunt & indulgentiæ affixæ Roſario: Quædam verò ſunt affixæ granis benedictis, quorum obiter mentionem facit Bellarminus lib. 1. Indulgentiarum cap. 9. Quæ grana ſunt muliercularum ἀθύρματα & religioſa crepundia. Idque ex traditione Apoſtolica, quamuis ſit res noua, & adhuc calens ab incude. Quæ grana carius emuntur, & plus habent efficaciæ & ſanctitatis, quando ab ipſo Papa ſunt benedicta: Non pauci mercatores hanc mercaturam exercẽt, eſtque ars quęſtuoſſima. Sed & Papa dat & ſpargit in populos globulos ligneos, quos quiſquis manu tenet, addita oratiuncula, vnam animam liberet flammis purgatorij. Nauarr. Commentario de Indul. pag. 557.

Bullas vero Pontificis quibus Papa largitur indulgentias, Bellar. l. 2. de Indul. c. 6

dicit munitas eſſe ſigillo plumbeo eo modo quo ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum ſunt ſigna rerum cæleſtium.

Præſumi poteſt Apoſtolos tale ſigillum appoſuiſſe ſuis epiſtolis, ad confirmationem. Finis enim ſigilli, eſt confirmatio rerum quæ epiſtola continentur. Nam cum Papa per Bullas plumbo ſigillatas largitur viuis vel mortuis remiſſionem peccatorum, crimen eſſet dubitare de validitate huius indulgentiæ, quandoquidem ſigillo Papali obſignatur & confirmatur. Regalia diplomata ſunt ſigillata cera molli. At Papæ Bullæ * ſunt ſigillatæ plumbo vt earum maior ſoliditas & certitudo deſignetur. Hęc quidem videntur confićta ad ludibrium, & ad religionis Chriſtianæ opprobrium. Nam quid abſurdius quam remiſſioni peccatorum apponere ſigillum, ad imitationem diplomatum regiorum? At Bellarminus & alij qui cenſent Papam dare indulgētias mortuis, non per modum abſolutionis, ſed tantùm per modum ſuffragij, id eſt inter-

* Nauarr. lib. de Indulg. pag. 584. Bullæ ſeu diplomata Romæ adferuntur multis ſigillis munita.

ceſſionis & precationis hoc ſigillum conuellunt & riſui exponunt. Nam quid abſurdius, quam appoſito ſigillo preces & interceſſionem confirmare? Quoſdam habere arcas plenas eiuſmodi bullis Papalibus dicit Nauarrus.

Rem addam quæ ſine horrore cogitari non poteſt. Synodus Conſtantienſis congregata ex toto Imperio Papali anno Chriſti 1414. Iohannem Huz & Hieronymum Pragenſem, contra fidem datam cremauit. Huic condemnationi quæſitus eſt color. Prodierunt teſtes magno numero qui ſe plurimas blaſphemias ex ore Iohannis Huz audiuiſſe teſtati ſunt. Hi errores & blaſphemię Seſſione XV. ſunt in quadraginta articulos digeſtæ: Articulo decimo nono hæc habentur, producti ſunt teſtes, *qui dixerunt ſe audiuiſſe quod Iohannes Huz dixiſſet quod indulgentiæ Papæ & Epiſcopi non valent niſi Deus indulgeat.* Atrox ſcilicet crimen, & igne piandum, dicere Papam non poſſe remittere peccata niſi Deus ea remittat, & Papam in dando indulgentias non teneri expectare Dei conſenſum. Nonne iſti te-

ſtes digni erant mitti in ignem qui Chriſti martyri parabatur? At eos nulla Synodi cenſura perſtrinxit. Et hæc accuſatio inſerta eſt criminibus ob quæ vir ſanctus ad ignem damnatus eſt.

CAP. VIII.

DE MERITIS.

QVia ſatisfactiones tam proprię quam vicariæ accenſentur meritis, & dicuntur mereri remiſſionem pœnę quę debetur peccatori ex Dei iuſtitia, de Meritis quædam dicenda ſunt. Nam ſublatis meritis, tota doctrina de ſatisfactionibus difflatur, & fœda cauponatio vicariarum ſatisfactionum euertitur.

Synodus Tridentina Seſſ VI. Can. 32. cum fateatur bona opera eſſe Dei dona, pronuntiat tamen eſſe merita hominis iuſtificati, & contra ſentientes ferit anathemate. Bellarmino videtur res parum honeſta nimis Deo debere, mauult enim hominem ſibi debere laudem ſuæ ſalutis, quam ſoli Deo. Sic enim loquitur lib. 5.

de Iuſtific. cap. 3. §. *At ſi. Magis honorificum eſt habere aliquid ex merito, quam ex ſola donatione.* Idem Ieſuita lib. 1. de Purgatorio cap. 14. 5. *Reſpondeo. Poteſt homo iuſtus ſuis operibus mereri ex condigno vitam æternam.* Et libro 5. de Iuſtificatione cap. 14. §. *Modum. Deus conſtituit abſolutam æqualitatem inter opera & mercedes, vt vnuſquiſque non minorem habeat mercedem quam iuſto iudicio mereatur.* Et cap. 17. §. *Iam verò.* dicit, *opera bona iuſtorum meritoria eſſe vitæ æternæ ex condigno non ſolum ratione pacti & acceptationis, ſed etiam ratione operis, ita vt in opere bono quod fit gratia præcedente, ſit quædam proportio & æqualitas ad præmium vitæ æternæ.* Cottonus Ieſuita lib. 1. Inſtitutionis cap. 17. *Meritum condignitatis eſt cui debetur remuneratio ex rigore iuſtitiæ.*

Ac nequis arbitretur Deum debere mercedem noſtris operibus, non ex merito operum, ſed tantum ex pacto, idem Bellar. lib. 5. de Iuſtif. cap. 17. pertendit bona opera iuſtorum meritoria eſſe vitæ æternæ, non ſolum ratione pacti & acceptationis ſed etiam ratione operis. Et c. 18.

§ *Sed facilis. Non ex ſola promiſſione, ſed etiã ex opere noſtro Deus fit debitor.* Hic homo Deum vocat ad calculos, vt ſubductis rationibus Deus inueniatur debitor, & periculum ſit ne obrutus ære alieno conturbet rationes, non habens vnde tot creditoribus ſatisfaciat, & tam grandem meritorum aceruum remuneretur. Obſeruabit Lector has voces. DEVS FIT DEBITOR.

Per hanc doctrinam qua Deus dicitur debitor, homo poterit dicere Deo, *Solue quod debes.* Quo tandem modo Deus poſſet dici debitor homini, cum homo ſe ipſum & omnia ſua debeat Deo? An poteſt homo petere à Deo ſolutionem debitorum, qui quotidie debet petere à Deo remiſſionem peccatorum? Profecto ſi quis poſſet iuſtitia ſuorum operum mereri vitam æternam, poſſet dicere Deo, *hoc mihi debet & iniuſtus es niſi mihi des regnum cæleſte.* Herus enim iniuſtus eſt qui non dat ſeruo mercedem quam meretur. An poſſet cuiquam deberi vita æterna ex merito, cum Chriſti iudicio qui impleret legem Dei,* deberet tamen agnoſcere ſe eſſe ſeruum inutilem? Nam quid Deo

* Luc. 17. 10.

prodeſt noſtra iuſtitia? Si do eleemoſynam an Deus inde fit locupletior? Si eum laudo, autei morem gero, an inde fit auctior?

Et cum quæcunque bona facimus fiant ex Dei gratia, & Spiritu Dei impulſore, ſi quid mererentur hęc opera, Deo ipſi deberetur merces, quippe qui eſt eorum author.

Tum quæ proportio meæ eleemoſynę aut ieiunij ad regnum æternum & cęleſte? Quo tandem modo homo peccator poſſet mereri vitam æternam qui cõmeruit mortem æternam, ſi Deus vellet cum eo agere ſtricto iure? *Omnes enim labimur in multis*, Iacobi 3.2. *Nullus viuens iuſtificabitur coram Deo*, Pſal. 143.2. Apoſtolus ſe fatetur peccatorem, & ſuam ſortem lamentatur, & confugit ad gratiam Dei in Chriſto Ieſu, Rom. 7.

Gratia ſeruamur per fidem, Epheſ. 2.8. Si per gratiam, non ergo ex merito. *Donum Dei eſt vita æterna*. Rom. 6.23. Quod habemus dono non habetur ex merito.

Eſt quidem vita æterna, merces, ſed gratuita, qualis eſt merces quę datur operarijs

miſſis ad vineam die iam prę̨cipiti, & qualis eſt merces quæ à Deo datur ei qui ſitienti porrexit ſcyphum frigidæ, Matth. 16. 42. Et qualis merces datur à patre filiolo ob pauculos characteres tremula manu exaratos. Datur id perſonę non operi. Dicimur quidem digni vita æterna, ſed hanc dignitatem habemus à Deo, & per adoptionem gratuitam in Chriſto. Alia eſt dignitas perſonæ, alia operis. Tum dignitas non ſemper prę̨ſupponit meritum, ſed ſignificat aliquando aptitudinem & conuenientiam: vt cum Baptiſta dicebat *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, Matth. cap. 3. ℣. 8. Vide Rom. 16. 2. Philip. 1. 17.

Prę̨cipui ponderis eſt quod Apoſtolus & cum Apoſtolo * Auguſtinus & Thomas & Bellarminus ſtatuunt electionem ad ſalutem eſſe gratuitam, & non ex prę̨uiſione operum. Impoſſibile eſt autem vt qui prę̨deſtinatus eſt ad ſalutem gratuitò, prę̨deſtinatus ſit ad adipiſcendam ſalutem non gratuitò & ex merito, id enim implicaret contradictionem.

Sic cum dicunt nos mereri ex gratia perinde agunt ac ſi dicerent aliquem cale-

* 2. Timot. 1.

fieri frigore, aut dealbari nigredine. Nam quo tandem modo mereremur per gratiam, cum gratia expungat meritum & deleat, & ob id ipſum ſeruemur gratuitò, ne putemus nos noſtrum operum merito ſalutem adipiſci? Idcirco quando agitur de adeptione ſalutis, Paulus opponit gratiam operibus vt ἀσύςατα, Rom. 11. 6. *Si per gratiam non ergo ex operibus, alioqui gratia non eſt gratia.*

Sed & aduerſarij fatentur infantes qui moriuntur ſtatim à baptiſmo ſeruari abſq; vllo ſuo merito, qui quidem maximus eſt hominum numerus. Volunt ergo quoſdam ſeruari per merita, quoſdam abſque meritis, quoſdam gratuitò, quoſdam non gratuitò. At vnica eſt via ſalutis, & par omnium electorum redemptio.

Magni eſt ponderis quod Apoſtolus ad Romanos dicit nos eſſe filios, ac proinde hæredes. *Si filij* (inquit) *ergo hæredes, hæredes quidem Dei & cohæredes Chriſti.* At filius quantumuis bonus & obſequens patri nunquam dicitur ſuis meritis acquirere hæreditatem paternam. Quiſquis vult ſeruari merito operum, eierat titulum fi-

lij

lij vt ſumat emptoris.

Ipſa Miſſa aduerſa eſt meritis, in qua Sacerdos quotidie petit vt Deus nos admittat in conſortium ſanctorum, *non obſeruator meriti, ſed veniæ largitor*. Nondum hæc praua doctrina irrepſerat in Eccleſiam Romanam quando hæc clauſula Liturgiæ inſerta eſt.

Eſt ergo abominanda & capitalis oratio Vazquis Ieſuitæ, qui ſic agit cum Deo, vt qui nihil ei debeat, & ſolidam laudem ſibi tribuat ſalutis ſuæ. Verba eius hęc ſunt in 1. 2. Diſp. 214. *Eſt Catholicæ doctrinæ magis conſentaneum, primum valorem & dignitatem vitæ æternæ abſque vllo pacto & fauore operibus iuſtorũ aſcribendam eſſe.* Et paulò poſt ſubiungit. *Operibus iuſtorum nullam acceſſionem dignitatis prouenire ex meritis Chriſti aut ex eius perſona.* Nempe ſuperbię ſpiritus hos homines inflat vt diſrumpantur, & inſublime attollit vt pręcipitet. Eoſque meritorum perſuaſione faſcinat, vt iuſtitia Chriſti excidant, & ficulneo adminiculo innixi corruant. Fanatico errore perculſi, dum ſe peccatores agnoſcunt, ſe iactant ſuperfluentibus me-

ritis, quę alijs impertiant, & Deo non poſcenti ſuperingerunt auctaria. Per opera ſupererogationis affectant ſupereminentem gradum glorię ſupra vulgus ſanctorum, qui ſola impletione legis fuerunt contenti, interea dum profitentur ſe dubitare de ſua ſalute. Veluti ſi quis non contentus imperio, timeret tamen ſuſpendium in craſtinum.

Et hic quidem fructus eſt doctrinę de meritis, nempe dubitatio de ſalute: Nam quis ſuper fundamento tam fluxo & inſtabili poſſet ædificare certam fiduciam? Meritò nutant & vacillant qui inania ſubſidia conſectantur. Quantùm Deo grata eſt humilis fiducia, tantùm odit tremulam & vacillantem arrogantiam.

CAP. IX.

Veterum de Meritis ſententiæ.

POſſemus multas paginas implere locis Veterum quæ Meritis aduerſantur Pauca hæc ſunt ex multis.

Principio quæcunque ex Patribus Grę

eis afferuntur inde liquet falſa eſſe & in alienum ſenſum detorta, cum lingua Grȩca non habeat vocem quæ Latino MERITI vocabulo reſpondeat.

Chryſoſtomus qui aliquibus in locis videtur in Pelagianiſmum pronior, plus tribuens naturæ quàm gratiæ, homilia tamen duodecima in Epiſtolam ad Romanos, explicans verba Apoſtoli, *Stipendia peccati mors: donum autem Dei, vita æterna,* Rom. 6. hæc habet. *Apoſtolus cum dixiſſet, ſtipendium peccati eſſe mortem, in pijs & bonis non ſeruauit eundem ordinem. Non enim dixit, merces eſt noſtrorum bonorum operum, ſed eſt gratia Dei: demonſtrans eos liberatos non ſua ipſorum virtute, & eos non accepiſſe quod eis debebatur, neque compenſationem neque remunerationem, ſed omnia hæc facta per gratiam.*

Concilium Arauſicanum Can. 12. *Tales nos amat Deus quales futuri ſumus eius dono, non quales ſumus noſtro merito.*

Auguſtinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 4. *Chriſtus pro nobis ſolus ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, vt nos per ipſum ſine bonis meritis ſuſciperemus indebitam gratiam.* Et

« cap.9.de Gratia & libero arbitrio. Vt in-
« telligeremus non pro meritis noſtris Deũ
« nos ad æternam vitam, ſed pro ſua miſera-
« tione perducere. Et lib.1. de Prędiſt. ſan-
« ctorum cap.1. Gratia nulla eſt ſi ſecundum
« merita noſtra datur.

« Ambroſius Serm. 20. in Pſal. 118. Ne-
« mo ſibi arroget, nemo de meritis glorie-
« tur, nemo de poteſtate ſe iactet, ſed om-
« nes ſperemus per Dominum Ieſum miſe-
« ricordiam inuenire.

« Hieronymus in Ezechiel. cap.46. Per-
« ſpicuum eſt omnem hominem quãuis ad
« perfectionem venerit egere miſericordia
« Dei, & plenam perfectionem ex gratia
« non ex merito poſſidere. Et in caput pri-
« mum Eſaiæ. Non tuo merito ſed meo tan-
« tum ſaluaris auxilio.

« Gregorius I. in 7. Pſalm. pœnit. Si illa
« ſanctorum felicitas miſericordia eſt, &
« non meritis acquiritur, vbi erit quod ſcri-
« ptum eſt. Tu reddes vnicuique ſecundum
« opera ſua? Si ſecundum opera redditur
« quomodo miſericordia exiſtimatur? Sed
« aliud eſt ſecundum opera reddere, aliud
« propter ipſa opera reddere. In eo enim

quod ſecũdum opera dicitur ipſa operum «
qualitas intelligitur vt cuius apparuerint «
bona opera eius ſit & retributio glorioſa. «

Quid quod Bellarminus lib. 5. de Iuſtificatione cap. 7. §. *Sit tertia.* Poſtquam multum deſudauit in tuẽdis meritis, tandem dat Deo gloriam & in noſtras partes concedens ſic ſcribit. Propter incertitudi- "
nem propriæ iuſtitiæ, & periculum inanis "
gloriæ tutiſſimum eſt fiduciam totam in "
S O L A Dei miſericordia & benignitate "
reponere. Hæc ille: euertens quod eodem "
capite dixerat. Fiduciam ſanctorum, non "
ex fide ſola ſed etiã ex bonis meritis naſci.

Ne multa: Anſelmus quem Papa catalogo Sanctorum intulit ſic loquitur libro de Mẽſuratione crucis. Si homo mil- "
le annis ſeruiret Deo, etiam feruentiſſimè, "
non mereretur ex condigno dimidium "
diem eſſe in regno cælorum. "

Et Vega poſt Thomã Waldenſem opuſculo de meritis quęſt. 4. p. 782. Ille eſt ſa- "
nior Theologus, fidelior Catholicus, & "
ſacris ſcripturis magis conſentaneus qui "
merita ſimpliciter abnegat. Loquitur au- "
tem de operibus iuſtificatorum.

CAP. X.

Quo ſenſu vocabula Merendi & Meriti capiantur à veteribus.

LAtini quidem Patres voces *Merendi* & *Meriti* frequẽter vſurpant, ſed non eo ſenſu quo hodie vſurpantur ab aduerſarijs. Nam per meritum, hodie intelligitur bonum opus cui à Deo debetur merces. Et per *mereri* intelligunt facere bonum opus cui ſalus debeatur & remuneratio in vita æterna. At apud Patres *mereri* nihil aliud eſt quam *conſequi* aut *habere* aut *cõpotem fieri*. Sic Eccleſia Romana ex Gregorio I. canit, *Felix culpa quæ talem meruit habere redẽptorem*, Auguſtinus Tract. 15. in Iohannem extremo. *Adam dormiens meruit accipere vxorem.*

Et Tract. 62. *Itane hoc meruit panis porrectus de menſa Chriſti, vt poſt illum intraret in diſcipulum eius Satanas?* In Biblijs vulgatis Geneſ. 4. 13. Cain ſic loquitur, *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear*, id eſt quam vt poſſim veniam conſe-

qui. Demens ſit qui credat crimina poſſe mereri veniam, cum contra mereantur pœnam. Sic Ioſuæ cap 11. ṽ. 20. *Domini ſententia fuerat vt indurarentur & non mererentur vllam clementiam*, id eſt conſequerentur. Auguſtinus Sermone 52. de verbis Domini, *Reſurrectionem cæcus meruit oculorum.* Et lib 10. de Geneſi ad literam 18. *Puluis aſſũptus ex terra meruit diuinitus animari.* Lib. 26. in Fauſtum loquitur de merito rerum naturalium & inanimatarum. Et contra Secundinum cap. 26. agit de merito paucitatis, in qua nulla eſt virtus. Hieronymus lib. 2. in Iouinianum. *In tẽplo corporis noſtri diuerſa ſunt Merita.* Et ibidem. *Eiuſdem ne ordinis & meriti putas eſſe aluum, & oculos, & meatus per quos fimus egeritur & vrina?*

Sed & merita vocant opera bona quæ fiunt ex Dei gratia. Auguſtinus libro 50. Homiliarum. Homilia 14. *Cum Deus coronat tua merita, nihil coronat niſi dona ſua.*

CAP. XI.

Abſterſio calumniarum.

OCclamant aduerſarij, reiectione meritorum, omnem pietatem extingui & bona opera fieri inutilia & non neceſſaria ad ſalutem. Sic immitti habenas cupiditatibus carnalibus, & laxari fibulam intemperantiæ: Nam quis virtutem amplectitur ipſam, Præmia ſi tollas? & ſi nihil vtilitatis inde ad nos perueniat? Dogma (inquiunt) hæreticorum eſt, fidem ſolam iuſtificare, vt bona opera fiant inutilia. Quin & addunt nos docere omnia bona opera piorum eſſe peccata mortalia, vt non modo ſint inutilia, ſed etiam fiant odioſa & noxia. Hæc per calumniam à ſe confiƈta tragicè exagitant, & virulenta oratione exaſperant.

At homines incoƈti mendacio ſciunt horum nihil à nobis credi, & noſtram religionem ab his omnibus eſſe alieniſſimam. Credimus enim & docemus ampliſſimam mercedem bonis operibus eſſe

repoſitam. Sed hanc mercedem dicimus eſſe gratuitam: & non dari ſalutem ex dignitate operis per quam Deus fiat debitor, ſed ex pacto, & mera Dei gratia.

Nec ignorant aduerſarij nos docere bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem. Toti ſumus in exhortationibus ad pietatem, iuſtitiam & charitatis officia. Id clamat tota ſcriptura, & ipſa ratio euincit. Nam quos Deus vult facere beatos, facit etiam bonos. Non itur in paradiſum via inferni: Nec peruenitur ad regnum Dei ſeruiendo diabolo. At quamuis bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem, non inde ſequitur ea eſſe cauſam ſalutis, aut nos ſalutem merito noſtrorum operum adipiſci. Bona opera ſunt via regni, non verò cauſa regnandi. Per bona opera Dei gloria illuſtratur, proximi ædificantur, fides noſtra hoc ſalutari exercitio roboratur: Deus coronat ſua dona, non noſtra merita.

Ac profecto maiore efficacia hortamur noſtros auditores ad bona opera quam aduerſarij ſuos. Nam qui credit ſe mera Dei gratia, & nullo ſuo merito ſeruari, acrioribus ſtimulis ad Dei amorem accenditur;

quam qui oſtentat ſua merita, vt Deum faciat debitorem. Eſtque impuriſſima Bellarmini oratio qui lib. 5. de Iuſtificatione cap. 18. hæc ait, *Non ex ſola promiſſione ſed etiam ex opere noſtro Deus fit DEBITOR.* Veſtram fidem quid poteſt Deus debere homini qui ſe ipſum debet Deo & ſua omnia? & qui cum ſit peccator opus habet remiſſione peccatorum? Quid quod idem Ieſuita cap. 3. lib. 5. de Iuſtific. cap. 3. §. *At ſi.* cenſet magis honorificum eſſe homini habere ſalutem ex merito, quam ex ſola Dei donatione? Generoſi eſt animi nolle nimium Deo debere. Vult igitur hominem venire in partem iſtius laudis, vt inde fiat honoratior.

Hinc quoque apparet noſtras exhortationes ad bona opera eſſe meliores & efficaciores exhortationibus aduerſariorum. Hortamur enim ad opera quæ ſunt lege Dei præſcripta: At illi obtrudunt Deo merita quæ potius ſunt crimina: vſque adeo indigna præmio vt etiam mereantur pœnam. Talis eſt adoratio reliquiarum, inuocatio Sanctorum, diſcrimina ciborum, ieiunia & flagellationes vnius, pro

peccatis alterius, peregrinationes Cōpoſtellam, preces lingua ignota precanti, cultus religioſus imaginum, &c. His meritis Deus fit debitor: Herus eſt iniuſtus qui non ſoluit ſeruo mercedem debitam. Sic Deus vocatur ad calculos. Et homo ſuffarcinatus opinione ſuorum meritorum, poterit dicere Deo, ſolue quod debes.

Nobis vero qui rejicimus noſtra merita non video quid impingi poſſit ab aduerſarijs, niſi quod nos nimis abijcimus coram Deo, & nimijs laudibus extollimus eius gratiam. Illi verò hanc laudem, cum Deo partiuntur. Si quis Mæuio dederit fundum opimum, diſtantem centum paraſangis, ea lege & conditione vt Mæuius ſe illicò conjiciat in pedes, & eò ſe conferat ad capiendam fundi iſtius poſſeſſionem, an quiſquam vſque adeo eſſet excors & inops mentis vt paſſus iſtius itineris computet pro meritis, & dicat hos paſſus eſſe pretium iſtius acquiſitionis? At Deus non tantùm dat nobis gratis hæreditatem cæleſtem, ſed inſuper nos facientes iter in cœlum dirigit & manuducit: nos alit per viam, & lapſantes & va-

cillantes ſuſtentat & erigit. Hui quam procul à merito! Audiamus Apoſtolum ad Epheſ. cap. 2. 8. *Gratia eſtis ſeruati per fidem, idque non ex vobis, DONVM Dei eſt.* Et ad Rom. cap. 6. 23. *Stipendium peccati mors, donum vero gratuitum Dei eſt vita æterna.*

Circa iuſtificationem ex ſola fide aduerſarij agunt fide qua ſolent, id eſt mala. Dicimus cum Apoſtolo hominem iuſtificari fide non verò operibus. Cum verò dicimus hominem iuſtificari ſola fide non veró per opera, mens noſtra non eſt hominem iuſtificari fide quæ ſit deſtituta bonis operibus. Talem fidem dicimus eſſe mortuam, & non eſſe veram fidem, ſed vmbratilem & fallacem fiduciam. Quemadmodum cum dicimus ſolos oculos videre, mens noſtra non eſt oculos ſolos, & à corpore auulſos habere videndi facultatem, ſed ſolorum oculorum eſſe hanc functionem & munus, videre. Oculi ſoli vident etiam ſi non ſint ſine auribus. Cum autem noſtra iuſtificatio coram Deo, perqnam ſtat homo coram Dei tribunali, nihil aliud ſit quam remiſſio peccatorum,

& declaratio qua Deus nos agnoſcit iuſtos propter Chriſtum, hoc credere munus eſt ſolius fidei non vero charitatis, quamuis fides non ſit ſine charitate.

Pari calumniandi libidine clamant nos docere, omnia piorum bona opera eſſe totidem peccata mortalia. Durum ſane os, & iniuſtiſſima exprobratio. An quiſquam vſque adeo veſanus eſt, vt credat martyrium Stephani, Pauli ſanctos labores, Dauidis preces pias, dictatas à Spiritu ſancto, eſſe peccata mortalia? Apage tam impuram & nefariam cogitationem. Nempe inde arripiunt calumniandi anſam, quia dicimus optimis quibuſque obrepere infirmitates, & eos non perueniſſe, dum ſunt in terris, ad eam perfectionem quam adipiſcentur cum erunt compotes gloriæ. Hoc ſolemne eſt aduerſariis, nobis affingere quæ non credimus, & ſibi fingere monſtra quæ iugulent. Noſtram doctrinam non impugnant ſed ſua figmenta.

Hanc diſſertationem de meritis, claudimus inſigni ſententia Bellarmini libri 5. de Iuſtificatione cap. 7. §. *Sit tertia.*

vbi omnia merita reiicit, vt rem non modo incertam, ſed & periculoſam. Acerrimo propugnatori meritorum vis veritatis hanc confeſſionem extorſit, per quam difflat omnia quæ dixerat, & in noſtras partes concedit. Quin & addit *neminem ſine reuelatione certò ſcire poſſe ſe habere vera merita.*

LIBER SEPTIMVS DE PVRGATORIO.

CAPVT I.

De Supplemento Satiſfactionis ſacramentalis. Et de Purgatorij vocabulo. Et quid mors Chriſti proſit animabus Purgatorij.

PVRGATORIVM decipula animarum, inane miſeri populi terriculamentum, fraus expurgatrix crumenarum non verò peccatorum, pręcipuum cleri aucupium, & maximum præſidium Papalis poteſtatis extendentis ſe vſque ad mortuos, peculiarem tractationem expoſcit, quam ſubjicimus tractatui de Satisfactionibus, quia pœnæ purgatorij perhibentur eſſe ſupple-

mentum Satisfactionis Sacramentalis, ſi in ea aliquid deſideretur, & non fuerit perfectè impleta ante mortem. Quod quidem ſupplementum cum ſit pœna infinitis partibus longior & atrocior quauis ſatisfactione Sacramentali, de eo poteſt vſurpari illud veterum *Mantiſſa obſonia vincit*, eſt enim additamentum ad pondus longe maius pondere.

Hoc purgatorium ipſo purgatorij nomine refellitur: Cum enim omnis purgatio ſit mundatio qua ſordes purgantur, aut maculæ eluuntur; aduerſarij non poſſunt dicere quæ ſordes aut maculæ expurgentur, aut eluantur igne purgatorij. An ibi culpæ expurgantur? At ipſi dicunt animas purgatorij eſſe perfectè iuſtas, & culpæ expertes, & per cruciatus purgatorij eas non fieri ſanctiores nec iuſtiores. Nec dici poteſt eas expurgari culpis quas commiſerunt in hac vita, cùm ipſi dicant has culpas eſſe remiſſas, & Chriſtum pro eis perfectè ſatisfeciſſe: Reſpondent has animas purgari hoc cruciatu, quia luunt pœnas quibus ſunt obnoxiæ. At etiam pro hac pœna (ſi vlla eſt) Chriſtus ſatisfecit.

Tum pœnæ non ſunt ſordes aut maculæ quæ poſſint purgari aut elui. Nemo mentis compos dixerit crucem, aut damnationem ad remum eſſe purgationem. Debuit ergo ignis ille fictitius, potius *cruciatorius* quam *purgatorius* appellari, quandoquidem nullas ſordes purgat. Nulla pœna iuſta eſt abſque culpa. At iſtæ animæ carent culpa: ſunt enim perfectè iuſtæ. Peccata verò ſeu culpas quas commiſerunt in hac vita aduerſarij cenſent eis eſſe remiſſas, & Chriſtum pro eis perfectè ſatisfeciſſe.

Quid autem Chriſti mors proſit animabus Purgatorij, res eſt apprimè digna cognitu. Eccleſia Romana, vt ante probauimus, docet vnicam guttam ſanguinis Chriſti ſufficere ad redemptionem totius generis humani à pœnis infernalibus & æternis, & Chriſtum in morte multa paſſum eſſe, vltra id quod ſufficiebat ad noſtram redemptionem: & has paſſiones, ne ſint inutiles & ſuperuacuæ, à Papa congeri in theſaurum Eccleſiæ, & diſtribui populis per indulgentias quæ extenduntur ad mortuos: Papalibus enim indulgen-

tijs animas extrahi purgatorio. In quo purgatorio aduerſarij dicunt animas cruciari temporalibus pœnis ob peccata leuia & venialia, non verò ob mortalia. Vnde manifeſtè conficitur vnicam guttam ſanguinis Chriſti effuſam in circuncisione aut in horto, pretium eſſe noſtræ redemptionis ab inferno, & per eam deleri peccata mortalia; & quicquid Chriſtus paſſus eſt præter vnius guttæ effuſionem, ac proinde ipſam Chriſti mortem, prodeſſe animabus purgatorij tantùm ad remiſſionem peccatorum venialium, & ad redemptionem à pœna temporali: idque ex Papæ indulgentia. Ergo plus prodeſt his animabus vnica gutta ſanguinis Chriſti, quam ipſa Chriſti mors. Qua doctrina haud ſcio an quicquam abſurdius & magis impium dici aut fingi poſſit, quippe quæ efficaciam mortis Chriſti erga animas Purgatorij extendit ad ſolam remiſſionem peccatorum venialium, idque ex diſpenſatione Papæ, qui hac arte quęſtuoſiſſimam cauponationem exercet. At ad expiationem omnium peccatorum mortaliũ vnica gutta ſanguinis Chriſti ſufficit.

CAP. II.

Character ſeu delineatio Purgatorij.

AD extinctionem iſtius ignis imaginarij ſufficit eius delineatio & deſcriptio. Eſt enim ſimilis mercibus quæ non ferunt aërem, & prolatæ in lucem fatiſcunt in puluerem.

Purgatorium (ſi creditur Pontificijs) eſt carcer ſubterraneus, ardens, inferno contiguus, vſtrina animarum piarum culpa carentium, & quibus omnia peccata remiſſa ſunt per Chriſtum, qui pro omni pœna ſatisfactoria tam æterna quàm temporali perfectè ſatisfecit.

Cruciantur autem ibi iſtæ animæ cruciatu qui omnes huius vitæ cruciatus & tormenta longè exuperat. Quæ pœnæ cũ ſint ſupplemẽtum ſatisfactionis ſacramentalis, Eccleſia tamen Rom. eas in immenſum auxit, & voluit eſſe atrociſſimas & longiſſimas, vt pœnitentes ſatisfactiones à ſacerdotibus indictas auidè & incunſtanter obeant, ne, ſi quid neglexerint, id

luant poſt mortem longè maioribus pœnis in igne Purgatorij: Aſtutè.

Quam diuturna autem ſit hæc pœna, inde collige quod Eccleſia Romana canit Miſſas pro animabus hominum, qui ante annos ſexcentos & ſeptingentos mortui ſunt. Qui quidem in Miſſis anniuerſarijs *benefactores* appellantur. Hæc merces ſoluitur illis qui donis & legationibus Eccleſiam locupletauerunt. Tales Miſſæ non canuntur pro mendicis. Bellarminus lib. 1. de Indulgentijs cap. 9. §. *Exiſtit* inde colligit longiſſimum eſſe hunc cruciatum, quia Papa dat indulgentias quindecim aut viginti mille annorum. Puduit Ieſuitam dicere Papam dare Indulgentias ducentorum & trecentorum millium annorum, quales multæ proſtant Romæ affixæ certis Eccleſijs & altaribus. Quæ quidem promittuntur *manus porrigentibus adiutrices*, hic enim eſt ſtilus currens curiæ Romanæ. Nam cur viles & pauperculæ animę & inutiles clero fruerentur prærogatiua quæ benefactoribus debetur?

In hoc igne perhibent non purgari peccata mortalia, ſed tantum venialia: Quæ

peccata venialia vſque adeo cenſentur leuia, vt non neceſſe ſit ea confiteri, nec de eis conteri. At poſt mortem fiunt grauiſſima: volunt enim ea expiari ſęuiſſimo igne & horrendo cruciatu per multa ſæcula. Nempe id fit vt carius emantur Miſſæ quæ canuntur ad ſubleuationem iſtarum animarum. Nam ſi populus crederet hanc pœnam eſſe leuem aut breuem, pauci inuenirentur emptores Miſſarum, nec de liberatione harum animarum eſſent ſolliciti. Sic peccata quæ erant leuia in vita, fiũt grauiſſima poſt mortem, idque erga animas ſanctas & carentes culpa.

Torquentur autem iſtæ animæ, non ad emendationem, nec vt fiant ſanctiores & iuſtiores, ſed ad vindictam ſeu vltionem, Deo exigente compenſationem & pœnas quibus ſatisfaciat ſuæ iuſtitiæ: quo quidem genere pœnarum boni patres nunquam puniunt liberos. Iniquiſſimum eſt quod dicitur Deus pœnis vltricibus cruciare animas quibus gratis omnia peccata remiſit, & pro quibus Chriſtus plenè ſatisfecit, & pro quibus intercedit ſedens ad dextram Patris.

Grauitatem huius cruciatus Theologi Romanenſes atrocibus verbis exaſperant, & amplificant ad terrorem. Immemores verborum Miſſæ quæ orans pro mortuis dicit eōs *dormire in ſomno pacis.*

Quantacunque autem ſit grauitas huius cruciatus, fide tamen certa creditur animas quæ igne iſto excoquuntur ſubleuari ſuffragijs ſuperſtitum, & Miſſis quæ emuntur à Sacerdotibus, & Indulgentijs Papæ, qui (quæ eſt eius bonitas & clementia) quibuſdam altaribus priuilegiatis affixit aliquot myriadas veræ indulgentiæ, & facultatem liberādi animam flāmis purgatorij ad eius optionem qui acquirit hāc indulgentiam, *manus conferens adiutrices.*

Enimuero cum Chriſtus ſedens ad dextram Patris intercedat pro omnibus fidelibus pro quibus eſt mortuus, ac proinde etiam pro animabus purgatorij, non tamen eripiuntur his flammis ad Chriſti interceſſionem, ſed liberantur ad Papæ indulgentiam, cuius maior eſt efficacia.

Qua in re videtur Deus habere iuſtam cauſam expoſtulandi, & conquerendi de ſuo Vicario: Cum enim Deus detrudat

animas in hunc ignem vt ſatisfiat ſuæ iuſtitiæ, compenſationem exigens, Papa liberans animas flammis Purgatorij, & eas transferens in Paradiſum, Deum fraudat ſuo iure, & impedit ne Deo ſatisfiat, qui maiorem compenſationem expectabat.

Nec deſunt qui in Papa deſiderent clementiam: qui cum poſſit longè plures animas liberare purgatorio, immo exhaurire totum Purgatorium, filios tamen ſuos dilectiſſimos patitur tam diu torreri flagrantiſſimo cruciatu, quaſi eorum tormento delectaretur.

Deus verò non obſcurè inſimulatur crudelitatis, iniuſtęque ſæuitiæ: quippe qui animas impiorum ſtatim à morte pręcipitat in gehennam, Luc 16. 23. At beatitudinem piorum, quos adoptauit in filios, & pro quibus Chriſtus plenè ſatisfecit, differt in multa ſæcula, & longis ac horrendis cruciatibus torquet, priuſquam eos in cœlum admittat. An Deus in pœnam malorum eſt pronior quam in benificentiam erga bonos? Cur illorum pœnas accelerat, horum vero præmia moratur, & non illico repręſentat?

CAP. III.

Quorundam hominum priuilegia. Plebis Romanæ imprudentia. Detegitur euidens iniuſtitia & cauponatio.

SVnt tamen quędam animę quibuſcum mitius agitur, & quas flamma Purgatorij vel leuiter lambit, vel nullo modo attingit. Tales ſunt animæ Mendicãtium Carmelitarum, quibus beatiſſima virgo largita eſt priuilegium, non detineri in Purgatorio vltra diem Sabbati, à morte proximum. Nam piè creditur beatam Virginem ſingulis diebus Sabbati deſcendere in Purgatorium, & quaſcunque ibi videt animas Carmelitarum extrahere igne, & in cœlum transferre, non expectato Papæ conſenſu & indulgentia. Cum eſſem Lutetiæ Carmelitæ Pariſienſes publicarunt Theſes, quas ipſi vidimus, quibus ſe iactabant hac prærogatiua.

Inſignis præ cæteris eſt prętogatiua hominum qui erunt in viuis quando Chriſtus veniet ad iudicandum viuos & mortuos. Nam homines illius ſæculi, immu-

nes erunt à flāmis Purgatorij, vtpote quod non extenditur vltra diem vltimi iudicij, quamuis non impleuerint ſatisfactiones imperatas à Sacerdotibus. Eſt ergo quod vicem noſtram doleamus, quorum natiuitatem Deus non diſtulerit in illud ſæculum.

Hic vero mirabilis eſt ſtupor, & imprudentia plebis Romanæ, quæ magno pretio emit Miſſas anniuerſarias ad leuamentum ſuarum animarum, cum præſto ſit remedium certum & cōpendioſiſſimum. Romæ enim & in magnis vrbibus plurima ſunt altaria, ad quæ quiſquis curauerit cani vnam Miſſam, poteſt ad ſuam optionem eripere vnam animam purgatorio. Emuntur enim hæ miſſę non magno pretio. Homo ſtolidus & naris obeſę potuiſſet parcere tantis ſumptibus vnius Miſſæ cantu, & quę legauit Monachis ſuis liberis relinquere.

Rem addam dignam perpendi. Vir moriens legauit teſtamento Monachis ducentos aureos, vt pro eius anima canantur centum aut ducentæ Miſſę. At teſtamenti executor, ſiue mala fide, ſiue

per negligentiam, ſiue quod indignè fert hanc cauponationem exerceri, non repręſentat Monachis pecuniam legatam, vnde fit vt Miſſę illę non canantur, & miſella anima fraudetur ſperato auxilio. Quęritur cum nulla ſit culpa teſtatoris, an iuſtum ſit vt luat pœnas alieni peccati? Reſpōdet Gabriel Biel magni nominis Theologus Lectione vigeſima quinta in Canonem Miſſę per executoris negligentiam animam iſtam priuari ope ſuffragiorum Eccleſię. *Quocirca* (inquit) *attendere debent teſtatores, vt non deſidibus, torpentibus, aut alias minus timoratis executiones ſuarum ſtudeant committere voluntatum.* Concinit Thomas & Nauarrus libro 5. Conſiliorum Conſilio 32. pàg. 248. ſic ſcribens. *Thomas determinat expreſſè quod mortuus aliquid detrimenti ſentire poteſt eò quod eleemoſynæ quas mandauit dari [teſtator] retardantur: ea ratione quòd propter eiuſmodi tardationem retardantur orationes & ſacrificia quæ fierent pro anima defuncti, quibus plurimum iuuaretur.* Sic Deus fingitur ſeruiens auaritię preſbyterorum & monachorum, & ob alienam culpam pro-

rogans cruciatum miſerę animulæ, quia pecunia eis legata non fuit monachis bona fide repręſentata.

Id quoque noſſe operę pretium eſt, in Canone Miſſę ſacerdotem debere orare nominatim pro certis quibuſdam defunctis, pro quibns ſtipem aut pecuniolam accepit. An vero id faciat nemo ſcit, quia nomina defunctorũ tacitè obmurmurat: Sed piè creditur id ab eo bona fide peragi.

CAP. IV.

De loco Purgatorij, & natura ac forma ſupplicij.

PErtinet quoque ad delineationem, & deſcriptionē Purgatorij, noſſe vbi ſit, & qualis eius cruciatus. Nã ſuper his rebus non leuis eſt inter aduerſarios diſcordia.

Gregorius I. Pontifex Romanus, Dialogorum lib. 4. c. 40. dicit animam Paſchaſij Diaconi, purgatam fuiſſe in thermis angularibus: & animam domini balneorum poſt mortem ibi fuiſſe purgatam. Et Bellarminus lib. 2. de Purgatorio cap. 6. refert animam S. Seuerini purgatam in

flumine. Quam obriguiſſe frigore credibile eſt, ſi quando flumen illud in glaciem concreuiſſet.

Mira ſunt quæ de Purgatorij pœnis referuntur à Weſtmonaſterienſi ad annum Chriſti ſexcẽteſimum nonageſimum nonum, ex relatione cuiuſdam boni viri inde reuerſi. Refert animas incredibili ardore peruſtas exilire ex igne & ſe volutare in niue ad refrigerium, & cum vim frigoris ferre non poſſunt, ex impatientia frigoris rurſus proſilire in flammam. Multas eiuſmodi aniles nænias narrat Beda hiſtor. Anglicanæ lib. tertio & quinto.

Per multa ſecula plebs imperita fauces Purgatorij poſuit in Hibernia, in ſpelunca quæ vulgò foramen S. Patricij indigetatur. Mattheus Paris ad annum Chriſti 1153. refert militem quendam nomine Oenum, petijſſe ſuppliciter ab Epiſcopo loci, vt ſibi liceret ingredi Purgatorium: Annuit Epiſcopus: Ille autem, ad os ſpeluncæ conſtitit, & communione ſacra, & aſperſione aquæ luſtralis premunitus eſt. Vbi verò ingreſſus eſt ſpeluncam, à diabolis per ludibrium officioſè ſalutatus eſt. Ibi

inter alia horrenda ſupplicia, vidit animas pendentes per teſticulos & mamillas. Quaſdam quę capitibus deorſum verſis flãmis ſulfureis vſtulabantur. Quaſdam verubus transfixas. Quaſdam rotæ alligatas, quę à diabolis ſumma rapiditate circumagebatur. Quaſdam quę in ſartagine frigebantur. Militem verò victorem poſt immanes cruciatus proſecuti ſunt Abbates, & Monachi, & Epiſcopi, egreſſi ex Purgatorio, at nondum in cœlum admiſſi, qui feſto cum plauſu & cantu & pompa ſplendida, deduxerunt Oenum in pratum amœnum & odoratum, in quo recreantur animæ ad tempus donec in paradiſum transferantur. Dicebant autem, pœnas Purgatorij mitigari Miſſis & ſuffragijs ſuperſtitum.

At Beda lib. 3. hiſtoriæ Anglicanę c. 19. ponit Purgatorium in ſummo aëre, nempe in via qua in cœlum itur. Idque ait à Beato Furſæo viſum eſſe in viſione mirabili. Vnde fit vt nemo, ne ſanctiſſimus quidem, poſſit ingredi cœlum, niſi per ignem illum tranſierit. Quam ſententiam Bellarminus dicit ſe non audere im-

probare, lib. 2. de Purg. c. 6. §. *Conformis.*
At ſententia Eccleſiæ Rom.† iam ab aliquot ſæculis hęc eſt: Purgatoriũ eſſe intra terræ viſcera, inferno damnatorum contiguum. Verba hæc ſunt Bellarmini lib. 2. de Purgatorio cap. 6. §. *Deinde. Theologi fere omnes docent eodem in loco eſſe, & eodem igne torreri dãnatos, & animas Purgatorij.*
Ignem verò Purgatorij eundem eſſe cum noſtro igne elementari ſentiunt Theologi Romanenſes. Bellar. lib. 2. de Purg. cap. 11. *Communis ſententia Theologorum eſt, verum & proprium eſſe ignem, & eiuſdem ſpeciei cum noſtro igne elementari.* Idem tamen Ieſuita* ſæpiuſculè hæſitat, dubitans an ſit ignis verus an Metaphoricus: Nempe vt ibi animæ Metaphoricè torqueantur. Et Cornelius à Lapide Ieſuita Commentario in 1. ad Corinthios cap. 3. pag. 225. dicit Patres Latinos Concilij Florentini, noluiſſe definire eſſe de fide credere eſſe ignem. Idem Bellarminus cap. 13. dubitat an animæ purgatorij torqueãtur à diabolis, an verò ab Angelis.

† Bellar. lib. 2. de Purg. cap. 6. § Octaua.

* Lib. 2. de Purg. cap. 10. *Siue iſte ignis accipiatur propriè ſiue Metaphoricè.*

Et hęc quidem ita geruntur. At cum animæ completa ſatisfactione exeunt ex fornace illa ardente: non ſtatim & immediate transferuntur in paradiſum: ſed aliquandiu refocillantur in prato florido & amœno: vt poſt Bedam, & Dionyſium Carthuſianum, & Ludouicum Blozium, & ſanctam Brigittam docet Bellar. lib. 2. de Purgat. cap. 7.

Tanta fabularum congeries fundatur in hoc dogmate, Chriſtum nos redemiſſe à pœna æterna, at non à pœna temporali ſatisfactoria. Veluti ſi creditor cui debentur mille aurei & tres teruntij, remitteret gratuitò debitori mille aureos, at non tres teruntios, & hoc nomine debitorem compingeret in tetrum & diuturnum carcerem. Auaritia quę religionem ventri ſubiicit, & eam ex queſtu metitur, commenta eſt carcerem ardentem vt Papa eſſet commentarienſis iſtius carceris & clauiger. Inde clero opes regalibus æmulę, tot prędia, tot latifundia, in ſinum eius congeſta, ad remedium animę.

CAP. V.

Impugnatur Purgatorium teſtimonijs Veteris Teſtamenti.

QVęcunque attulimus aduerſus Satiſfactiones humanas abundè ſufficiũt ad extinguendum purgatorium. Addemus teſtimonia Scripturę quę agunt de ſtatu piorum poſt mortem, & aduerſantur purgatorio. Incipiemus à Veteri Teſtamento.

Purgatorij nullam fieri mentionem in Vet. Teſt. fatentur aduerſarij. Cum autem Lege Moſis ſacrificia & purgationes conſtituantur pro rebus exigui momenti, qualia ſunt lepra, & contactus mortui, & inhoneſta ſomnia, nulla tamen conſtituta ſunt ſacrificia pro animabus defunctorum.

Abraham per aliquot dies aſſidens cadaueri Saræ, vxoris dilectiſſimæ, nullas preces concepit pro eius anima.

Quin & lege Moſis damnantur oblationes & ſumptus facti pro mortuis. Nam Deuter-

Deuteronomij cap. 26. cõmate 14. Iſraelita perſolutis decimis anno tertio, profitetur ſe de ſuis bonis nihil prçcerpſiſſe, nec impendiſſe in mortuum, ſic loquens *Nihil inde abſtuli in vſum immundum, nec dedi ex eo quicquam mortuis.*

Cumque Scriptura plena ſit conſolationibus ad mitigandas ærumnas, & exhortationibus ad patientiam, nullibi tamen prçmonet pios, fore vt poſt mortem diris cruciatibus torqueantur, nec eos hortatur ad patientiam, nec ad quçrenda tormenti iſtius remedia.

Geneſ. 49. 18. Iacob morti proximus animam efflat in hæc verba, *Expecto ſalutem tuam ô Domine.*

Dauidis hæc ſunt Pſ. 49. 16. *Deus redimet animã meam à poteſtate mortis quando me aſſumet ad ſe.* Et Pſal. 73. *Deduces me tuo conſilio & poſtea me recipies in gloriã.*

Idem lib. 2. Samuelis cap. 1. mortem Saulis & Ionathanis multo fletu & lõgis lamẽtationibus proſequitur, ſed pro eorum animabus non ſupplicat, nec vllam facit mẽtionem purgatorij, nec pœnç tẽporalis, nec pro eis vllas offert oblationes aut pre-

ces. Quod in Ionathane pręcipuè obſeruandum eſt, quem Dauid impenſè amabat,& flagrãtiſſimo amore cõplectebatur.

Eccleſiaſtes cap. 3. 21. de homine moriente loquens, *Quis* (inquit) *ſcit ſpiritum hominis ſurſum aſcendere*? Idem cap. 12. 9. *Puluis reuertitur in terrã vnde erat, ſpiritus redit ad Deum qui dedit illum.* Idem cap. 11. loquens de ſtatu hominis poſt mortem, *Quum arbor ceciderit vel ad Auſtrum vel ad Aquilonem in quẽcumque locum ceciderit ibi permanebit.*

Eſaiæ cap. 57. *Iuſtus perit, & nemo attendit in corde ſuo, & homines benefici tolluntur. Venit pax, requieſcunt in cubilibus ſuis.* Non ergo torrentur in igne.

Ezechielis cap. 18. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius quas operatus eſt non recordabor.* Similia habet Ieremias cap. 33. ℣. 12. & 13. An Deus non recordatur iniquitatum hominis quem poſt mortem torquet diro & longo cruciatu? Enimuero ſi Deus in vita pręſenti puniat peccatorem pœnis grauiſſimis, nemo niſi improbè pertinax, dicet Deum non recordari eius peccatorum,

quamuis pœnæ iſtæ ſint temporales. Sanè Ezechielem loqui de pœnis huius vitæ tota iſtius loci textura euincit. Agit enim de pœnis quas Iudæi ſibi eueniſſe ob peccata parentum conquerebantur.

Librum Tobiæ Eccleſia Romana refert inter Canonicos. Huius libri c. 3. 6. Tobias ſic Deum orat, *Iube egrediar ex his anguſtijs vt abeam in locum æternum.*

Sed & liber Sapientiæ ab aduerſarijs cenſetur Canonicus. Huius libri cap. 4. ℣. 7. hæc habentur: *Iuſtus quãuis præmatura morte obierit, quiete tamen fruetur.* Et cap. 3. ℣. 1. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, nec attinget illas cruciatus.* Si quis pertendat animas purgatorij non eſſe iuſtas, quia peccauerunt in corpore, idem dici poterit de Sãctis qui ſunt cęleſtibus additi.

Sanè ſub Veteri Teſtamento Pontifices nullas dabant indulgentias mortuis. Nec habebant theſaurum Eccleſiæ in quem congererent ſatisfactiones ſuperabũdantes Abelis, Noæ, Abrahami, Iacobi, Ioſephi, &c. quas conuerterent in ſolutionem pro peccatis viuentium aut mortuorum. Quos quidem Eccleſia Romana inſinu-

lat vecordiæ, ſupinęque negligẽtiæ, quod paſſi ſint tam multa virorum ſanctorum ἐπίμετρα & ſuperfluentes ſatisfactiones intercidere, nec congeſſerint in theſaurum cuius eſſent diribitores & promicondi.

CAP. VI.

Idem probatur teſtimoniis Noui Teſtamenti.

AD difflandum hunc ignem fictitium Nouum Teſtamentum multa loca diſerta nobis ſuppeditat. Apoſtolus ad Romanos cap. 8. 1. *Nulla eſt condẽnatio iji qui ſunt in Chriſto Ieſu.* Si nulla condemnatio, ergo nec æterna nęc temporalis. Nec in inferno, nec in purgatorio.

Paulus 1. ad Corinth. cap. 4. 18. *Quæ videntur ſunt tẽporalia, quæ non videntur ſunt æterna.* Hinc ſic argumentamur. Si Purgatorium eſt pœna temporalis, oportet videatur, teſte Apoſtolo. At Purgatorium non videtur. Ergo non eſt pœna temporalis. Aut ſic. Purgatorium non videtur. Ergo eſt æternum.

Spiritus ſancti hoc eſt oraculum, idque

diſertiſſimum Apocal. cap. 14. 13. *Audiui* (inquit Iohannes) *voc ē de cœlo dicentem mihi, Beati mortui qui in Domino moriuntur, à modo,* * *certè dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, Opera enim illorū ſequuntur illos.* Apprime notandum Spiritum ſanctum non tantum loqui de mortuis, ſed etiam de eis qui moriuntur. Pronuntiat enim manifeſtè tunc incipere eſſe beatos, quando moriuntur, ne quis cum Bellarmino † id de die iudicij velit intelligi. Qui ſane ſe ridendum propinat, cum illud *ἀπάρτι* *à modo* ſic interpretatur, *ab extremo iudicio*: Loquitur enim Iohannes de re pręſenti. Quantis anguſtijs ſenſerit Ieſuita ſe premi inde liquet, quod rogatus an qui ex hac vita tranſeunt in Purgatorium moriantur in Domino, an non in Domino, reſpõdet, † *eos partim mori in Domino partim non mori in Domino.* Quo nihil abſurdius; perinde enim eſt ac ſi diceret, eos mori partim in Domino, partim in diabolo. Cum autem Spiritus ſanctus pronuntiet eos qui moriuntur in Domino requieſcere à laboribus, ſi moriantur par-

* In Græco eſt ναὶ, id eſt *certè.* † Lib. 1. de Purg. c. 12. §. *Decima.*

tim in Domino partim non in Domino, planè inde conficitur eos partim requieſcere, partim non requieſcere: & partim eſſe beatos, partim non beatos, nec abſolutè verum eſſe quod dicit Spiritus, cum abſolutè dicit eos eſſe beatos.

At quo tandem modo de animabus Purgatorij dici poſſet eas requieſcere à laboribus, cum aduerſarij velint eas longo & diro cruciatu & qui omnia huius vitę tormenta longè exuperet, cruciari?

Chriſtus Ioh. 5.24. dicit eum qui credit in ipſum iam habere vitam æternam, & tranſijſſe de morte ad vitam. An iam vitę æternę in vita preſēti aliqua ex parte compos, ab ea excideret in morte, & in fornacem ardentem pręcipitaretur?

Paulus 2. ad Corinth. cap. 5. 1. *Scimus quod ſi terreſtris domus noſtra huius tabernaculi diſſoluatur, habemus à Deo domum non manufactam æternam in cœlis.* Sanè illud SI idem ſignificat quod STATIM, & ponit admiſſionem in regnum cęleſte ſtatim à morte. Ipſe Bellarminus id ita accipit lib. 1. de Sanctorum beatitudine cap. 3. §. *Alterum.* diſputans aduerſus

Grȩcos. Perinde enim loquitur Apoſtolus, ac ſi quis diceret, ſi pellor hac domo habeo aliam meliorem.

Idem Apoſtolus 1. ad Theſſal. cap. 4. 13. *Quod ad eos qui obdormiuerunt nolo vos contriſtari, ſicut cæteri qui ſpem non habent.* Arbitror aduerſarios ſubiraſci Apoſtolo, & in eo deſiderare charitatem, vtpote qui non monuerit ſubleuandos eſſe ſuffragijs & Miſſis mortuos qui cruciantur in Purgatorio.

Chriſtus Lucȩ cap. 16. 9. nos hortatur ad eleemoſynas, ſic loquens, *Facite vobis amicos de diuitijs iniquis, qui quando deficietis vos recipiant in tabernacula æterna.* Apertè ponit ingreſſum in cæleſtem gloriam ſtatim poſt animæ exceſſum ex corpore.

Idem de ſe ipſo dicit Apoſtolus 2. ad Timoth. cap. 4. 7. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo mihi repoſita eſt corona iuſtitiæ.* Bonus athleta ſtatim poſt decurſionem ſtadij ſibi ſpondet æternam coronam.

Apoſtolus ad Hebrȩos cap. 9. 27. *Conſtitutum eſt omnibus hominibus ſemel mori,*

poſtea iudicium. Debuerat dicere, *poſtea purgatorium.*

Nullus eſt verè pius, & in Chriſtum credens, qui non poſſit vſurpare illud Apoſtoli Philip. 1. 21. *Mihi Chriſtus in vita & in morte lucrū.* An lucrum eſt cuiquam transferri ex vita pręſenti non incommoda in ignem ardentem, & ibi torqueri per multa ſæcula? Miſera eſſet eſt hęc permutatio, & quæ non poſſet fieri abſque maximo diſpendio.

Apoſtolus ad Hebræos cap. 1. ℣. 3. dicit Chriſtum feciſſe *per ſe ipſum* purgationem noſtrorum peccatorum. Si per ſe ipſum, non igitur per ignem purgatorij.

Paulus ad Coloſſ. cap. 2. 13. *Deus vos viuificauit cum Chriſto * gratis condonatis omnibus veſtris peccatis.* Si gratis, ergo non per noſtros cruciatus.

Denique Sanguis *Chriſti nos purgat ab omni peccato*, 1. Ioh. 1. Purgato omni peccato per Chriſti ſanguinem, nihil ſupereſt quod poſſit aut debeat purgari.

* χαρισάμενος.

CAP. VII.

Idem probatur exemplis.

SAnctus Stephanus moriens, poſt illa verba *Domine Ieſu recipe ſpiritũ meum* obdormiuit in Domino Act. 7.59.

Lucę 16. Lazarus mendicus dicitur portatus ab Angelis in ſinum Abrahæ, vbi dulci conſolatione mulcetur. Phraſis illa *ſinus Abrahæ* ſumpta eſt à cõuiuijs, in quibus ſedens in inferiori lecto caput reclinabat in ſinum ſuperioris. Ioh. 13. V. 23. Iohannes igitur ponit in ſinu illo lætitiam. Vtut ſit, certum eſt Lazarum non fuiſſe portatum ab Angelis in flammas Purgatorij. Parabola ſit an hiſtoria nihil refert, cum aduerſarij velint eſſe hiſtoriam.

Simeon iam candidatus æternitatis, & cuius anima foras eminebat dicebat Deo *Nunc dimittis ſeruum tuum in pace iuxta verbum tuum.*

Et iam attulimus exempla Dauidis & Pauli ſibi ſpondentium ſtatim à morte æternam gloriam.

Vrit aduerſarios exẽplum latronis vnà cum Chriſto crucifixi. Cui Chriſtus dixit *Hodie mecũ eris in Paradiſo.* Nam ſi quis vnquam purgatione poſt mortem opus habuit, ſanè hic fuit: cuius vita fuit inquinata criminibus pro quibus nunquam ſatisfecerat.

Ineptè reſpondent aduerſarij has eſſe exceptiones & prærogatiuas paucorum hominum, quæ non debent trahi in exemplum alijs, vt eos excipiant à regula generali. Sanè ſic loquentes ipſi ſe iugulant & ſuas rationes planè conturbant. Nam omnis exceptio ponit eſſe aliquam regulam. At ipſi nullam afferũt regulam niſi quam ipſi confinxerunt, immo nec vllum exemplum ex Dei verbo. Ergo hic ſumus victores, qui regulas afferimus claras ex ſacra ſcriptura, & multa exempla. Illi verò planè deſtituti ſunt regulis & exemplis. Sed rationis locum ſupplet audacia: qua proculcant diuinas Scripturas: obtrudentes traditionem nouam, abſurdam, ſecum pugnantem, compendioſam, formatam ad incudem auaritiæ.

Cum verò dicunt latronis hoc fuiſſe

priuilegium, ob meritum fidei, orſa à ſe detexunt, nam planè inde ſequitur omnem hominem qui firma fide confidit in Chriſto immunem eſſe & liberum à cruciatu Purgatorij. Cum autem quicquid hic latro habuit fidei, fuerit donum Chriſti, & id habuerit ex Dei mera gratia, non video quod poſſit eſſe meritum virtutis quam quis habet non à ſe ſed à Deo. An Deus ſit debitor homini quia homini benefecit?

Cum autem plerique Doctorum Romanenſium, cenſeant Chriſtum deſcenſu ad inferos liberaſſe omnes animas quæ erant in purgatorio vt docet Nauarr. lib. de Indulg. p. 573. Cur non idem nunc facit? Cur nunc parcior eſt, & minus miſericors?

CAP. VIII.

Purgatorium refellitur ipſius Eccleſiæ Romanæ teſtimonio. Ipſam Miſſam in multis eſſe aduerſam Eccleſiæ Romanæ.

QVifquis Miſſam ſedulò perlegerit comperiet eſſe centonem conſarci-

natum ex multis particulis diuerſicoloribus, malè cohærentibus, & quæ ſunt furcillis intruſæ. Scopæ ſunt diſſolutæ, & arena ſine calce. Vbique deſinit, vbique incipit.

Sed inter has particulas quædam ſunt antiquiores erroribus qui poſterioribus ſæculis irrepſerunt in Eccleſiam Romanam, quas miror non fuiſſe inde auulſas, quandoquidem religioni Romanæ huius temporis aduerſantur. Pauca ſunt hæc ex multis.

Sacerdos in Miſſa ſic affatur populum
" circunſtantem, Orate fratres vt meum,
" ac veſtrũ ſacrificium acceptabile ſit apud
" Deum Patrem omnipotentem. Ad hæc verba Sacerdotis (vt habetur in Miſſali) circunſtantes debent reſpondere, Suſci-
" piat Dominus ſacrificiũ de manibus tuis, &c. At quia circunſtantes non intelligunt verba ſacerdotis, vt pote pronuntiata Latinè, ſacerdos ipſe ſibi reſpondet, vt diſertè dicitur in Miſſali. Hinc colligitur euidenter, populum intellexiſſe verba ſacerdotis quando inſerta eſt hęc precatio Liturgiæ Romanæ. Sacerdos dicit populo

Orate fratres, & admonet populum quid orandum ſit, ſed quid ſit illud quod vult peti à Deo, populus non intelligit.

Iiſdem verbis damnantur Miſſæ priuatæ ſeu ſolitariæ, quæ fiunt quotidie à ſacerdote ſolo, nemine aſtante, nec cõmunicante: Rogamus quos ſacerdos alloquatur cum dicit *Orate fratres*, cum ſolus ſit, & nullus ibi ſit frater. His adde verba Canonis Miſſæ. Vt quotquot ex hac altaris " participatione ſumpſerimus, vbi tamen " nemo ad eſt qui participet.

Sed & Merita pro quibus hodie tanta contentione depugnatur damnantur in Miſſa. Sacerdos enim Deum ſic affatur, Intra quorũ [ſanctorum] nos conſortium, " non æſtimator meriti, ſed veniæ, quæſu- " mus, largitor admittas. Sua merita repu- " diat, vt in ſola Dei miſericordia conquieſcat.

Tranſſubſtantiationem verò ipſa Miſſa funditus euertit. Loquitur enim de hoſtia & calice conſecrato, vt *de Dei donis & datis*. Quæquidem verba ante inuentam Tranſſubſtantiationem, ſuper oblationibus populi quæ inferebantur ſacræ

menſæ piè dicebantur, at de Chriſto dici non poſſunt, non enim eſt ſumptus ex Dei donis & datis. Nec Chriſtus poteſt *dona* & *data* appellari.

Idem Sacerdos in Canone Miſſæ, Chriſtum (vt retur) ſacrificans, petit à Deo vt hoſtiam hanc habeat acceptam & gratam, *ſicut accepta habere dignatus eſt munera Abelis*, id eſt vitulum aut agnum quem Abel Deo immolauit. Hæc piè & cõmodè potuerunt dici ſuper muneribus ſeu oblationibus populi, quę ſacræ menſæ inferebantur. At petere vt Deus perinde habeat gratum ſacrificium Chriſti, ac gratum habuit vitulum ab Abele oblatum, res eſt horrenda & in Chriſtum contumelioſa.

Par impietas cum Sacerdos ibidem petit à Deo vt Angelus hoſtiam quam offert perferat in cœlum, *in ſublime altare Dei*: Quaſi Angeli offerrent Chriſtum Patri, aut quaſi Chriſtus opus haberet interuentu Angelorum vt ſit gratus Patri.

Sed nodum ſecat, & omnia effugia obſtruit id quod Sacerdos ibidem addit, habens præ ſe hoſtiam & calicem conſecra-

tum, & in ea oculos intendens: ſic enim loquitur, Per Chriſtum Dominum no-« ſtrum per quem hęc omnia Domine,« ſemper bona creas, ſanctificas, viuificas,« benedicis. Iam illud perabſurdum, quod« Chriſtum vocat HÆC OMNIA. Nec minus abſurdum, dicere Deum ſemper creare Chriſtum: quaſi de nouo quotidie crearetur: & Deum ſemper eum viuificare, & ſanctificare: viuificantur enim mortui, & ſanctificantur quæ nouam ſanctitatem accipiunt: quod ſanè de Chriſto dici non poteſt. At omnem abſurditatem exuperat quod Sacerdos, dicit Deum Chriſtum ſemper creare per Chriſtum: quaſi Chriſtus iugiter ſuam ipſe creationem operaretur.

Antiqua eſt hac precatio, & Tranſſubſtantione antiquior. Sanè quiſquis hæc verba attentè conſiderauerit, facilè agnoſcet hæc omnia olim dicta ſuper pane, vino, fructibus & oblationibus populi. Hæc enim Deus ſemper creat, viuificat, benedicit, & præſtat nobis: Quæ nunc non ſine blaſphemia in Chriſtum transferuntur. Quid quod ibidem dicitur Chriſtus offerri per Chriſtum? quo nihil abſurdius.

Nec verba Miſſæ cum Purgatorio concordant. Nam Sacerdos cõmemorationem defunctorum facit in hæc verba. "Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum N. & N. qui nos "præceſſerunt cum ſigno fidei & dormiunt "in ſomno pacis. Poſt illa verba *famularumque tuarum*, ſacerdos tantiſper ſubſiſtit, & tacitè demurmurat nomina illorum, pro quorum tacita nominatione ſtipem ſeu pecuniolam accepit.

Porro quiſquis hanc orationem inſerſit Liturgiæ Romanæ, non credidit animas defunctorum pro quibus oratur, torqueri in igne horrendo cruciatu. Nam placidè dormire in fornace ardente impoſſibile eſt. Non dormiret qui vel minimum digitum haberet in flamma. Ineptus eſſet & inofficioſè ſollicitus, qui pecunias impenderet ad excitandum eum qui fruitur ſomno tranquillo, & dormit in ſomno pacis.

Hinc quoque liquet Miſſam eſſe contextam particulis diſcordibus quæ diuerſis temporibus fuerunt intruſæ. Nam paulò poſt Sacerdos iſtis defunctis dormientibus

mientibus in ſomno pacis, petit refrigerium, & locum lucis & pacis: Vnde tamen non poteſt colligi ignis purgatorius, nam etiam qui non ſunt in igne poſſunt refrigerari.

Nec omittendum eſt Sacerdotem dicere eos dormire in ſomno pacis, de quibus ignorat an ſit in gehenna æterna.

Me verò legentem Miſſas pro defunctis quæ habentur in Miſſali tam veteri quam nouo, recognito à Pio V. & Clemēte VIII. in quibus continentur plus quam ſexaginta orationes pro mortuis, perſæpe cæpit admiratio quòd in eis nulla ſit purgatorij mentio, nec vlla ibi precatio pro animabus purgatorij: ſed Deus rogatur ne animas iſtas perdat in æternum, & ne mittantur in infernum damnatorum. Talis eſt hæc oratio, Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas Tartarus. Tum iſta: Quia hæc anima in te ſperauit & credidit, non pœnas inferni ſuſtineat ſed gaudia æterna poſſideat. Iiſdem orationibus petitur defuncto reſurrectio ad gloriam, non verò

liberatio ex Purgatorio. Talis eſt hæc ora-
„tio. Abſolue quæſumus Domine animam
„famuli tui ab omni vinculo delictorum,
„vt in reſurrectionis gloria inter ſanctos &
„electos tuos reſuſcitatus reſpiret. Conci-
nit hæc precatio oblationibus Iudæ Mac-
cabæi.

Ibidem habetur prolixa Sequentia, (ſic
enim vocatur) in qua defuncti anima in-
"troducitur ſic loquens. Preces meæ non
"ſunt dignæ, Sed tu bonus fac benignè.
"Ne perenni cremer igne. Inter oues lo-
"cum præſta. Et ab hœdis me ſequeſtra.
"Statuens in parte dextra: De Purgatorio
altum ſilentium.

Quid quod in exequijs Cardinalium &
ipſius Papæ preces concipiuntur in quibus
anima defuncti introducitur Deum ſic al-
"loquens? Domine quando veneris iudi-
"care terram, vbi me abſcondam à vultu
"iræ tuæ? Quia peccaui nimis in vita mea.
"Commiſſa mea paueſco, & ante te erubeſ-
"co. Dum veneris iudicare, noli me con-
"demnare. Libera Domine de morte æ-
"terna: quando cœli mouendi ſunt & ter-
"ra. Tremens factus ſum ego, & timeo cum

diſcuſſio venerit atque ventura ira, *&c.* "
Dies illa, dies iræ calamitatis & miſeriæ, "
dies magna & amara valde. Hęc habes "
libro primo ſacrarum Cęremoniarum "
Sectione XV. cap. 1. Tum Cardinales circunſtantes cadauer, dant Papæ defuncto abſolutionem omnium peccatorum: Prima die exequiarum canuntur ducentæ Miſſę pro anima Papę, & totidem die nono. In funere vero Cardinalis canuntur centum quinquaginta Miſſę, & datur pro eleemoſyna cuique celebranti vnus groſſus Papalis, & duę paruę candelæ. Vt ibidem habetur. Nam quod datur ſacerdoti cãtori Miſſæ, eleemoſyna appellatur.

Hic verò aduerſarios rogatos velim, an putent animam iſtius Papę defuncti eſſe in Paradiſo, an in inferno, an verò in Purgatorio. Si eſt in Paradiſo fruſtra concipiũtur preces pro anima quę iam eſt compos gloriæ. Ideoque Eccleſia Romana nunquam orat pro ſancto canonizato. Si eſt in inferno, nihil ei proſunt preces viuentium, quia ab inferno nulla eſt redemptio: Et pridem exploſę ſunt fabulę de animabus Traiani & Falconillę extractis

inferno precibus Gregorij I. & Theclæ: de quibus Damaſcenus Oratione de defunctis. Reſtat vt Pontificij credant animam Papę pro qua ſupplicatur eſſe in igne Purgatorij. At cur in orationibus quę pro Papa defuncto concipiuntur, nulla fit mentio Purgatorii, ſed tantum inferni, & dãnationis æternæ, & reſurrectionis quę futura eſt die vltimi iudicij? An tartarus abſorbet animã certam de ſalute? Cur Papa ſibi non ſumpſit partem indulgẽtiarum, quas alijs largitus eſt? Cur qui animas aliorum liberat purgatorio detruditur in ignem purgatorij? Hîc quidem aduerſarios premunt anguſtię, nec habent quod reſpondeant.

Nec omittendum eſt quod Miſſarum pro defunctis plerǫque ſunt Miſſę pro ſingulis, non vero æqualiter pro omnibus defunctis, id enim diſertè exprimitur à Sacerdote, cani hanc miſſam pro *propinquis & benefactoribus*. Hæ miſſæ appellantur anniuerſarię. Talis hęc eſt, *Domine da animabus famulorum famularumq; tuarum, quorum anniuerſarium depoſitionis diem cõmemoramus, refrigerij ſedem*, &c. Et

hæc, *Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, animabus famulorum famularumque tuarum, quorum hodie annua dies agitur, pro quibus tibi offerimus ſacrificium laudis.* Per hos pro quibus peculiariter Chriſtus ſacrificatur intelligi benefactores qui aliquid legauerũt Eccleſiæ ibidem declaratur, hac oratione, *Deus veniæ largitor quęſumus clementiã tuam vt noſtræ cõgregationis fratres, propinquos & BENEFACTORES qui ex hoc ſæculo tranſierunt ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedas.* Et ibidem. *Deus cuius miſericordiæ non eſt numerus, ſuſcipe propitius preces humilitatis noſtræ & animabus fratrum & benefactorum noſtrorum remiſſionem tribue peccatorum.* Nempe canuntur Miſſæ peculiares anniuerſariæ pro animabus eorum qui aliquas pecunias aut fundos legauerunt Eccleſiæ. Nam pro pauperibus qui nihil legauerũt, nec pro mendico nulla canitur Miſſa anniuerſaria. Reſpondetur, pauperes participes eſſe orationum quæ in genere fiunt pro omnibus defunctis. Quid? nonne diuites quoque ijſdem precibus generalibus participant? An quiſquam legaret pecu-

nias Monachis niſi ſperaret ſe ex Miſſis peculiaribus peculiarem vtilitatem percepturum? Id docet Nauarrus Cõmentario de Indulgẽtijs p.573. *Specialia ſuffragia plus proſunt ei pro quo fiunt, quã huic & illi,* & dicit eſſe communiorem ſententiam.

Cum autem prima Miſſa anniuerſaria canatur pro defuncto quando eius corpus in cœmeterio deponitur, ſecunda vero poſt annum exactum, & ſic porro, tertia, quarta, & quinta, &c. præſupponitur animulam illam, pro qua annuatim canuntur Miſſæ vſque ad centeſimum & ducenteſimum annum, immo & ſexcenteſimum, adhuc cruciari in purgatorio, nec prioribus Miſſis eſſe liberatam.

Nec omittendum eſt aduerſarios velle ſatisfactiones debere eſſe voluntarias, & quę non exigantur ab inuitis. At cruciatus purgatorij infligitur inuitis. Id fatetur Nauarrus tractatu de Iobel. pag. 571. vbi ait pœnas mortuorum coactè tolerari. Idem Doctor ibidem dicit, *ſuffragia Eccleſiæ prodeſſe defunctis via iuſtitiæ*: Cenſet enim Deum fore iniuſtum niſi his ſuffragijs erga defunctum placaretur.

CAP. IX.

Expenduntur quæ afferuntur ad Purgatorij patrocinium, ex Veteri Teſtamento.

NIhil tam alienum eſt à veritate, nihil tam abhorrens à ſenſu communi ad quod tuendum aduerſarij colores aliquos non adhibeant, quando de re agitur ex qua ſpes aliqua lucri affulget. Diſputant enim non tam pro aris quam pro focis, & ſcripturam incredibili licentia contorquent & imponunt equuleo.

Oſtentant aniles quaſdam fabulas, & inſulſa deliria : quales ſunt Gregorianæ thermæ, ad quarum fumum Gregorius voluit animas purgari, vt in vaporario: S. Seuerini animam dicunt purgatam in flumine: Afferunt quędam Bedæ & Carthuſiani ſomnia, quæ vt facilè fuit cõminiſci, ita pari facilitate reiiciuntur & difflantur. Fides noſtra non nititur hominum ſomnijs ſed Dei verbo.

Ex Veteri Teſtamento hęc afferunt. Dicunt incolas Iabes Galaad ſeptiduo ie-

iunaſſe ſuper morte Saulis. Hoc enim ponunt axioma, eum qui in alicuius morte ieiunat aut lamentatur, credere eum torqueri in igne purgatorij: Ridiculè. Hi viri pij & fortes cladem Eccleſię lamentabantur. Sanè mors Saulis talis fuit, vt cauſa potius fuerit credendi eius animam eſſe in inferno. Iſraelitæ multis lacrymis ſunt proſecuti mortem Iacobi & Moſis quos fuiſſe in Purgatorio, aduerſarij non arbitrantur.

Pari acumine obtendunt illud Pſalmi ſexageſimi ſexti, *Tranſiuimus per aquã & ignem, & eduxiſti nos in refrigerium.* Quid? an Pſaltes cum hęc ſcriberet tranſiuerat per Purgatorium? At quę tandem eſt illa aqua per quam anima eius tranſiuerat? Hîc quidem aqua ipſis hęret

Dauid Pſal. 38. 1. dicit *Domine ne in furore tuo arguas me, nec in ira tua corripias me.* Hunc furorem volũt eſſe gehennam, iram eſſe purgatorium. Melius Bellarminus, qui explanatione in hunc Pſalmum hunc locum ſic interpretatur. Precatur Dauid pœnitens vt Deus eum non puniat in ira & furore ſuo, vt iudex cum

reis facit, ſed in miſericordia, vt medicus ‹‹
cum ægris ſe gerit. Vide quę diximus ad ‹‹
initium Pſalmi ſexti, vbi oſtendimus ‹‹
nihil intereſſe in hoc loco inter furorem ‹‹
& iram, & inter arguere & corripere. ‹‹
Hæc Bellarminus.

Eiuſdem Bellarmini hęc ſunt. Eſaias
c. 9. 18. hæc ait, Succenſa eſt quaſi ignis ‹‹
impietas & ſpiritus deuorabit ſpinas. ‹‹
Hunc ignem Ieſuita cenſet eſſe ignem
Purgatorij. Id ſi verum eſt, ſtatuendum
eſt animas Purgatorij eſſe impias, & ab
illo igne deuorari vt ſpinas in flamma.

Aliud telum intentant ex Zacharia
cap. 9. 11. cuius hæc ſunt verba, Tu au- ‹‹
tem in ſanguine Teſtamenti tui vinctos ‹‹
tuos emiſiſti de lacu, vbi non eſt aqua. ‹‹
Hic lacus eſt purgatorium, ſi creditur
Bellarmino l. 2. de Purgat. c. 4. §. *Tertiò.*
Hi vincti ſunt animæ purgatorij. Mi-
rum verò quod flamma Purgatorij non
abſumpſerit & ſoluerit eorum vincula.
At idem Ieſuita libro 4. de Chriſto c. 11.
§. *Item Zacharias.* à ſe ipſo diffidẽs hunc
lacum vult eſſe limbum patrum. Nos
verò pertendimus neutro modo *lacum*

eſſe intelligendum, vterque enim carcer eſt imaginarius & falſus. Frequenter Scriptura per lacum intelligit anguſtias & ærumnas vitæ pręſentis: vt Pſal.40.3. Thren.3.53. Pſal. 88.7. Sanctius Ieſuita per lacum vult magnas Eccleſiæ calamitates intelligi. Zacharias de liberatione à captiuitate Babylonica hic agit. Quam liberationem certum eſt factam intuitu fœderis in Chriſto, à quo promanant omnia Dei beneficia, & liberationes non modò à morte æterna, ſed etiam ab ærumnis temporalibus & à poteſtate inimicorum.

Aliud pręſidium petunt ex Michæa
" cap.7.8. Ne lęteris inimica mea ſuper
" me quia cecidi. Conſurgam cum ſede-
" ro in tenebris. Dominus lux mea eſt.
" Iram Domini portabo. Aduerſarij ſumma fingendi libidine, volunt hæc eſſe verba animarum quæ cruciantur in Purgatorio. Et has animas dicere ſuis inimicis non eſſe cur tantopere exultent, & inſultent earum cruciatibus. At ſic loquendo, miro modo ſe implicant. Nam, qui ſunt iſti inimici? An viui? At quis

vnquam viuorum exultauit ob cruciatum animarum fato functarum? An damnati qui ſunt in gehenna? At quis niſi mentę captus poſſet inducere in animum, damnatos inter flammas inferni lętari quod pij torquentur in Purgatorio? Aut quis reuelauit damnatis, hos & illos eſſe in Purgatorio, non verò in cœlo? Mens Micheę eſt ſolari Eccleſiam afflictam ſpe futuræ liberationis ab oppreſſione hoſtium proteruè inſultantium.

Oſtentant verba Malachiæ cap. 3. 2. *Ipſe enim eſt quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, ſedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia.* Hunc ignem conflantem Bellarminus * cenſet eſſe ignem qui paulo ante diem iudicij cælitus deſcendet & purgabit celerrimè omnes reliquias peccati in hominibus iuſtis. Qui quidem ignis longè diuerſus eſt ab igne purgatorij qui hodie fingitur. Nam hic ignis, ſi Bellarmino creditur, non purgabit animas ſeparatas à corporibus, ſed homines viuos: & fiet

* Bellar. lib. 1. de Purg. cap. 3. §. Decimus.

momento. Nec tunc Papę erit otium dandi indulgentias per quas homines liberentur ab iſto igne. Nec omnis purgatio pœna eſt, alioqui pœna eſſet purgari à vitijs per ſpiritum regenerationis. Ex hac doctrina Bellarmini, ſequitur in eis qui pridem liberati ſunt purgatorio ſupereſſe reliquias peccati. Non poſſe autem hunc Malachię locum intelligi de purgatione animarum in flammis purgatorij inde liquet, quod Malachias dicit, ita purgatos, oblaturos Deo ſacrificia. An volunt aduerſarij animas defunctas hoc cruciatu, offerre Deo ſacrificia? aut Miſſam cani apud inferos? aut ſtatim ab egreſſu ex Purgatorio?

Sunt qui purgatorium inueniunt in verbis Annæ 1. Sam.2. 6. *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Textus Hebraicus habet, *deducit in Sheol*, quæ vox nũquam ſignificat locum, nec ſtatum animarum quę exceſſerunt corporibus, ſed mortem aut ſepulcrum: fatente Emanuele Sa Tractatu cuius titulus eſt *Phraſes Scripturæ*, vbi hęc habet *Inferi ſeu infernus, pro ſepulcrò, vel morte.*

*Geneſ.*42.38. 1. *Reg.*2 6. qui quidem idem locus eſt de quo hic agitur. Concinit Sanctius Ieſuita in hunc locum: *Deduci* (inquit) *ad inferos idem hoc loco* (*ſicut alibi ſæpe*) *quod ad ſepulcrum.* Vide Pſal. 89.49. Et Pſ. 141.7. Senſus verborum Annę eſt Deum quos vult ducere ad mortem, & quos vult eripere ex pręſenti periculo mortis. Nam quorum mors videtur certa & quorum ſalus videtur conclamata mortui ſępe appellantur. Sic Pſalmo 88. ℣.5. & 6. Pſaltes dicit ſe annumeratum mortuis, & aggregatum ijs qui deſcendunt in *Sheol*. An quiſquam vſque adeo ſtolidus vt putet Pſaltem ante mortem deſcēdiſſe in Purgatorium? Si quis pertēdat Annam agere de ijs quæ accidunt homini in morte aut poſt mortem, nihil tamen efficiet. Nam poſſet hic locus intelligi de morte corporis, & reſurrectione poſt mortem.

Eodem ſenſu accipienda ſunt verba Pſal. 49. ℣. 16. *Deus redimet animā meam de manu Sheol*, id eſt mortis aut ſepulchti *quando me aſſumet ad ſe.* Si per *Sheol* ſeu infernum intelligitur locus damnatorum, nihil hoc ad Purgatorium. Id tamen ab-

horret à phraſi Veteris Teſtamenti, in quo per *Sheol* ſeu infernum, nunquam gehenna ſeu locus damnatorum intelligitur.

Nec poteſt de purgatorio intelligi quod Dauid iuxta verſionem vulgatam dicit Pſal. 86. *eruiſti animā meam ex inferno inferiori*: Non enim Dauid egreſſus erat ex purgatorio cum hæc ſcriberet. Senſus eſt liberaſti vitam meam à morte. Bellarminus commentario in hunc Pſalmum per infernum gehennam intelligit.

CAP. XI.

Præſidia Purgatorij petita ex Apocryphis.

QVædam etiam afferuntur ex Apocryphis ad præſidium Purgatorij. Sciolus quidam, Papæ rabula, ad Purgatorij probationem affert hęc verba ex capite 3. Baruc, *Domine audi nunc orationem mortuorum Iſrael.* Vir acutus vult hæc verba eſſe precationem viuorum, qui petant à Deo vt exaudiat precationem animarum quæ ſunt in Purgatorio. At in Eccleſia Romana eiuſmodi preces ſunt pla-

nè inuſitatæ. Iam probauimus per mortuos ſæpe intelligi eos qui ſunt in præſentiſſimo mortis diſcrimine. His verbis petitur vt eorum preces Deus exaudiat. Tum temerè prę́ſupponitur hos mortuos potius eſſe in igne quam in aqua aut niue. Nec vlla eſt huius libri authoritas. Epiſtola Decretalis ad Exuperium quæ tribuitur Innocentio I. Epiſcopo Romano, librum Baruc canone expungit. Concinit Hieronymus Prologo Galeato, & plurimi veterum.

Affertur quoque ex Tobiæ cap.4.℣.18. hęc pericope. *Mitte panem tuum in ſepulchrum iuſtorum nec da improbis.* Quæ quidem ſententia repugnat Chriſti * mandato, quo iubet amare inimicos, & benefacere improbis. Hunc tamen locum Bellarminus lib.1.de Purgat.cap.3.§. *Secundus* torquet ad probationem purgatorij. *Huius loci* (inquit) *non poteſt alius eſſe ſenſus quam is quem cõmuniter expoſitores tradunt, videlicet, inſtrue conuiuium & voca fideles pauperes vt ipſi poſt acceptam eleemoſynam orent pro anima defuncti,* & dicit hanc fuiſſe conſuetudinem veteris Eccleſiæ. Hæc

* Matt. 5.

quidem fuit conſuetudo Eccleſiarum Africanarum inferre cibos, & vinum ſepulchris. Id faciebat Monica mater Auguſtini, teſte ipſo Auguſtino lib. ſexto confeſſionum cap. 2. Quæ cum veniſſet Mediolanum, voluit pro more Afrorum pultes, panem & merum & caniſtrum cum ſolēnibus epulis afferre ad memorias Martyrum. Sed ab Ambroſio prohibita eſt dicente, *hæc parentalia ſuperſtitioni gentium eſſe ſimillima.* Solemne enim erat Ethnicis feralem cœnam imponere ſepulchris.

At in hoc loco Tobię nulla fit mentio ignis purgatorij. Nec neceſſe eſt vt qui precatur pro mortuis credat purgatorium. Nam libro 2 Maccabęorum c. 12. dicitur Iudas obtuliſſe preces pro mortuis in ſpem reſurrectionis. Gręcæ Eccleſiæ negant purgatorium, & orant pro mortuis. Eccleſia Romana orat in Miſſa pro dormientibus in ſomno pacis. Ambroſius orauit pro animabus Theodoſij, Gratiani, & Valentiniani. quos credebat compotes cœleſtis gloriæ.

Hieronymus præfatione in Ionam Prophetam

phetam hæc ait. *Liber Tobiæ non habetur in Canone.* Idem dicit præfatione in libros Solomonis, & Prologo Galeato. Ruffinus explanatione Symboli Tobiam Canone exterminat. An poteſt liber eſſe Canonicus qui cap. 5. 15. affingit Angelo Raphaeli mendacium? *Sum* (inquit Angelus) *Azarias, de ſtirpe magni Ananiæ, & de tuis fratribus.* Falſa omnia.

Ex libro 2. Maccabæorum cap. 12. aduerſarij afferunt exemplum Iudæ Maccabæi, qui orauit pro mortuis qui ſe idololatria polluerant. Tum addit author, *Benè & religioſè de reſurrectione cogitans. Niſi enim eos qui ceciderunt reſurrecturos ſperaſſet, ſuperfluũ videretur & vanum orare pro mortuis.*

Principiò fruſtra nobis objiciũt librum quem ſciunt à nobis repudiari vt Apocryphum. Perinde enim agunt acſi diſputantes aduerſus Iudæos eis objicerent loca ex Nouo Teſtamento.

Libri Maccabæorum non habentur in Biblijs Hebraicis. Et exterminantur Canone à Synodo Laodicena antiquiſſima: Et ab Hieronymo, Melitone, Origene,

Euſebio, Ruffino, Cyrillo Hieroſolymitano, Gregorio Nazianzeno, Epiphanio, Damaſceno, Gregorio I. Quibus adde Hugonem de S. Victore.

Hieronymus præfatione in libros Solomonis, hæc ait, *Iudith, & Tobiæ, & Maccabæorum libros, legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas ſcripturas non recipit.* Ruffinus expoſitione Symboli expungit Canone libros Maccabæorum: tum addit, *Hos libros legi quidem in Eccleſia, non tamen proferri ad authoritatem fidei cõfirmandam.*

Plurima eiuſmodi poſſemus ex veteribus afferre: ſed vnus Gregorius I. quo inter Epiſcopos Romanos nullus eſt celebrior, poteſt eſſe inſtar omnium. Is libro 19. Moralium cap. 17. allaturus locum ex libris Maccabæorum veniam præfatur, quòd afferret teſtimonium ex libro non Canonico. *Qua de re* (inquit) *non inordinatè agimus ſi ex libris, licet non Canonicis, teſtimoniũ proferimus.* Huius loci authoritatem Cardinalis Perronius conatur eleuare dicens hos libros ſcriptos à Gregorio antequam eſſet Epiſcopus. At id refellit ipſe Gregorius epiſtola ad Leandrum

quæ eſt præfixa libris Moralium in Iobum, in qua ait ſe *ſedi Apoſtolicæ Deo auctore præſidere.*

Hinc collige epiſtolam Decretalem Innocentij I. ad Exuperium Tholoſanum, in qua triumphant aduerſarij, in qua Maccabæorum libri referuntur inter Canonicos eſſe adulterinam & ſuppoſititiam. Noluiſſet enim Gregorius deſciſcere à fide ſui deceſſoris. Has epiſtolas Decretales veterum Epiſcoporum Romanorum, duobus primis Tomis Conciliorum inſertas Bellarminus & Baronius obelo confodiũt, & vt adulterinas merces ab Iſidoro Mercatore confictas explodunt. Peculiariter hęc epiſtola Innocentij ad Exuperium meritò falſi ſuſpecta eſt, in qua dicuntur Sacerdotes Veteris Teſtamenti, ſecubuiſſe ab vxoribus *anno vicis ſuæ.* Ignorauit huius epiſtolæ conditor, ſacerdotum vices fuiſſe ſeptimanas, ſiue vnius hebdomadis, non verò annuas: Id diſcimus ex lib. 1. Paralipomenon cap. 9. 25. & lib. 2. c. 23. 8. Et ex libro 2. Regum cap. 11. v̄. 5. & 7. Cornelij Ianſenius, Concordantiæ cap. 2. pag. 17. *Dauid conſtituit vt viciſſim familiæ*

vna deſeruirent hebdomada. Concinit Becanus Ieſuita Analogię Veteris Teſtamenti cap. 7. In eadem epiſtola improbè torquetur Scriptura ad opprobrium Matrimonij preſbyterorum & diaconorum, quia ſcriptum eſt *Sãcti eſtote quia ego ſum ſanctus.* Et *omnia munda mundis.* Et *qui ſunt in carne non poſſunt placere Deo.* Ergo diſplicuerunt Deo Abraham, Ioſeph, Moſes, Aaron, Samuel, Eſaias, Ezechiel, Petrus, Philippus & Lucas Euangeliſtæ. *Diaconus ſit vir vnius vxoris.* 1. Timoth. 3. 12.

Mitto fabulas quibus ſcatent libri Macabęorum, adeo ſtolidas, vt in eis Antiochi Epiphanis mors diuerſo planè modo & diuerſis locis referatur. Nam libro 1. cap. 6. dicitur Elimaide pulſus, lethaliter decubuiſſe, cum Babylonem reuerteretur, At libro 2. cap. 9. dicitur pulſus Perſepoli veniſſe Ecbatanam, & cum ſe ad bellum aduerſus Iudęos accingeret, lapſus carpento, ruptis inteſtinis, erumpentibus vermibus perijſſe. Quin & eodem capite dicitur obrutus lapidibus in templo Nanneæ. Sic Antiochus ter, idque diuerſis modis mortuus eſt. At Euſebius, fide dignior, Chro-

nico dicit eum in bello contra Parthos occubuiſſe. Quid abſurdius quam quod cap. 12. 21. Ariꝫ Regis Spartanorum Epiſtola refertur in qua Lacedemonij dicuntur orti ab Abrahamo, & eſſe eiuſdem cum Iudæis proſapiæ?

Cap. 14. * αὐτοχειρία Raziæ laudatur. Cap. 2. ℣. 19. Author dicit ſe quinque libros Iaſonis Cyrenei in compendium redegiſſe. An compendium libri profani & non ſacri eſſet liber diuinus & ſacer? Ipſe author cap. vltimo ℣. 39. ingenio ſuo diffidens, dubitat an ſcripſerit vt par eſt, & vt conuenit hiſtoriæ, & dicit ſe feciſſe quod potuit. Quod quidem alieniſſimum eſt à dignitate & maieſtate ſpiritus Sancti.

Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 8. texit Catalogum librorum Canonicorum, cui inſeruit libros Maccabæorum. Sed ibidem facit multa genera librorum Canonicorum, & vult quoſdam alijs anteferri: nempe eos qui à pluribus & maioribus Eccleſijs recipiuntur. Docens quoſdam eſſe qui à paucis Eccleſijs recipiuntur, & qui ſunt minoris authoritatis. Quam parum autem ſibi conſtet Auguſti-

* Cædes ſua manu.

nus hinc liquet, quod 17. lib. de Ciuitate Dei cap. 20. librum Sapientiæ & Eccleſiaſticum cenſet non eſſe Solomonis, quos tamen l. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 8. tribuit Solomoni. Et eodem cap. lib. 17. de Ciuitate, agnoſcit Eccleſiaſticum non legi cum magna authoritate. De libris vero Maccabæorum lib. 2. aduerſus Gaudentium cap. 23. dicit his libris Chriſtum non perhibere teſtimonium. Verba Auguſtini hæc ſunt, *Et hanc quidem ſcripturam, quæ appellatur Maccabæorum non habent Iudæi ſicut Legem & Prophetas & Pſalmos, quibus Dominus perhibet teſtimoniũ tanquam teſtibus ſuis.* Quem locum citat Bellarminus lib. 1. de Purgat. cap. 3. §. *At perfide*, Sed fraudulenter, ſuo more, truncat Auguſtini verba, omittens hæc verba quibus Auguſtinus dicit, *Dominum non perhibere teſtimoniũ libris Maccabæorum*: quæ verba manifeſtè pertinent ad infirmandam iſtorum librorum auctoritatem. Addit Auguſtinus, librum Maccabæorum *non inutiliter eſſe receptum ab Eccleſia, ſi ſobriè legatur & audiatur.* Pari fide eodem capite §. *Ex quibus*, dicit Bellarminus, Ge-

laſium in Decreto de libris Canonicis Maccabæos referre inter Canonicos. quod quidem falſiſſimum eſt. Nam * Gelaſius vnicum librorum Maccabæorũ agnoſcit, repudians ſecundum, verba eius ſunt *Maccabæorum liber vnus.* Eiuſmodi locis Patrum, falſis, deprauatis, contruncatis ſcatent opera Bellarmini. Sed vt ad Auguſtinum redeamus non eſt diſſimulandum Auguſtinum reprehenſum à Gallicanis Eccleſijs quòd teſtimonio ſumpto ex libris Apocryphis vteretur. Id diſcimus ex epiſtola Hilarij Epiſcopi Arelatenſis quæ inſerta eſt ſeptimo Tomo operum Auguſtini.

Nec ſi Auguſtinus nobis eſſet aduerſus, poſſet eius authoritas opponi conſenſui vniuerſali Patrum Græcorum & Latinorum, & Concilij Laodiceni longè antiquioris Auguſtino. Tum vbi agitur de Scripturę ſacrę codicibus Auguſtinus non eſt conferendus cum Hieronymo Gręcæ & Hebraicæ peritiſſimo; quarum Auguſtinus fuit plane rudis, vt ipſe fatetur, & eius ſcripta teſtantur. Nec ferrent aduerſarij, ſiquis Auguſtinum præferret Gregorio I,

* Can. Sancta Romana Diſt. 15.

Romano Pontifici, qui Maccabæorum libros repudiat.

Concilij quidem Carthaginienſis III. exemplaria Latina Maccabæorum libros ponunt in Canone. At exemplaria Græca id non habent. Sæpe ex fide antiquiſſimarum verſionum originalis textus eſt reſtitutus integritati. Nec authoritas Concilij particularis Chartaginienſis comparanda eſt cum Synodo Laodicena longè antiquiori; quæ à multis Concilijs vniuerſalibus eſt comprobata: Et quæ inſerta Codici Canonum Eccleſiæ Vniuerſalis, ante Concilia vniuerſalia prælegebatur.

Age verò fingamus vera eſſe quę author libri ſecundi Maccabęorum refert de Iuda Maccabęo. Nam non potuit Iudas id facere ex legis diuinæ pręcepto. Et peccauit in leges Eccleſię Romanæ, quæ ſtatuit non orandum, nec ſacrificia offerēda pro ijs quos conſtat eſſe mortuos in peccato mortali. At hi ſe polluerāt idololatria.

In quem autem finem Iudas obtulerit pro eis ſacrificia docet author. Nempe quia de reſurrectione cogitabat, *alioqui* (inquit) *fuiſſet res ſuperuacanea & inanis*

orare pro mortuis. Ergo, ſi huic authori fides habenda eſt, preces Eccleſiæ Romanæ pro mortuis ſunt inanes & ſuperuacaneæ, vtpote quę non orat ob ſpem reſurrectionis, ſed ad liberationem ex flammis Purgatorij, cuius nulla hic fit mentio.

His adde quod Iudas dicitur obtuliſſe ſacrificia pro mortuis vt à peccatis ſoluerentur & peccata eis remitterentur. Non ergo pro animabus purgatorij quibus Eccleſia Romana dicit omnia peccata eſſe remiſſa.

CAP. XII.

Expenduntur loca Noui Teſtamenti quæ afferuntur pro Purgatorio.

OBtendunt aduerſarij, verba Chriſti Matthęi 5. 26. *Eſto cõſentiens cum aduerſario tuo citò, dum es cum eo in via, ne forte tradat te aduerſarius Iudici, & iudex tortori, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde donec ſoluas vltimum quadrantem.* Hic carcer, ſi creditur aduerſarijs, eſt ignis Purgatorij. Quæ interpre-

tatio Papales indulgentias planè euertit. Nam Papa per indulgentias liberat animas neceſſitate ſoluendi vltimũ quadrantem. Torquentes autem verba Chriſti ad allegorias, ſpreto ſenſu literali, ſunt immemores ſuę regulę in ſcholis tritæ, Theologiam allegoricam non eſſe argumentatiuam, vt docet Bellarminus lib. 3. de Verbi Dei interpretatione cap. 3. §. *Sed quanquam*. Idque ex Hieronymo in Matthęum cap. 13.

Videndum tamen, quis ſit lictor, quis aduerſarius de quo Chriſtus agit. An per lictorem intelligendus diabolus, qui animas piorum trahat in Purgatorium? Id quidem horrendum eſſet & à bonitate Dei alienum, credere eum animas ſuorum filiorum, & electorum tradere diabolo. Nec minor difficultas eſt in aduerſario quo cum Chriſtus vult nos eſſe concordes dum ſumus cum eo in via, vt liberemur ab eo. Sunt qui per aduerſarium intelligunt diabolum. At non debemus dare operam vt ſimus cum eo concordes. Sunt qui per aduerſarium volunt intelligi legem. Quid? an ſumus in via cum lege? an

debemus in hanc curam incumbere vt ab ea liberemur? Vndique anguſtiæ. Sanè homines infeliciter acuti, ſeſe iſtis allegorijs miro modo implicant. Senſus loci ſimplex & obuius ac literalis, vt docet Hieronymus Notis in quintũ caput Matthęi. *Manifeſtus* (inquit) *eſt ſenſus, quod nos Dominus & Seruator dum in ſæculi via currimus, ad pacem & concordiã hortatur.* Ambroſius in 12. caput Lucæ dicit hic agi de reconcilianda pace diſſidentium fratrum. Baſilius Aſceticis Interrogatione 222. per aduerſarium cum quo Chriſtus vult ineamus cõcordiam, intelligit hominem proteruum qui vult res noſtras nobis eripere, qui ſi voluerit eripere nobis tunicam, ei, ſuaſore Chriſto, tradendum ſit inſuper pallium. Concinunt Chryſoſtomus & Euthymius. Toletus in caput 12. Lucæ Annot. 86. per carcerem, infernum intelligit. Et Stella Enarratione in idem caput. Feri in quintum caput Matthæi hęc ſunt verba, *Vult Chriſtus in externis rebus nonnunquam ſatius eſſe etiam iniquis conditionibus cum aduerſario cõponere quam lites & contentionem ſequi.* Didacus Stella in 12.

cap. Lucæ per aduerſarium conſcientiam intelligit, Maldonatus data opera in Commentario in 12. caput Lucæ hunc locum omiſit, non auſus attingere.

Eodem capite Matthæi ℣. 21. & 22. Chriſtus ponit diuerſas peccatorum ſpecies & diuerſos pœnæ gradus. Inde miro ſaltu & deſultoria vanitate, concludunt. Ergo eſt purgatorium. Tædet ineptiarum. Talia refellere nihil aliud eſt quam ineptire cum ineptis.

Nec plus virium habet quod afferunt ex 12. cap. Matthæi ℣. 32. vbi Chriſtus ſic loquitur de peccato in Spiritum ſanctum. *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in altero.* Senſus planus eſt & obuius. *Non remittere* idem eſt quod *punire*: Senſus ergo eſt, fore vt qui peccauerit in Spiritum ſanctum puniatur in hac vita & poſt hanc vitam, Marcus cap. 3. 29. eandem Chriſti ſententiam referens, dicit *Non remittetur ei in æternum.*

Hic quidem nulla purgatorij mentio. Nec vlla cauſa idonea afferri poteſt cur per alterum ſæculum, ignis potius intelli-

gãtur quam aqua aut nix.

Planum eſt autem Chriſtum loqui de remiſſione culpæ in altero ſæculo. At Eccleſia Romana cenſet culpas non remitti in purgatorio, vtpote quas aiunt eſſe remiſſas antequam animæ detrudantur in purgatorium. Cuius obiectionis tanta eſt vis vt Bellarminus lib. 1. de Purgatorio, cap. 4. §. *Quintò*, auſus ſit dicere in Purgatorio culpas veniales remitti. Cum tamen ipſe id neget, docens cum alijs, omnem culpam his animabus eſſe remiſſam.

Mirum verò quod aduerſarij volunt Chriſtum per futurum ſæculum intelligere purgatorium, cum ipſi velint Purgatorium iam fuiſſe ante Chriſti aduentum.

At quo tandem modo poſſunt dicere purgatorium eſſe locum remiſſionis peccatorum, cum ſit (vt cēſent) locus tormenti & cruciatus, & ipſi dicant eſſe carcerem, ex quo nemo egrediatur niſi poſt ſolutum vltimum quadrantem?

Cum autem Chriſtus hoc loco doceat peccata in Patrem & Filium remitti in futuro ſæculo, mirum eſt qua fronte aduerſarij audent dicere ſola peccata venialia

puniri in purgatorio, cum peccare in Patrem & Filium ſit crimen atrox & (niſi Deus ignoſcat) æterno ſupplicio piãdum.

Quid autem per futurum ſęculum Chriſtus intelligat, ipſe Chriſtus nos docet Matthæi 13. ℣. 40. vbi dies iudicij vocatur finis huius ſæculi. Ergo dies Iudicij initium eſt ſæculi futuri. Et Marc. c. 10. 30. *Habebit in futuro ſæculo vitam æternam.* Idemque Seruator Luc. cap. 20. ℣. 34. *Filij huius ſæculi ducunt vxores, & nuptum dantur. Illi vero qui digni habebuntur ſæculo illo & reſurrectione mortuorum non nubent.* Manifeſtè Chriſtus per alterum ſæculum intelligit ſtatum æternum, qui inchoatur in reſurrectione mortuorum. Et Apoſtolus ad Hebręos cap. 6. 5. guſtum aliquem bonorum æternorum, qui poteſt quibuſdam reprobis contingere vocat *guſtum* μέλλοντος αἰῶνος *futuri ſæculi*: An Apoſtoli mens eſt quoſdam habere pręguſtationem ignis Purgatorij?

Peccata vero remitti electis & piis die iudicii docet Apoſtolus vocans diem illum, *diem redẽptionis.* Rom. 8. 22. Sic Petrus Actorum cap. 3. 19. dicit fore vt *DE-*

LEANTVR peccata noſtra, cum venerint dies refrigerij à conſpectu Domini, & cum miſerit Ieſum Chriſtum, loquens de vltimo Chriſti aduentu. Paulus 2. ad Timoth. cap. 1. pro Oneſiphoro ſic precatur, *Det ei Dominus inuenire miſericordiã apud Dominũ in die illa.* Quid autem eſt inuenire miſericordiam apud Deum, niſi obtinere remiſſionem peccatorum? Sententia illa ſummi Iudicis per quam electi vocabuntur ad poſſeſſionem regni cœleſtis, quid aliud eſt quam declaratio admiſſionis eorum in gratiam æternam?

Nec ſi cui remittuntur peccata poſt hanc vitam, inde ſequitur eum cum ei remittuntur peccata in tormentis fuiſſe. An ſi Rex ſonti remittit crimen, neceſſe eſt iſtum ſontem fuiſſe excruciatũ quando ei crimen remiſſum eſt? Poteſt remitti crimen placidè dormienti. Porro verba illa Chriſti intelligenda eſſe de remiſſione quæ futura eſt nouiſſimo die iudicij cenſuit Auguſtinus lib. 6. contr. Iulianum cap. 5. *Si nulla remitterentur peccata in iudicio illo nouiſſimo, puto quod Dominus non dixiſſet de quodam peccato Non remittetur*

neque in hoc ſæculo neque in futuro. Et lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 13. dicit, *Quibuſdam quod in iſto non remittitur remitti in futuro ſæculo, id eſt ne futuri ſæculi ſupplicio puniantur æterno.* Vbi planum eſt eum per futurum ſæculum intelligere ſtatum ſeu conditionem animarum quæ æternum iudicium eſt conſecutura. Ambroſ. lib. de bono mortis cap. 2. *Vita æterna remiſſio peccatorum eſt.*

Leue eſt quod objicitur ex epiſtola ad Philippenſes cap. 2. 10. Verba Apoſtoli ſunt, *Vt in nomine Ieſu flectatur omne genu cæleſtium, terrenorum, & ſubterraneorum.* Hęc ſubterranea volunt eſſe animas quæ cruciantur in flammis purgatorij. At cur potius ibi eſſent in igne quam in aqua? Fortaſſe ibi volutantur in niue. Aut cur per ea quæ ſunt ſub terra potius intelligeretur Purgatorium quam infernum damnatorum? Nam & hi quoque Chriſto ſunt ſubiecti. Illuſtratur hic locus proſopopœa omnium creaturarum quæ habetur quinto capite Apocalypſeos ℣. 13. vbi omnis creatura quæ eſt in cœlo, & quæ in terra, & quæ ſub terra, & quæ in mari, Deo & agno

agno dat laudem & benedictionem. Si per ea quæ ſunt ſub terra intelligendę ſunt animæ Purgatorij, ædant aduerſarij quid velint intelligi per ea quę ſunt in mari. Vtriuſque loci ſenſus eſt euidens. Deſcribitur Imperium Chriſti in omnes creaturas, etiam in res inanimatas. Bellar. lib. 1. de Purg. cap. 8. §. *Vtuntur*. reſpuit hunc locum, & cenſet per ea quæ ſunt ſub terra Patres Limbi intelligi.

Tædet ſingula perſequi. Intemperanter abuteretur ſuo otio qui vellet excutere omnia quę in hanc rem afferuntur ab aduerſarijs, in quibus manifeſtè oblinunt os fatuis & illudunt Scripturę ſacræ.

Sic argutantur. Paulus prima ad Corinthios cap. 15. 29. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Ergo eſt ignis purgatorius. Chriſtus Lucæ cap. 16. dicit, *Facite vobis amicos de Mãmona iniquitatis, vt cum defeceritis vos recipiant in tabernacula æterna*. Ergo eſt Purgatorium. An per tabernacula æterna volunt intelligi purgatorium? An qui recipiuntur in tabernacula æterna, mittuntur in ignem non æternum?

Latro dicebat Chriſto, *Memento mei cum veneris in regnum tuum.* Ergo eſt Purgatorium. Ingenioſè. Noui Pyrotechnitę cinifiones culinæ Papalis, has ſtipulas colligunt quibus ſuſcitent ignem Purgatorij, quæ ſolo habitu diſſipantur. Perinde potuiſſent ex vulpibus Samſonis, aut ex cane Tobiæ elicere Purgatorium, quippe qui omnia educunt ex omnibus. Bellarmini ingenuus eſt candor. Is lib. 1. de Purgatorio cap 4. § *Reſpondeo*, agnoſcens non magnam eſſe vim ratiocinationis ſuæ, ſic reſpondet. *Reſpondeo non ſequi ſecundum regulas Dialecticorum id quod inferimus ex verbis Domini, ſed tamen ſequi ſecundùm regulas prudentiæ.* Fatetur regulas rectę ratiocinationis ſibi eſſe aduerſas, ſed reuocat Chriſtum ad regulas prudentię: qui quidem opus habuit tali monitore, ne peccaret per imprudentiam.

Nec maior eſt vis loci qui affertur ex cap. 21. Apocalypſeos ℣. 27. *Non ingredietur in eam* [Ieruſalem cęleſtem] *quicquam inquinatum, aut abominationem faciens, aut mendaciũ; ſed qui ſcripti ſunt in libro vitæ.* Planum eſt per *inquinatos* intelligi abo-

minandos & ſceleratos, & reprobos qui non ſunt ſcripti in libro vitę. At aduerſarij volunt hos inquinatos, & abominandos, & reprobos, eſſe eos qui purgantur igne purgatorij, quos tamen volunt eſſe pios & ſanctos.

Eſt tamen locus quem pręcipuè vrgent aduerſarij, cui peculiaris tractatio debetur.

CAP. XIII.

Expenditur locus primæ Epiſtolæ ad Corinthios cap. 3. verſ. 11. & ſeq.

VErba Apoſtoli 1. ad Corinth. in Vulgata cap. 3. hæc ſunt, Si quis ſuperædificat ſuper hoc fundamento aurum, argẽtum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam. Cuiuſq; opus manifeſtum fiet: dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit quod ſuperædificauerit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit detrimentum patietur, ipſe tamen ſeruabitur, ſic tamen quaſi per ignem. In hoc loco

aduerſarij ponunt præcipuum cauſæ ſuæ prȩſidium. Nam per ignem volunt ignem Purgatorij intelligi.

Principiò cum hic locus ſit Allegoricus, & perpetuis Metaphoris contextus, non poteſt inde confici vlla certa demonſtratio, quando de fidei capitibus agitur. fatentibus aduerſarijs ex ſolo literali ſenſu poſſe peti probationes certas, in rebus quæ ad fidem pertinent.

Qua fide autem hîc agant aduerſarij hinc apparet, quod hoc loco vocabula, auri, argenti, lapidum pretioſorum, ligni, fœni, ſtipulȩ volunt figuratè intelligenda: ſoli vocabulo ignis mordicus inhȩrent, & volunt propriè & non figuratè accipi: Prȩcipuè cum Paulus ſoli vocabulo ignis appoſuerit particulam QVASI, ne quis id de verò & materiali igne intelligendum arbitraretur. Non enim dixit, *quaſi aurum*, *quaſi lignum*, *quaſi ſtipulam* ſed de ſolo igne dixit, *quaſi per ignem*: quod non ſine cauſa fecit.

Nec poſſunt aduerſarij ex hoc loco ducere certa argumenta: quia ſuper eius ſenſu ſumma eſt inter ipſos Pontificios diſ-

cordia & acerrima contentio. Salmeronis Ieſuitę verba hęc ſunt Tom.14. Diſput. VI. in hęc Apoſtoli verba. Hunc Pauli locum admodum perplexum atque impeditum veteres Patres agnouerunt, vnde factum vt varias admodum interpretationes reciperet. Recentiores quoque Catholici in varios ſenſus diuiſi fuerunt. Et paulo poſt. Examinandum de qua die illa veniant intelligenda cum ait, Dies domini declarabit, cum in igne reuelabitur. Nam aliqui intelligunt diem pręſentem vitæ noſtræ. Alij diem mortis in quo quiſque de omnibus vitæ ſuæ actionibus examinandus eſt. Alij diem iudicij, quem pręcedet ignis conflagrationis, intelligunt. Alij denique plures dies ſimul ex dictis, vel potius omnes. Tum quęrit de igne in quo reuelatur ille dies quis nam ſit. Aliqui (inquit) ad ignem inferni referunt, alij ad cõflagrationis ignem qui pręcedet iudicium. Alij ad purgatorium ignem poſt hanc vitam: alij rurſus ad pręſentium tribulationum ignem quibus peccata expurgantur. Alii denique ad diuini iudicij probantis & examinantis ignem.

Ergo priuſquam aduerſarii ex hoc loco agant aduerſus nos, debent inter ſe inire concordiam: nec nobis neceſſe eſt operam ponere in eis refellendis, cum ipſi ſe inuicem refellant. Inter eos pene ſunt tot ſenſus quot capita. Nec potui duos inuenire qui in omnibus inter ſe concordent.

Quod ſi quis ſedulò luſtret oculis, & accuratè perpendat hunc Pauli locum, nihil in eo inueniet quod quadret in purgatorium, immò quod ei non manifeſtè repugnet. 1. Apoſtolus dicit hoc igne opera manifeſtari: at de iis quæ geſta ſunt aut geruntur in purgatorio, nihil nobis manifeſtatur. 2. Apoſtolus dicit opera in hoc igne ardere & conſumi, non verò perſonas aut animas cruciari. 3. Apoſtolus dicit hoc igne probari opera, non verò puniri. 4. Apoſtolus dicit eum qui ſuperędificauerit lignum, fœnũ, ſtipulam, paſſurum detrimẽtum ſeu iacturam ſui operis: at in Purgatorio animæ non faciunt vllam iacturam, nec patiuntur detrimentum, vt pote quibus Pontificii volunt flammam Purgatorii eſſe perutilem. 5. Apoſtolus dicit iſto igne manifeſtari vniuſcuiuſque

opus: etiam eorum qui aurum & argentum ſuperædificauerint. Ergo & Apoſtolorum: Quos tamen aduerſarii volunt eſſe immunes à flãmis Purgatorii. 6. Apoſtolus dicens in pręſenti *reuelatur*, non obſcurè innuit hanc manifeſtationem fieri poſſe in vita præſenti, & operariis ſuperſtitibus. 7. Cum autem hic locus de ſolis Prædicatoribus loquatur, fruſtra hęc trahũtur ad animas Purgatorii. 8. Tum Apoſtolus dicit, quaſi per ignem: ne de verò igne id intelligatur. Hieron. Epitaphio Lucinii de hoc vocabulò QVASI, *vbi ſimilitudo promittitur veritas denegatur*.

Non me latet aliquando in verſione vulgata voculam *quaſi* poni vt indicium veritatis, non vero ſimilitudinis: &, vt loquuntur in ſcholis, ſumi ſpecificatiuè, non vero comparatiuè, vt cum Iohannis cap. 1. dicitur, *Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à patre*. Hoc effugium ſuppeditat verſio barbara. Nam vocula QVASI Latinis deſignat aliquem defectum, & ſimilitudinem quæ abeſt à perfectione & veritate. Vt cum Terentius Heautontimorumeno Act. 1. Scen. 1. dicit, *Quaſi tã-*

lenta ad quindecim coëgi. Id eſt ſummam argenti non multum diſtantem à quindecim talentis. Et Suetonius Caligula c. 58. *Nono Calendas Februarias hora quaſi ſeptima.* Sic ſemiuiuum dicimus *quaſi mortuũ.* Rideretur qui Socratem diceret eſſe quaſi hominem, cum ſit verè homo. Particula quidem Græca ὡς poteſt aliter accipi, ſed author vulgatæ verſionis, in hoc loco Apoſtoli, vertens ὡς per *quaſi* eius ſenſum fideliter expreſſit.

Sanè qui per hunc ignem, tribulationes vitæ huius intellexerũt, voculam QVASI non propriè, ſed ex quadam ſimilitudine intellexerunt. Sic intellexit Auguſtinus, Gregorius I. Anſelmus, Thomas, Lombardus, vt probabimus.

Ipſe Bellarminus vidit ſuam interpretationem de igne Purgatorij ſtare non poſſe niſi in vocabulo ignis homonymia ponatur. Cenſet enim ignem per quem manifeſtatur cuiuſque opus, alium eſſe ab eo igne de quo Apoſtolus dicit, *ſaluabitur quaſi per ignem*: quæ ſanè eſt deſultoria fingendi licentia; quam Eſtius Duacenſis profeſſor, vir non vulgariter doctus, com-

mentario in hunc locum acriter exagitat & reſpuit, *Alijs* (inquit) *abſurdum haud immerito videtur Apoſtolum in vno contextu paucorum verborum tam variè loqui de igne.* Negat igitur vir doctus hunc locum de Purgatorio igne qualis creditur ab Eccleſia Romana poſſe intelligi, ſed vult intelligi de igne conflagrationis vltimi iudicij, quem ignem dicit fore probatorium & expurgatorium, per quem ignem omnes tranſituri ſint, etiam ſanctiſſimi. Quæ quidem fuit veterum ſententia, vt probabimus. Cauſam verò cur à Bellarmino & alijs diſſentiat ipſe affert. *Quos authores* (inquit) *ſi non per omnia ſecuti ſumus, nemo miretur, quia nec ipſi inter ſe conſentiunt.*

Eſtio concinit Cornelius à Lapide Ieſuita commentario in hunc locum p. 273. vbi de igne vltimi iudicij ſic loquitur. *Ille ignis erit purgatorius totius mundi, & omnium quæ ſunt in eo, ideoque ſi quid in aliquo olim mortuo nec dum ſat purgatum eſſet, id ab illo igne mundaretur & expiaretur.* Et Ibidem. *Ignis de quo Apoſtolus agit propriè eſt ignis conflagrationis mundi.*

Eandem ſententiam amplexus eſt Bar-

radius Ieſuita Tomo III. lib. 9. cap. 11. *Ignis* (inquit) *erit in mundo qui præcedet Chriſtũ, qui exuret terrã & purgabit electos*: Suamque ſententiam confirmat authoritate Thomæ Aquinatis, & Gloſſæ ordinariæ. Talem ignem credidit Bellarminus cuius verba citauimus ex libro primo de Purgatorio cap. 3. §. *Decimus*.

CAP. XIV.

Veterum ſententiæ de ſenſu huius loci. Nec non Anſelmi, Lombardi, Thomæ.

AVguſtinus lib. de fide & operibus cap. 15. dicit hunc locum eſſe de eis quę Petrus dicit eſſe intellectu difficilia. Et cap. 16. *Mallem* (inquit) *audire intelligentiores atque doctiores*. Idem tamen Enchiridio ad Laurentium cap. 68. hunc locum ſic accipit. *Ligna fœnum & ſtipula non abſurdè accipi poſſunt, rerũ ſæcularium quãuis licitè conceſſarum tales cupiditates vt amitti ſine dolore non poſſint.* Hunc dolorem quem vocat ignem tribulationis cenſet ignem eſſe de quo agit Apoſtolus

hoc loco. Per quem ignem cum intelligat ærumnas huius vitæ, dubitat tamen an animæ poſt hanc vitam tale aliquid patiantur. Eadem dicit cap. 69. & libro de octo Dulcitij quęſtionibus quęſt. 1. Vbi poſt longos verborum circuitus, tandem ad eandem ſententiam redit quam exponit Enchiridio. Idem ſentit Gregorius I. ſummus Auguſtini imitator, Dialogorum lib. 4. cap. 39. Quam ſententiam Bellarminus reſpuit lib. 1. de Purgat. cap. 5. §. *Quarta. Per ignem* (inquit) *aliqui intelligunt tribulationes huius vitæ. At hoc non poteſt conuenienter dici.*

Chryſoſtomus Homilia 9. in 1. ad Corinthios, ignem per quem homo ſaluatur vult eſſe gehennam, ſeu ignem æternum; & ait damnatos ſaluari per ignem, quia in illo igne permanent & non conſumuntur, & ad nihil non reducuntur. Nilus Archiepiſc. Theſſal. libro aduerſus ignem Purgatorij, narrat Paulum Apoſtolum per triduum aſtitiſſe Chryſoſtomo & hanc interpretationem ei in aurem inſuſurraſſe. Qua tamen nihil eſt dilutius. Nam Paulus non dicit eos conſeruandos in igne,

ſed ſaluandos vt per ignem. Et *ſaluari* ſemper in bonam partem vſurpatur. Theophylactus tamen & Euthymius Chryſoſtomum ſequuntur. Græci in Synodo Ferrarienſi, quæ poſtea Florentiam trãſlata eſt, ſententiam Chryſoſtomi aduerſus Latinos tuebantur.

Anſelmus Auguſtini ſententiam amplexus eſt. Is cõmentario in hunc locum, hæc ait. *Cuius opus arſerit, id eſt igne tribulationis conſũptum fuerit, tribulationem patietur.* Et paulo poſt. *Saluus erit quaſi per ignem, quia quod ſine illiciente amore non habuit, ſine vrente dolore non perdet.*

Lombardus commentario in caput tertium primæ ad Corinthios ſic ſcribit. *Quaſi per ignem: iſte ignis eſt ignis tribulationis.*

Thomas commentario in primam ad Corinthios Lectione ſecunda hæc habet. *Saluabitur quaſi per ignem quem ſuſtinuit, vel in hac vita, vel in fine huius vitæ, vel in fine mundi.* Quarum trium interpretationum, quænam ſit alijs anteponenda non definit.

CAP. XV.

Explanatur locus Apoſtoli. Eius paraphraſis.

VT via complanetur ad intelligentiam huius loci, ſtatuendum eſt Apoſtolum per ædificantes intelligere Paſtores Eccleſiæ: quo nomine etiam deſignantur Pſal. 118. 22. *Lapis qui reprobatus eſt ab ædificantibus*, &c. Ipſe Paulus hoc loco ſe vocat architectum. Id agnoſcit Caëtanus commentario in hunc locum: De Miniſtris (inquit) lo- « quitur, de quibus dixerat, alius ſuperæ- « dificat, & conſequenter loquitur de ſu- « peræ dificatione doctrinæ. Eſtius in hũc « locum pag. 267. Hoc ſine dubio de do- « ctrina prædicationis ab Apoſtolo di- « ctum eſt. Et paulo poſt. Non de fide- « libus vniuerſè ſed de ſolis magiſtris & « prædicatoribus accipiendum eſt. Sal- « meron Tom. XIV. Diſp. VI. p. 40. Per « ſuperædificantes hoc loco accipimus, « non quoſuis fideles ſed verbi Dei Mini- « ſtros & Euangelicos prædicatores. Bel- «

larminus lib. 1 de Purgat. cap. 5. §. *Alij*
" Permulti docent Architectos hîc ab A-
" poſtolo non vocari niſi Doctores & præ-
" dicatores Euangelij. Ita Ambroſius &
" Sedulius in hunc locum. Idem inſinuat
" Hieronymus lib. 2. in Iouinianum. Ad-
dit Anſelmum, Thomam, Lyranum,
Caëtanum idem ſentire. Quæ quidem
ſententia eſt veriſſima: & tota loci tex-
tura eò ducit.

Sed ad intelligẽtiam huius loci perue-
niri non poteſt, niſi prius emẽdetur ver-
ſio vulgata quæ hũc locum deprauat: ſic
" vertẽs Vniuſcuiuſque opus manifeſtum
" erit, Dies enim Domini declarabit, quia
" in igne reuelabitur. At Græcus textus ſic
habet, ἡ γὰρ ἡμέρα δηλώσει ὅτι ἐν πυρὶ ἀπο-
" καλύπτεται. Dies manifeſtabit quia reue-
" latur in igne. Hæc additio vocis DO-
MINI quę contra fidem Gręci textus
intruſa eſt, hunc locum deprauat, & ei
tenebras offundit. Verba hæc ſunt Eſtij
commentario in hunc locum pag. 268.
" In Gręco & in Syriaco abeſt genitiuus
" DOMINI, nec non in Latinis quibuſ-
" dam Manuſcriptis. Veteres etiam com-

“ metatores Ambroſius & Primaſius non
‘ agnoſcunt. Huius vocis additio ſenſum huius loci plane conturbat. Inde nata diſcordia inter cõmentatores quęrentes quæ ſit illa dies Domini. Plerique arbitrantur, diem Domini eſſe diem vltimi iudicij: quod quidem à mente Apoſtoli eſt alieniſſimum. Loquitur enim de iactura ſeu detrimento quod patietur ædificans: At die Iudicij Paſtores qui non damnabuntur nullam facient iacturam, nec vllum patientur detrimentum. Per diem qui manifeſtaturus eſt qualé ſit opus cuiuſque ædificantis, intelligitur iudicium ſeu examen per quod diſcernetur an opus eius ſit firmum & ſolidum & quod inſtar auri & argẽti poſſit ſuſtinere ignem probationis, ſeu examen doctrinæ quam prædicauit, an vero fluxum & leue & quod inſtar ligni aut ſtipulę ignem probationis & examinis ferre non poſſit. Nam per DIEM intelligere *iudicium* & *examen* phraſis eſt peculiaris Paulo. Et ſic accipitur hęc vox cap. 4. huius epiſtolę ℣. 3. *Mihi pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die*, id eſt humano iudicio. Hunc loquendi mo-

dum vernaculum fuiſſe Cilicibus ait Hieronymus quæſtionum ad Algaſiam queſt. 10. Paulus enim erat Cilix & ex Cilicum conſuetudine ſic locutus eſt.

Qui per diem volunt hîc intelligi diem Iudicij aut purgatorium, inde putãt aſtrui fidem ſuæ ſententiæ, quod Apoſtolus dixit *reuelabitur* in futuro tẽpore, non vero in præſenti. At hic etiam verſio Latina deprauata eſt. Nam in Greco textu habetur ἀποκαλύπτεται *reuelatur*, non ἀποκαλυφθήσεται *reuelabitur*. Vnde non obſcurè colligitur, hoc examen fieri, aut poſſe fieri in vita preſenti.

Ergo per *ædificantes* intelliguntur Predicatores Euangelij. Per *fundamentum* Chriſtus. Per aurum, argentum, gemmas, doctrinæ puræ, & ſolide ferentes examen, quando ad amuſſim veræ doctrinæ Euangelio contente reuocantur. Per lignum, fœnum, ſtipulam, doctrinæ leues & curioſæ, & phalerate nugæ ac inanes, comparatæ ad oſtentationem, que reuocatæ ad examen verbi diuini non ſubſiſtent, & talis ædificator facturus eſt iacturam operis ſui. Veruntamen quia talis operarius

operarius retinuit fundamentum, & Chriſti redemptioni firmiter adhęſit, poterit ſeruari, ſed vt per ignem, id eſt poſt examen operis ſui, non ſecus ac metalla explorantur igne. At doctrinæ leues concident & diſſoluentur quippe quæ ſimiles ſunt materię leui non ferenti χωνευτήριον ſeu explorationem ad ignem. Sit igitur hęc paraphraſis huius loci.

11. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter illud quod poſitum eſt quod eſt Chriſtus Ieſus.

12. Quod ſi quis prædicator Euangelij ſuper hoc fundamento ſuperædificauerit doctrinam puram, ſolidam, ſuſtinentem examen, & ſimilem auro, argento, lapidibuſque pretioſis ſuſtinentibus examen ad ignem, aut leues & inanes doctrinas quæ inſtar ligni, fœni, ſtipulæ, non ferant examen.

13. Quale ſit vniuſcuiuſque opus manifeſtum fiet. Nam ex iudicio, ſeu examine ad Dei verbum id apparebit. Id enim manifeſtatur examine illo, non ſecus ac metalla, & aliæ res explorantur ad ignem. Hic ignis probat quale ſit cuiuſ-

que opus.

14. Si cuius doctrina vero fundamento ſuperędificata permaneat & examen ſuſtineat, is quidem à Deo mercedem accipiet.

15. At ſi cuius doctrina igne probationis explorata non ſuſtineat examen, & diffletur ac concidat, is quidem ſeruari poterit, ob fundamentum cui firmiter adhęſit: ſed poſt examen & explorationem factam ad hunc ignem.

CAP. XV.

De Purgatorio Ethnicorum & Iudæorum, & de Boëtio.

ET hęc quidem ſunt quæ ab aduerſarijs ad purgatorij defenſionem afferuntur ex Scripturis, & ex vmbratili ratiocinatione. Hinc excuſſi confugiunt ad Ethnicos, Iudęos & Mahumetanos, quos aiunt, ſi non purgatorium, at ſaltem aliquid affine purgatorio credere & crediſſe. Plato Dialogo qui Gorgias inſcribitur, ſub finem, & libro decimo, de Re-

publica, multas fabulas coaceruat de pœnis animarum poſt mortem, quas cenſet eſſe inæquales. Iudæi Talmudiſtæ finxerunt quaſdam volutationes per canales ſubterraneos, quas definiunt eſſe duodecim menſium. De quibus prolixè & accuratè tractat Buxtorfius Hebraïcarum rerum peritiſſimus, libro de Synagoga Iudęorum. Noti ſunt verſus Virgilij VI. Æneidos, vbi de animabus quæ cruciatu purgantur apud inferos hæc ait

Aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos: alijs ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, atq; exuritur igni.

His teſtibus & patronis Purgatorij ſe iactat Bellarminus lib. I. de Purgatorio cap. II. Sunt quidem notiones quædam omnibus hominibus naturaliter inſitæ, quas nemo reſpuit niſi qui hominem exuit, & naturæ aduerſatur. At de Purgatorio homines nullam habent naturalem impreſſionem. Quapropter hos Purgatorij defenſores non inuidemus aduerſarijs. Immo ob id ipſum debet doctrina de Purgatorio eſſe ſuſpecta prudentibus, quia ab Ethnicis, Mahumetanis, Iudæis capitalibus Chriſti

inimicis creditur. Si tamen creditur. Nam quæ fabulantur de pœnis animarum poſt mortem longè diſtant à purgatorio Eccleſiæ Romanæ, & ab Indulgentijs quę dantur mortuis.

Extat Seuerini Boëtij, hominis Chriſtiani, liber aureolus & perelegans, de Conſolatione Philoſophica. In quo introducitur philoſophia conquerens de ſua ſorte, & differens de Reminiſcentia, & de pœnis & præmijs animarum, more Platonico: ſed nihil hæc ad religionem Chriſtianam.

CAP. XVI.

Confeſſio aduerſariorum.

PVrgatorium, quale nũc creditur, rem eſſe nouam, & veteribus ignotam, agnoſcunt multi non obſcuri authores inter aduerſarios. Alphonſus de Caſtro, qui Tridentino Concilio interfuit lib. 8. aduerſus hæreſes, in Verbo *Indulgentiæ*, hæc ait. *De Tranſſubſtantiatione panis in corpus Chriſti rara eſt in Scriptoribus antiquis men-*

tio. De proceſſione Spiritus multo rarior. De Purgatorio fere nulla; potiſſimum apud Græcos ſcriptores. Qua de cauſa vſque in hodiernum diem purgatorium non eſt à Græcis creditũ. Veruntamen ibidem pronuntiat hæreſim eſſe non credere purgatorium. *Eccleſia enim* (inquit) *proficit in melius in mẽbris ſuis, Deo eam quotidie magis illuſtrante.*

Cõcinit Nauarrus Canoniſtarum princeps commentario de Iubilæo p. 545. *Nemo* (inquit) *iam dubitat Orthodoxus an purgatorium ſit, de quo tamen apud priſcos nulla vel quam rariſſima mentio.*

Ante hos Cardinalis Roffenſis papæ Martyr hęc ſcripſit. *De purgatorio apud priſcos vel nulla, vel rariſſima fiebat mentio. Sed & Græcis ad hunc vſque diem non eſt creditum eſſe: Quandiu enim nulla fuerat de purgatorio cura, nemo quæſiuit indulgentias.* Tum addit. *Cœperunt indulgentiæ poſtquam ad purgartorij cruciatus trepidatum eſt.*

Hęc verba Roffenſis citantur à Polydoro Virgilio Vrbinate lib. 8. de Inuentoribus rerum cap. 1. Quid autem ipſe ſentiat

non obſcurè innuit. Addit enim. *Hæc ille: quæ tu forte, cum tanti ſint momenti, vt magis certa ex ore Dei expectabas.* Agnoſcens purgatorium & indulgentias nullo verbi Dei teſtimonio eſſe ſuffulta.

CAP. XVII.

Quoſdam veteres credidiſſe, animas corpore ſolutas nulli pœnæ eſſe obnoxias.

OPortet alieniſſimos fuiſſe à purgatorij tormentis, qui ne quidem crediderunt animas quandiu ſunt extra corpus poſſe vllis pœnis affici. Tertulliani cap. 48. Apologetici verba hæc ſunt. *Neque pati quicquam poteſt anima, ſine ſtabili materia id eſt carne.* Idem dicit libro de Teſtimonio animæ cap. 4. Alibi tamen videtur aliter ſentire.

Gregorius Nyſſenus Oratione tertia in Chriſti reſurrectionem ſub finem. *Animam per ſe ſeparatam ignis nunquam attigerit, nec tenebræ quidem ei moleſtæ fuerint vtpote quæ oculis caret, &c. His rationibus cōpellimur ad comprobandum reſurrectionem*

mortuorum.

Chryſoſtomus homilia 39. in 1. ad Corinthios. Quamuis anima maneat, " quamuis millies ſit immortalis, vt certè " eſt, non tamen ſine carne accipiet bona " illa æterna, nec etiam punietur. "

Ambroſius lib.1. de Pœnitentia c.17. Cum manifeſtum ſit in vtroque redem- " ptum hominem in vtroque ſaluari: ne- " que animam ſine carne, neque carnem " ſine anima, cum ſint ſibi geſtorum ope- " rum conſortijs copulatæ, ſine conſortio " eſſe vel pœnę vel pręmij. Alibi tamen " videtur à ſe diſſentire.

Hieronymus in caput decimum Matthęi. Anima eo certe tempore punietur " & ſupplicia ſentiet quando priſtinum " corpus receperit, vt cum quo peccauit " cum ipſo & puniatur. "

CAP. XVIII.

Patrum ſententiæ aduerſę Purgatorio.

SVper ſtatu animarum Veteres ſibi parum conſtant, & multa ſcripſerunt quę

meritò damnantur ab Eccleſia Romana. Veruntamen vt plurimum abeunt in hanc ſententiam, animas ſtatim à morte admitti in cæleſtem gloriam. Pauca hęc ſunt ex multis.

Operibus Iuſtini Martyris aſſutæ ſunt quęſtiones ad Orthodoxos, quarum ſeptuageſima quinta hæc habet. Poſt "exitum animarum ex corpore STATIM "fit iuſtorum & iniuſtorum ſegregatio. "Nam ducuntur ab Angelis ad condigna "loca. Iuſtorum quidem animæ in para- "diſum, iniuſtorũ autem ad loca inferna.

Cyprianus aduerſus Demetrianum §.16. *Æui temporalis fine completo, ad æternę, vel mortis, vel immortalitatis hoſpitium diuidimur.* Et ibidem loquens de peccatoribus qui ſub ipſam "mortem conuertuntur ad Deum, Ad "immortalitatem (inquit) ſub ipſa morte "tranſitur.

" Et ibidem. Quando iſtinc exceſ- "ſum fuerit, nullus iam pœnitentiæ lo- "cus eſt, nullus ſatisfactionis effectus. "Et libro de mortalitate §.15. Ad immor- "talitatem morte tranſgredimur, non eſt

exitus ſed tranſitus, & temporali itinere "
decurſo ad æterna tranſgreſſus. Totus hic "
Cypriani liber eiuſmodi ſententijs contextus eſt.

Epiphanius Panario, hæreſi Catharorum, quæ eſt quinquageſima nona §. 10.
In ſæculo futuro poſt mortem hominis "
nullum eſt adiumentum ieiunij, nulla vo- "
catio pœnitentiæ, nulla eleemoſynæ ex- "
hibitio. Et paulo poſt. Obſignata ſunt "
promptuaria, impletum eſt tempus, & cer- "
tamen finitum, & euacuatum ſtadium, & "
datę coronæ. "

Hieronymus Epitaphio Nepotiani. *Scimus Nepotianum noſtrũ eſſe cum Chriſto, & ſanctorum mixtũ choris.* Idem dicit de Paula, de Læta & Blęſilla in eorum Epitaphijs. De Fabiola, in eius Epitaphio hęc ait, *Depoſita tandem ſarcina leuior euolauit in cælum.* Et initio libri aduerſus Heluidium negat pœnitentiam agi poſt mortem.

Idem commentario in nonum caput Amos. Quando anima vinculis laxata "
corporis, volandi quo vult, ſiue quo ire "
compellitur, propter tenuitatem ſubſtan- "

"tiæ, habuerit libertatem, aut ad inferna "ducetur, aut certè ad cęleſtia ſubleuabi-"tur. Et ibidem. Dominus quotidie cre-"dentes & membra corporis ſui ædificat, & "de terris ad cęlum leuat, vt in illis ipſe "conſcendat. Addit Enochum, Eliam, "Moſem in cęlum aſcendiſſe.

Idem Pater in Eccleſiaſtę caput nonum. "Didiciſti quod morte omnia finiantur, & "in inferno non ſit pœnitentia, nec alius "ad virtutes recurſus. Dum in iſto ſæculo "es feſtina, contende agere pœnitentiam, "dum habes tempus labora.

.In Decreto, Romano Cauſa 13. quęſt.2. Can. *In præſenti* hęc citantur ex Hierony-"mo. In pręſenti ſæculo ſcimus ſiue oratio-"nibus, ſiue conſilijs, inuicem nos poſſe ad-"iuuari. Cum autem ante tribunal Chriſti "venerimus nec Iob, nec Daniel, nec Noè "rogare poſſe pro quoquam, ſed vnũquem-"que portare onus ſuum.

Gregorius Nazianzenus Epitaphio fra-"tris Cæſarij. Credo verbis ſapientum, om-"nem animam honeſtam & Dei amantem, "poſtquam liberata fuerit corpore cui illi-"gata eſt & ab eo ſeparata, STATIM ad-

mitti ad fruitionem & contemplationem ““
boni quod eam manet, & mirabili qua- ““
dam voluptate exultare, & ire ad ſuum ““
Dominum cum gaudio. ““

Baſilius epiſtola ad Chilonem, quæ eſt inter Aſcetica. Statuens ſeparationem ““
corporis & animæ eſſe liberationem ab ““
omni malo, expecta fruitionem æterno- ““
rum bonorum. ““

Ambroſius libro de bono mortis cap. 8. Inſipientes mortem quaſi ſummum ma- ““
lum reformidant, ſapientes quaſi requiem ““
poſt labores, & finem omnium malorum ““
exoptant. Et ibidem. Diſſolui & eſſe cum ““
Chriſto multo melius. Non igitur mala ““
mors. Et cap. 12. Cum dies aduenerit, ““
intrepidè ad patrem noſtrum Abraham ““
proficiſcamur, intrepidè pergamus ad il- ““
lum cœtum, iuſtorumque conuentum. ““
Ibimus enim ad patres noſtros, ibimus ad ““
illos fidei noſtræ pręceptores, vt etiam ſi ““
opera deſint, fides opituletur. Et lib. de ““
Cain & Abel cap. 12. loquens de die mor- ““
tis. Cum huius corporis anima depoſue- ““
rit inuolucrum, & carcere iſto fuerit abſo- ““
luta corporeo, in illum ſuperiorem reuo- ““

"labit locum, &c.

Chryſoſtomus homilia 2. de Lazaro, "Quandiu hîc ſumus, habemus ſpes egre- "gias, poſtquam autem eo diſceſſerimus, "non eſt in noſtra poteſtate agere pœni- "tentiam, neq; abſtergere noſtra [peccata.] Et homilia 75. in Matthæum dicit pœnitentiam poſt mortem eſſe inutilem.

Et homilia quarta in epiſtolam ad Hebræos, loquens de funalibus accenſis, & "ſplendore funerum. Quid (inquit) ſibi "volunt ſplendidæ faces, niſi quod proſe- "quimur athletas? Quid hi hymni? Non- "ne Deum glorificamus, & ei gratias agi- "mus quòd coronauerit eum qui diſceſſit? His conſona habet Homilia 13. in epiſtolam ad Philippenſes.

Gregorius Nyſſenus libro de Dormientibus. *Poſt mortem ſoluto bello quod in nobis eſt, pacem mens agitat.* Et lib. de Virginibus c. 3. de virginis anima hæc ait. *Cum ſoluta fuerit tunc eſt cum Chriſto.*

Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 25. *Non eſt locus medius, vbi non ſit in ſupplicio, qui illo non fuerit conſtitutus in regno.*

Et lib. de vanitate ſæculi cap. 1. Sci-

tote quod cum anima à corpore euellitur, "
aut in paradiſo pro meritis bonis colloca- "
tur, aut certè pro peccatis in inferni Tar- "
tara pręcipatur. In margine additur, *Vbi* "
nunc Purgatorium?

Et Sermone ſecundo de Conſolatione mortuorum Tomo IX. Recedens anima "
ab Angelis ſuſcipitur & collocatur in ſinu "
Abrahami ſi fidelis eſt, aut in inferni car- "
ceris cuſtodia, ſi peccatrix. Et epiſtola 57. "
ad Dardanum. Angelis aggregandi & "
coæquandi ſumus, cum finita peregrina- "
tione quod promiſſum eſt ſumpſerimus. "

Et Sermone 18. de verbis Apoſtoli. Duæ ſunt habitationes, vna in igne æter- "
no, altera in regno æterno. "

Et Sermone 232. qui eſt contra ebrieta- "
tem. Nemo ſe decipiat, fratres, duo enim "
loca ſunt, & tertius non eſt vllus. Qui cum "
Chriſto regnare non meruerit, cum dia- "
bolo abſque vlla dubitatione peribit. "

Et lib. primo de meritis peccatorum & remiſſione cap. 28. Nec eſt vllus vlli me- "
dius locus vt poſſit eſſe niſi cum diabolo "
qui non eſt cum Chriſto. "

Et Hypognoſtici lib. 5. Primum locum "

"fides Catholica diuina authoritate re-
"gnum credit eſſe cœlorum, vnde non ba-
"ptiſatus excipitur: Secundum gehennam
"vbi omnis Apoſtata, vel à Chriſti fide alie-
"nus æterna ſupplicia experietur. Tertium
"PENITVS ignoramus, immo nec eſſe in
"Scripturis ſanctis inuenimus. Bellarmi-
"nus lib. de Scriptorib. Eccleſiaſticis, ſub-
"dubitat an hi libri Hypognoſtici ſint Au-
"guſtini, dicit tamen eſſe eruditos & vtiles,
"& vetuſti auctoris. Sanè planè redolent
"phraſim Auguſtini.

Sententiarum Proſperi Aquitani ſelectarum ex Auguſtino ſententia 148. hęc eſt, Mors piorum finis eſt ad mala temporalia, & tranſitus ad vitam æternam.

Claudat agmen Gregorius I. Epiſcoporum Rom. celeberrimus. Is lib. 13. Moral.
"in Iobum c. 20. hęc ait. Quia auctoris no-
"ſtri gratia redēpti ſumus, hoc iam cæleſtis
"muneris habemus vt cum de carnis noſtrę
"habitatione ſubtrahimur MOX ad cę-
"leſtia pręmia ducamur. Quę ſentētia parū
eſt conſona fabulis de purgatione animæ Paſchaſij Diaconi in fumo balneorum angularium, lib. 4. Dialogorum cap. 40.

CAP. XIX.

Patres non ſibi conſtare, & aliquando docere animas piorum deſcendere ad inferos, & non admitti in cælum ante diem reſurrectionis.

SVper ſtatu animarum poſt mortem Veteres mirè fluctuant, & à ſe poſita conuellunt, nec inter ſe ſunt concordes, nec cum Dei verbo, nec ipſi ſecum. Nam qui (vt vidimus) cenſent animas ſimul ac exceſſerunt corpore admitti in cęleſtem gloriam, tamen non rarò aliter ſentiunt, & à pia ſanctaque doctrina deſciſcunt: idque Pontificij ipſi agnoſcunt. Aut enim animas locant apud inferos in communi cum reprobis cuſtodia. Aut eas abdunt occultis receptaculis, in quibus expectant reſurrectionem & admiſſionem in gloriam. Omnes tamen à Purgatorij igne ſunt alieniſſimi.

Iuſtinus Martyr dialogo cum Tryphone Iudęo pag.239. ſe Chiliaſtam eſſe apertè profitetur, & damnat eos qui maledicere audent Deo Abrahami, Iſaaci, Iacobi:

& dicunt non eſſe mortuorum reſurrectionem, verùm ſimulac moriuntur cenſent animas in cœlum recipi. Et hic quidem auctor eſt antiquiſſimus, ſcripſit enim circa annum Chriſti 145.

Irenæus Lugdunenſis Epiſcopus annis quinquaginta Iuſtino poſterior, cenſet oportere animas piorum deſcendere ad inferos & ibi manere vſque ad reſurrectionem, vt fiant Chriſto conformes qui deſcendit ad inferos. Eius verba hæc ſunt "lib.5. aduerſus hęreſes cap.25. Manifeſtum "eſt quod & diſcipulorum Chriſti, propter "quos hęc operatus eſt Dominus, animæ "abibunt in inuiſibilem locum definitum "eis à Deo, & ibi ad reſurrectionem com"morabuntur.

Tertullianus quin idem ſenſerit dubitari non poteſt. Libro de anima cap.55. ait ſe ſcripſiſſe librum *in quo*(inquit)*conſtituimus omnem animā ſequeſtrari apud inferos in diem Domini*. Et cap.58. *Omnes ergo animæ penes inferos, inquis? Reſpondet. Velis nolis & ſupplicia iam illic & refrigeria*, &c. *Cur enim non putes animā & puniri & foueri in inferis, interim ſub expectatione vtriuſque*

triuſque iudicij in quadam vſurpatione & candida? Et contra Marcionem lib.4.cap. 34. dicit *ſinum Abrahami eſſe regionem ſi non cæleſtem, ſublimiorem tamen inferis, interim refrigerium præbiturã animabus iuſtorum, donec conſũmatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat.*

Origenes inuentor Purgatorij diabolorum, libro 2. περὶ ἀρχῶν cap. 12. animas ſanctorum locat in paradiſo terreſtri. Puto (inquit) quod ſancti quique diſcedentes ex hac vita permaneant in loco aliquo in terra poſito, quem paradiſum dicit Scriptura diuina, veluti in quodam eruditorio, & vt ita dixerim auditorio vel ſchola animarum.

Tertulliani operibus aſſutus eſt liber Nouatiani de Trinitate, vbi hæc habentur cap. 1. Quæ infra terram iacent, neque ipſa ſunt digeſtis & ordinatis poteſtatibus vacua. Locus enim eſt quo piorum animæ impiorumque ducuntur, futuri iudicij præiudicia ſentientes.

Lactantius lib. 7. c. 21. Nec quiſquam putet animas poſt mortem protinus iudicari. Nam omnes in vna communique

"cuſtodia detinentur, donec tempus adue-
"niat quo maximus iudex meritorum fa-
"ciat examen.

Prudentius poëta, hymno pro exequijs defunctorum, animas locat in paradiſo terreſti, ſic canens. Patet ecce fidelibus "ampli Via lucida iam paradiſi. Licet & "nemus illud adire Homini quod ademe-"rat anguis. Scripſit autem circa annum Chriſti 380.

Sixtus Senenſis Bibliothecæ lib. 6. Annotatione 345. citat Victorinum dicentem animas occiſorum, id eſt martyrum, eſſe ſub altarî, id eſt ſub terra. Idemque Sixtus Victorino addit Theodoretum, Aretam, Œcumenium, Theophylactum, Euthymium.

Hilarius hic diſertus eſt in Pſal. 138. "Humanæ iſta lex neceſſitatis eſt, vt ſepul-"tis corporibus, ad inferos animæ deſcen-"dant. Quam deſcenſionem Dominus ad "conſummationem veri hominis non re-"cuſauit. Et in Pſalmum ſecundum, ſub "finem. Iudicij dies vel beatitudinis retri-"butio eſt æterna, vel pœnæ. Tempus verò "mortis habet interim vnumquemque ſuis

legibus,dum ad iudicium vnumquemque" aut Abraham reſeruat aut pœna. His ſi-" milia dicit in Pſalmum 120. ſub finem.

Adde Ambroſium lib. de bono mortis cap. 11. vbi de piorum animabus à corpore ſeparatis ſic ſcribit. Incipiunt intelligere" requiem ſuam,& futuram ſui gloriam prę-" uidere, eaque ſe conſolatione mulcentes" in habitaculis ſuis cum magna tranquilli-" tate requieſcunt."

Et cap. 10. Scriptura habitacula illa" animarum prõptuaria appellauit. Et pau-" lo poſt. Iuſti qui præceſſerunt, videntur" vſque ad iudicij diem per plurimum tem-" poris debita remuneratione fraudari. Li-" bro verò de Cain & Abel cap. 2. hæc ait." Soluitur corpore anima & poſt finem vitæ" huius adhuc tamen futuri iudicij ambi-" guo ſuſpenditur."

Nec aliter Chryſoſtomus homilia 39. in primam ad Corinthios. Etiam ſi ma-" neat anima, etiamſi vel millies ſit immor-" talis, vt ſanè eſt, tamen ſine carne non ac-" cipiet ineffabilia illa bona, quemadmo-" dum neque punietur. Et inde probat" neceſſariam eſſe reſurrectionem corpo-"

rum, quia niſi caro reſurgeret anima maneret ἀϛιφάνωτος & expers gloriæ cæleſtis. Et homilia 28. in epiſtolam ad Hebræos ait Abelem & Noam nondum accepiſſe coronam.

Sermone vero ſeptimo aduerſus Gentes diſputat acerrimè aduerſus Manichæos dicentes ſingulis repręſentari remunerationem ſtatim ab exceſſu animæ à corpore: & negat latronem receptum in cæleſtem gloriam, ſed in paradiſum, quem putat diuerſum eſſe à cæleſti beatitudine.

Legendus etiam Gregorius Nyſſenus oratione quinta de Beatitudine: editionis Pariſienſis pag. 809.

Hieronymi hæc ſunt, commentario in " Oſeæ cap. 13. Inter mortem & inferos hoc " intereſt. Mors eſt qua anima ſeparatur à " corpore. Infernum locus eſt in quo ani" mæ recluduntur ſiue in refrigerio, ſiue in " pœnis pro qualitate meritorum.

Adde Auguſtinum qui cum de admiſſione animarum piarum in cęlum ſtatim à morte multa præclara dicat, vt probauimus, idem tamen ſui immemor aliquando vulgaris erroris torrente abreptus à ſe

diſſidet. In Pſalmum 36. hæc ait. Poſt vi- "
tam iſtam paruam nondum eris vbi erunt "
ſancti, quibus dicetur Venite benedicti, "
&c. Nondum ibi eris, quis neſcit? "

Et lib. 12 de Ciuitate Dei cap. 9. Hæc "
pars ciuitatis Dei quæ coniungenda eſt "
immortalibus Angelis ex mortalibus ho- "
minibus congregatur, & nunc mortaliter "
peregrinatur in terris, vel in eis qui mor- "
tem obierunt ſecretis animarum recepta- "
culis ſedibuſque requieſcit. "

Et Enchiridio ad Laurentium cap. 109. Tempus quod inter hominis mortem & "
vltimam reſurrectionem interpoſitum "
eſt, animas abditis receptaculis continet, "
ſicut vnaquæque digna eſt vel requie vel "
ærumna. "

Lib. 14. de Trinitate cap. 19. differt viſionem Dei vſque ad diem reſurrectionis.

Bernardus Sermone quarto feſtiuitatis omnium Sanctorum. Aduertitis ni fal- "
lor, ex his quæ precedente ſermone ſunt "
dicta, tres eſſe ſtatus animarum, primum "
videlicet in corpore corruptibili, ſecun- "
dum ſine corpore, tertium in beatitudine "
conſummata: primum in tabernaculis, ſe- "

"cundum in atrijs, tertium in domo Dei.
"Addit. In illam beatiſſimam Dei domum
"animæ nec ſine nobis intrabunt, nec ſan-
"cti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne.

Sed quid multis opus eſt, cum hæc fuerit ſententia Papæ Iohannis XXII. animas non viſuras Deum ante reſurrectionem, teſte Adriano Papa in quęſtione de Confirmatione. Et Guillelmo Okam in opere nonaginta trium dierum, & alijs quamplurimis? Bellarminus lib.4.de Romano Pontifice cap. 14. hunc Iohannem
"ſic excuſat. Reſpondeo Ioannem hunc re,
"vera ſenſiſſe animas non viſuras Deum ni-
"ſi poſt reſurrectionem, cæterum hoc ſen-
"ſiſſe quando adhuc ſentire licebat. Nulla
"enim adhuc præceſſerat Eccleſię definitio.
Quæ verba ſunt apprimè notanda, & digna ſcribi vncialibus characteribus. Inde enim ſequitur ante hunc Iohannem, id eſt per annos à Chriſto 1275. non debuiſſe inuocari ſanctos, quandoquidem toto illo tempore nulla erat Eccleſiæ definitio an ſancti eſſent compores gloriæ, & Dei viſione fruerentur.

Ex his omnibus lector prudens colli-

get quàm alieni fuerint veteres à Purgatorio Eccleſiæ Romanæ. Nam quotquot ſunt qui ita ſentiunt, tertium illum locum ſeu ſtatum & conditionem animarum in quam recipiuntur animæ fidelium extendunt vſque ad diem reſurrectionis, & vocant ſinum Abrahami, aut paradiſum terreſtrem, aut altare Dei, aut ſecreta receptacula, aut auditorium, aut expectationem in candida, aut cuſtodiam in quam animæ ſequeſtrantur. Quorum omnium nihil quadrat in Purgatorij ignem: immo omnia ab eius natura qualis fingitur planè abhorrent. Nec in tota vetuſtate inuenitur exemplum animæ quam Pontifex per Indulgentias extraxerit purgatorio & in cœlum tranſtulerit.

CAP. XX.

De Mora & acceleratione reſurrectionis Patrum quorundam ſententia.

NEc diſſimulandus eſt alius veterum error, qui ſomniauerunt omnes homines non reſurrecturos eodem die, ſed alios

citius,alios tardius,prout vnaquæque meruit longiorem pœnam & opus habet maiori purgatione: Nam maturiorem reſurrectionem ponebant inter Dei beneficia, & precantes pro amicis aut propinquis defunctis, petebant à Deo vt prius alijs reſurgerent,nec tarditate ſeu mora reſurrectionis Deus eorum peccata puniret.

Tertullianus libro de anima cap.vltimo, per carcerem de quo Matth. 5. vnde non datur egreſſus niſi poſt ſolutum nouiſſimũ quadrantem intelligit inferos, & dicit „ ſolui nouiſſimum quadrantem,modicum „ quodque delictum mora reſurrectionis il„ lic luendo.

Et libro de Monogamia cap.10.de mu„ liere vidua ſic loquitur. Enimuero & pro „ anima eius orat &refrigerium interim ad„ poſtulat & in prima reſurrectione conſor„ tium.

Id comprecatur Ambroſius Gratiano „ &Valētiniano mortuis* Te quęſo ſumme „ Deus vt chariſſimos iuuenes matura reſur„ rectioue ſuſcites & reſuſcites, vt immatu„ rum hunc vitæ iſtius curſum matura reſur„ rectione compenſes.

* Orat. Funeb. de obitu Valent.

Gregorius Nyſſenus lib. de anima & reſurrectione. pag. 687. Editionis Pariſ. *Differentia vitæ quæ vel cum virtute, vel cum nequitia vitioque tranſigitur poſthac maximè per hoc oſtenditur, quòd citius aut tardius quis beatitudinis quæ ſperatur particeps fiet.*

Fluxit hic error ab Origene qui purgationem impiorum per ignem voluit longiorem futuram aut breuiorem, pro grauitate & multitudine peccatorum.

CAP. XXI.

De purgatione per ignem vltimi iudicij. Veterum error.

EX eodem fonte prodijt error, de purgatione peccatorum per ignem vltimi iudicij, quam purgationem credidit Origenes & multi veteres. Diſcrimen eſt quod Origenes voluit impios, immo & diabolos hoc igne purgari, & tandem ad ſalutem peruenire. At veteres hanc purgationem per ignem reſtringunt ad ſolos pios. Volunt, pios quando ſiſtentur coram

Chriſti tribunali examinandos & explorandos igni horrẽdo, vt quicquid ei; ineſt labis expurgetur, & conſumatur.

Lactantius lib. 7. cap. 21. *Iuſtos cùm iudicauerit Deus, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere vel numero præualuerint perſtringentur igni atque amburentur. Quos autem plena iuſtitia & maturitas virtutis incoxerit ignem illum non ſentient.*

Ambroſius Sermone 3. in Pſal. 118. multa habet in eam rem, & dicit oportere, *vt vnuſquiſque noſtrũ vſtus rõphęa illa flãmea, non exuſtus, ingreſſus in illam paradiſi amœnitatem gratias agat Domino ſuo, dicens Induxiſti nos in refrigerium.* Et Sermone 20. *Omnes oportet per ignem probari quicunque ad paradiſum venire deſiderant. Non enim otioſè ſcriptum eſt quod eiectis Adam & Eua de paradiſi ſede poſuit Deus in exitu paradiſi gladium igneum verſatilem. Omnes oportet tranſire per flãmas, ſiue ille Ioanne Euangeliſta ſit, quem ita dilexit Dominus,* &c. *Siue ille ſit Petrus qui claues accepit regni cælorum,* &c. Et in Pſal. 36. *Igne ergo purgabuntur filij Leui, igne Ezechiel, igne*

Daniel. Sed & hi etſi per ignem examinabuntur, dicent tamen Tranſiuimus per ignem & aquam.

Hilarius in Pſal. 118. litera Gimel ne ipſam quidem Virginem Mariam excipit, ſic ſcribens. An cum ex omni otioſo " verbo rationem ſimus præſtituri, diem " iudicij concupiſcimus, in quo nobis eſt " indefeſſus ille ignis obeundus? In quo " ſubeunda ſunt grauia illa expiandæ à " peccatis animæ ſupplicia? Beatæ Ma- " riæ animam gladius pertranſibit vt re- " uelentur multorum cordium cogitatio- " nes. Si in iudicij ſeueritatem capax illa " Dei virgo ventura eſt, deſiderare quis " audebit à Deo iudicari? Aſperè id qui- " dem & inhumaniter. An Chriſtus matrem ſuam igne torreret, aut exploraret?

Idem ſecũdo Canone in Matthæum. Baptizatis in ſpiritu ſancto reliquum ſit " conſummari igne iudicij. "

Origenes homilia 3. in Pſal. 36. Opi- " nor oportere veniamus omnes ad hunc " ignem, ſiue aliquis Paulus, ſiue Petrus. "

Gregorius Nazianzenus Sermone de Baptiſmo qui eſt 42. Quis mihi ſponſor "

"erit, iudicium illud nos non exceptu-
"rum, vtpote adhuc debitores & opus ha-
"bentes vſtione quæ illic erit?

Baſilius cap. 15. libri de Spiritu ſancto, per baptiſmi ignem Matth. 3. vult intelligi explorationem ſeu examen quod fiet die iudicij. Et cap. 29. *Feſtinemus ad perfectionem quæ fiet per ignem.*

Bellarminus Hieronymum hoc errore inuoluit. Nam lib. de Purgatorio cap. 3. §. *Secundo*, agens de ſenſu verbo-
"rum Malachiæ, Ipſe ſedebit quaſi ignis
"conflans, hæc ait, Hic, vt rectè exponit
"Hieronymus, agitur de tribulatione quę
"præcedet diem iudicij ad purganda pec-
"cata fidelium. Quibus verbis Ieſuita comprobat Hieronymi de futuro illo igne ſententiam.

Sed nemo hac in re Auguſtino diſertior. Is libro 20. de Ciuitate Dei cap. 25.
"Ex his (inquit) quæ dicta ſunt videtur
"euidentius apparere in illo iudicio quaſ-
"dam quorundam pœnas purgatorias fu-
"turas. Et ibid. Area per iudicium pur-
"gata nouiſſimum, eis quoque igne mun-
"datis quibus talis mūdatio neceſſaria eſt,

Et cap. 26. dicit. igne iudicij nouiſſimi " mundandos eos qui offerunt hoſtias in " iuſtitia. Et lib. 16. de Ciuitate Dei c. 24. " Significat iam in fine ſæculi per ignem " iudicandos eſſe carnales. Et Ibid. Signi- " ficatur iſto igne [qui apparuit Abraha- " mo] dies iudicij dirimens carnales per " ignem ſaluandos, & igne damnandos. " Et 25. cap. lib. 20. Ex his quæ dicta ſunt " videtur euidenter apparere in illo iudi- " cio, quaſdam quorundam pœnas pur- " gatorias futuras. Lemma capitis tale eſt. " *De prophetia Malachiæ qua iudicium vltimum declaratur.*

Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 15. * Venit filius hominis in nubibus trahēs " fluuium ignis ad explorandos homines. "

CAP. XXII.

Aduerſariorum confeſſio.

PLVRIMI inter aduerſarios, tanto veterum conſenſu conſtricti in eorum ſententiam conceſſerunt, & ſe

* πυρὸς δοκιμαστικὸν τῶν ἀνθρώπων.

hanc purgationem per ignem nouiſſimi iudicij credere non obſcurè profitentur.

Bellarminus lib. 1. de Purgatorio c. 3. §. *Decimus*. vt probet purgatorium affert "verba Malachiæ cap. 3. Ipſe ſedebit "quaſi ignis conflans. Pœna (inquit) illa "purgatoria non eſt ea de qua nunc agi-"mus, nam ille purgabit viuentes, nos au-"tem agimus de pœna mortuorum. Tum "addit. Tunc (id eſt die iudicij) pręcedet "tribulatio grauiſſima, & poſtea ignis deſ-"cendet, & purgabit celerrimè omnes re-"liquias peccatorum, in hominibus iuſtis. Nempe Bellarminus duo ponit purgatoria, vnum ſtatim à morte, alterum die iudicij. Poſteriori vult purgari peccata: priori verò quæ peccata purgentur non potuit dicere. Fatetur autem hunc Malachiæ locum, non agere de Purgatorio de quo inter nos & Eccleſiam Romanam controuertitur.

Idem lib. 2. de Purgat. cap. 1. §. *Adde*. "Aliqui Patrum per ignem non intelli-"gunt ignem purgatorij ſed ignem vlti-"mi iudicij, quomodo loquitur Paulus

1. Cor. 3. cum ait, Vniuſcuiuſque opus" quale ſit ignis probabit. Et hoc modo" fatendum eſt omnes Sanctos Chriſto" excepto per ignem tranſire: Vbi duo" notanda ſunt. Ieſuitam tueri ignem purgatorium vltimi iudicij teſtimonio Apoſtoli, Alterum eum neminem excipere ab hoc igne, ne Beatam quidem Mariam.

Eſtius Comment. in 3. cap. 1. ad Cor. pag. 273. Quæſtio eſt quando futurum" ſit illud quod dicit Apoſtolus, Ipſe au-" tem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per" ignem. Reſpondeo id futurum in die" Domini id eſt extremi iudicij. Et p. 271." De purgatione quę per ignem futura eſt" in die magni iudicij patres Malachiæ" locum intellexerūnt. "

Cornelius à Lapidè Cōment. in 3. cap. 1. ad Corinth. pag. 225. Ignis de quo A-" poſtolus hic agit, proprie eſt ignis con-" flagratorius mundi. Patet, quia erit in" die Domini id eſt iudicij extremi. "

Barradius Ieſuita Cōment. in Euangelia Tomo 3. pag. 509. loquens de igne extremi iudicij. Secunda ignis opera-"

"tio erit iuſtorum purgatio. Illi enim "qui aliquibus peccati fæcibus inquinati "fuerint hoc igne expiabuntur.

Sententiam ſuam tuetur Ieſuita teſtimonio Gloſſæ ordinariæ, cuius hæc "ſunt verba in 2. ad Theſſal. cap. 1. Ignis "erit in mundo qui præcedet Chriſtum, "qui exuret terram & purgabit electos. Et id confirmat authoritate Thomæ "Aquinatis, ſic loquentis. Boni in qui"bus aliquid purgandum reperietur ſen"tient cruciatum doloris ex igne illo, plus "vel minus pro meritorum diuerſitate.

Viderint Theologi Romanenſes quo pacto ignis ille vltimi iudicij poſſit conciliari cum Purgatorio Eccleſiæ Romanæ, in quo cenſent animas eſſe perfectè iuſtas & expertes peccati. Id ſi verum eſt quid opus eſt ſecundo purgatorio in quo reliquiæ peccati ipſis inhærentes expurgentur?

CAP.

CAP. XXIII.

Error Hieronymo peculiaris.

SEnſit Hieronymus nequiſſimos quoſque & maxime impios & qui ad mortem vſque fuerunt impœnitentes, dummodo ſint baptizati, & Chriſtiani, & ab Eccleſia nũquam ſeceſſerint, tandem ſeruari, poſt pœnas & purgationem in igne. Eius commentariorum in Eſaiam vltima pericope hæc eſt. Peccatorum atque impiorum & tamen Chriſtianorum, quorum opera in igne probanda ſunt, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ ſententiam iudicis. Hic quidem vir ſanctus grauiter cæſpitauit. Nam certum eſt impium Chriſtianum, eſſe quouis Ethnico deteriorem. Hic Deum non cognoſcit, ille Deo inſultat, & fœdus Dei in quod admiſſus eſt conſpuit. Hic errat in tenebris, ille aberrat ſponte in clara luce, & religionem Chriſtianam infamat. Plus Deo debet qui plura accepit: Ideo nequior quia ingratior.

Meritò ergo Hieronymus, & quiſquis cum eo ſentit ab Auguſtino reprehẽditur. " Enchiridij cap. 67. Creduntur (inquit) " ij qui baptiſati ſunt, & ab Eccleſia nullo " ſchiſmate vel hæreſi præciduntur in quan- " tiſlibet ſceleribus viuant quæ nec diluant " pœnitendo, nec eleemoſynis redimant, " ſed in eis vſque ad huius vitæ vltimum " diem pertinaciſſimè perſeuerent ſalui fu- " turi per ignem, licet pro magnitudine fa- " cinorum flagitiorumque diuturno, non " tamen æterno igne puniri. Sed qui hoc " credunt & tamen Catholici ſunt, humana " quadam beneuolentia mihi falli viden- " tur. Nam diuina ſcriptura aliud conſulta " reſpondet.

Hunc eundem errorem impugnat vir ſanctus libro de octo quæſtionibus Dulcitij quæſt. 1.

CAP. XXIV.

Cypriani locus elucidatur.

AD Purgatorij patrocinium trahuntur verba Cypriani Martyris, epiſto-

ſa ad Antonianum 52. Eius verba ſunt. "Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire; aliud miſſum in carcerem non exire inde donec ſoluat nouiſſimum quadrantem. Aliud ſtatim virtutis & fidei accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne. Aliud peccata omnia paſſione purgaſſe: aliud denique pendére in die iudicij ad ſentētiam Domini: aliud ſtatim à Domino coronari. "

Quis ſit ſenſus horum verborum, & quæ mēs ſancti martyris, tota epiſtolæ textura demonſtrat. Quidam aſperiores in lapſos, criminabantur Cyprianum & Eccleſiam Carthaginienſem quod libellaticos * ad pœnitentiam publicam admitterent, & ſacrificatis in exitu ſubuenirent. Dicebant inde frangi Chriſtianorum conſtantiam, & laxari vincula diſciplinæ, & data ſpe facilis veniæ, homines perpaucos fore qui animum obfirmarent ad martyrium: Eos qui ſe polluerant ſacrificijs ido-

* Libellatici dicebantur qui cum libello teſtati fuiſſent Magiſtratui ſe Chriſti fidem abnegare, à Magiſtratu libellum ſecuritatis accipiebatn. Sacrificati erant qui ſe ſacrificio idolorum polluerant.

lorum æquari martyribus, quandoquidem vtriſque via ad ſalutem pariter complanaretur.

His reſpondet Cyprianus, per id non æquari pœnitentes publicos martyribus, & longè potiorem eſſe conditionem martyrum qui ſtatim coronantur, & admittuntur in gloriam, quam pœnitentium, qui obeundo omnes gradus pœnitentiæ publicæ, longo dolore affligebantur, & longæ ac laborioſæ pœnitentiæ ſatisfactione cruciabantur: Quem cruciatum vocat purgationem per ignem. Phraſi apud veteres vſitata, qui dolores & ærumnas vitæ præſentis ſolent appellare purgationem per ignem: vt probauimus.

Perperam igitur hic locus trahitur ad purgationem flãmæ per ignem poſtquam anima corpore exceſſit, cum Cyprianus agat de purgatione quæ fit in hac vita. Adde quod vir ſanctus dicit hos pœnitentes qui hoc igne purgantur ſtare ad veniam, id eſt expectare remiſſionem peccatorum: At aduerſarij volunt animabus purgatorianis omnia peccata & omnem culpam eſſe remiſſam antequam ingrediantur

purgatorium. Nec pendent ad ſententiam iudicis, quippe quas aduerſarij volunt certas eſſe de remiſſione peccatorum & ſalute. An Cyprianus ſibi ipſe aduerſaretur qui tam ſępe & tam diſertè affirmat, animas fidelium ſtatim à morte recipi in cœleſtem gloriam, vt probauimus? Totus eius liber de mortalitate in hoc argumento verſatur, nulla facta mentione purgatorij. Nec omittendum eſt quod Cyprianus loquitur de carcere, ex quo nemo egreditur niſi poſt perſolutum vltimum quadrantem. Eſt ergo hic carcer diuerſus à carcere purgatorij Eccleſiæ Romanæ, ex quo Papa per indulgẽtias liberat animas, ante ſolutionem vltimi quadrantis. Ad hęc accedit quod Cyprianus loquitur de carcere in quem pœnitentes ſpontè ingrediebantur. At nemo ipſeſe ſponte pręcipitat in fornacem ardentem purgatorij Romani. Adde quod Cyprianus loquitur de dolore per quem emendantur pœnitentes: At aduerſarij docent in purgatorio animas non emendari nec fieri iuſtiores.

CAP. XXV.

Auguſtini hæſitatio ſuper ſtatu animarum piarum, & earum pœnis.

PVrgatorij ignis ſtatim à morte nullam inuenio apud Auguſtinum mentionem. De purgatione tamen animarum & pœnis, aliquando loquitur vt ſubdubitans, & vt de re parum explorata.

Enchiridij ad Laurentium cap. 68. quærit quis ſit ille ignis de quo Apoſtolus 1. Cor. 3. dicit *Saluabitur quaſi per ignem*; & cenſet per hunc ignem intelligi tribula- « tiones vitæ pręſentis. Eſt quidem (inquit) « ignis tentatio tribulationis. Iſte ignis fa- « cit in hac vita quod Apoſtolus dicit, &c. Inde verò occaſionem arripit quærendi an talis vlla ſit purgatio per ignem poſt « mortem. Tale aliquid (inquit) etiam « poſt hanc vitam fieri incredibile non eſt, « & vtrum ita ſit quæri poteſt. Et aut inue- « niri, aut latere nõnullos fideles per ignem « quendam purgatorium quantò magis mi- « nuſue bona pereuntia dilexerunt tantò

tardius citiuſue ſaluari. "

Libro de octo quæſtionibus Dulcitij quæſt. 1. Siue ergo in hac tantum vita iſta " homines patiuntur, ſiue etiam poſt hanc " vitam alia quædam iudicia ſubſequuntur, " non abhorret, quantum arbitror, à ratione " veritatis intellectus huius ſententiæ. Et " ibi per vſtionem per ignem putat intelligendum dolorem ex amiſſione rerum temporalium quamuis licitarum.

Lib. 2 quæſt. Euangelicarum quæſt. 38. Quanquam illa receptio [in cœlum] vtrum " ſtatim poſt iſtam vitam fiat, an in fine ſæ- " culi in reſurrectione mortuorum, & vlti- " ma retributione iudicij dubitari poteſt. "

Lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 26 Deli- " cias huiuſmodi amoreſque terrenos, pro- " pter coniugalem quidem copulam amo- " reſque terrenos tribulationis ignis exuret, " ad quem ignem pertinent & orbitates & " quæcunque calamitates quæ auferent hæc. "

Et ibidem. Si eiuſmodi ignem alij " ſentiant qui eiuſmodi ſecum ædificia " portauerunt, ſiue ibi tantum, ſiue & hic & " ibi, ſiue ideo hîc vt non ibi, &c. non re- " darguo, quia forſitan verum eſt. Poteſt "

" quippe ad iſtam tribulationem pertinere
" etiam ipſa mors carnis, &c. & in fine ſæcu-
" li tribulatio tempore Antichriſti.

" Eiuſdem libri cap. 13. Nos vero etiam
" in hac quidem mortali vita eſſe quaſdam
" pœnas purgatorias confitemur.

De purgatione verò per ignem quam credidit futuram die reſurrectionis, ante prolationem ſententiæ iudicis ſic loquitur lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 25.
" Ex his quæ dicta ſunt videtur euidentius
" apparere in illo iudicio quaſdam quorun-
" dam pœnas purgatorias futuras. Titulus capitis admonet Auguſtinum agere de purificatione quæ fiet igne vltimi iudicij. Et eo trahit ſententiam Malachiæ cap. 3. ℣. 2. Quas pœnas anteceſſuras iudicium, id eſt prolationem ſententię iudicis dicit lib. 21.
" cap. 16. Purgatorias (inquit) pœnas nul-
" las futuras opinetur niſi ante illud vlti-
" mum tremendumque iudicium.

Denique in Auguſtino inuenio duas ſpecies ignis purgatorij, quarum prima eſt tribulatio ſiue ærumnæ vitæ pręſentis, altera conflagratio mundi die iudicij purgatura quicquid inerit labis pijs anima-

bus. At Purgatorij quale creditur in Eccleſia Romana,& Indulgentiarum quibus Papa animas extractas purgatorio tranſfert in cælum ne minimum quidem inuenio veſtigium.

Gregorius I. Epiſcopus Romanus qui dicit animas ſuffumigari in balneis vt in vaporario, & purgari peccatis, idem tamen Dialogorum lib. 4. cap. 39. probat eſſe purgatorium, quia Paulus dixit ſaluabitur quaſi per ignem. Sed mox in Auguſtini ſententiam concedens dicit, *hunc ignem de tribulationibus huius vitæ poſſe intelligi*, idque ſedulò perpendendum eſſe. Idem in primum Pſalmum pœnitentialem, & homilia 19. morbos ait eſſe ignem purgatorij. Et homilia quadrageſima ait Lazarum purgatum igne paupertatis.

CAP. XXVI.

De Precibus pro mortuis.

QVæcunque adferunt Pontificij ex Patribus ad præſidium Purgatorij fere omnia ducuntur ex precibus pro mor-

tuis, quas eſſe antiquiſſimas & vbique fuiſſe vſitatas negari non poteſt. Oportet ſit planè hoſpes in hiſtoria vetuſtatis & Patrum ſcriptis qui ea de re ambigit. Tertullianus ſcribebat circa annum à Chriſto nato ducenteſimum. Is libro de Corona militis cap. 3. * hæc ait, *Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus*: idque dicit haberi ex traditione non ſcripta. Indicio non obſcuro Tertullianum non agnouiſſe librum ſecundum Maccabæorum. Et libro de Monogamia vult vxorem orare pro anima mariti, vt quietem ei adpoſtulet. Fruſtra aduerſarij ponunt tantum operæ vt plauſtra locorum congerant quibus probent rem quam vltro concedimus. Magis fallerent ſi non fallerent. Semper enim fraudulenter rem gerunt. Nituntur falſo axiomate, & ponunt vt rem conceſſam, dum ſtatuunt eos omnes qui orant pro defunctis credere eos cruciari in Purgatorio. Ipſa Miſſa orat pro defunctis qui dormiunt in ſomno pacis. Auctor libri ſecundi Maccabæorum quo præcipuè nituntur aduerſarij dicit Iudam oraſſe pro mortuis in ſpem reſurre-

* Apud Iudinum & Iunium antiquiſſimis nulla mentio,

ctionis. Petebat à Deo vt reſurgerent ad ſalutem. Immo dicit fuiſſe rem abſurdem & vanam orare pro mortuis niſi ad reſurrectionem intendiſſet. Non ergo orauit vt liberarentur igne Purgatorij. Cuius ignis nulla vnquam fit mentio in Veteri Teſtamento, vt nec in Nouo.

Nunc quoque Eccleſiæ Grçcæ, antiquiores Eccleſia Romana, orant pro mortuis: & negant Purgatorium. Nilus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis ſcripſit librum aduerſus Latinorum Purgatorium. Fuitque in Concilio Ferrarienſi, tranſlato Florentiam, acerrima ſuper hac quæſtione inter Græcos & Latinos contentio.

Nec vlla eſt controuerſia in qua Pontificij plus abutantur teſtimonijs vetuſtatis quam in quæſtione de precatione pro mortuis. Nam ſi quis hodie precaretur pro defunctis eo modo quo veteres, is aut fatuus, aut hæreticus haberetur. Orabant veteres pro mortuis, vt maturiori reſurrectione reſurgerent: vel vt flãma iudicij vltimi leuius eos lamberet, & minus cruciaret: vel vt in receptaculis abditis aliquo ſolatio mulcerentur: vel vt ad ſalutem reſur-

gerent, & requiem æternam adipiſceren-tur.

Ipſa Eccleſia Romana nunquam precatur pro mortuis vt liberentur flãmis purgatorij. Sed petit vt defuncti pro quibus orat reſurgant ad gloriam. Sic enim orat. *Abſolue quæſumus animam famuli tui ab omni vinculo delictorum vt in reſurrectionis gloria inter ſanctos & electos tuos reſuſcitatus reſpiret.* Nec abſimilis eſt hæc altera precatio. *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis ne abſorbeat eas Tartarus.* Tales precationes non poſſunt concipi pro ſanctis qui ſunt compotes gloriæ: nec pro animabus Purgatorij, quas aduerſarij cenſent damnari non poſſe, & eſſe certas de ſalute æterna. Nec dici poteſt ad quid eis proſit hęc precatio. Mirum ſanè quod in eiuſmodi precibus omittitur quod creditur prodeſſe, & petitur quod non poteſt prodeſſe.

Hic vero Bellarminus mirè ſe implicat. Is lib. 2. de Purgat. cap. 5. §. *Verum.* dicit peti ne animæ quæ ſunt in purgatorio, abſorbeantur à Tartaro: quia ſupereſt iu-

dicium generale in quo ſecundam ſententiam accepturæ ſunt. Non vidit Ieſuita inde ſequi, orari poſſe pro animabus quæ nunc fruuntur cœleſti gloria, eis enim ſupereſt iudicium generale in quo ſecundam ſententiam accepturæ ſunt.

Sed nihil tam euidenter probat Veteris Eccleſiæ preces pro mortuis non habuiſſe hunc finem vt impetrarent liberationem animarũ ex igne Purgatorij, quàm quod orabatur pro Sanctis, pro Patriarchis, Prophetis, quos compingere in hunc carcerem Pontificij grande nefas arbitrarentur, quia non egent hac purgatione.

Libro 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum quæ Clementi Romano tribuuntur cap. 18. habemus formulam precationis publicæ, quæ fiebat in hæc verba. *Etiam offerimus tibi pro omnibus qui à ſæculo placuerunt tibi. Sanctis, Patriarchis, Prophetis, Iuſtis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, &c.*

Eadem habes apud Epiphanium hœreſ. 75. in qua Ærium accenſet hœreticis quod improbaret precationem pro mortuis. Cur autem in precibus Eccleſia mentio-

nem faceret Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Martyrum, &c. Epiphanius cauſas affert à Purgatorio Romano alieniſſimas. *Quod attinet* (inquit) *ad recitationem nominum defunctorum, quid debet eſſe antiquius, quid conuenientius aut admirabilius quam efficere vt aſtantes credant eos qui hinc profecti ſunt adhuc viuere? & * non eſſe redactos ad nihil? ſed exiſtere & viuere apud Dominum?* Addit aliam cauſam harum precationum, nempe vt exponatur hæc veneranda prædicatio iis qui orant pro fratribus, vtpote peregrinantibus ſpem eſſe repoſitam. Tertiam cauſam harum precum affert: nimirum quia quandiu ſumus in hac vita, obrepunt nobis cæſpitationes voluntariæ aut inuoluntariæ. Denique dicit fieri has preces vt Chriſtus à cæteris hominibus diſtinguatur, quandoquidem ſolus eſt pro quo non eſt orandum. Nihil hic de igne purgatorij, qui tamen hodie ſolus eſt finis orationum pro mortuis. Hic ergo Eccleſia Romana ſe adiungit Ærio: Nam cum Ærio has quatuor cauſas reſpuit & flocci facit. Commenta eſt aliud genus preca-

* ἐν ἀνυπαρξίᾳ.

tionum pro mortuis quæ Clero Romano & Papæ ſunt compendioſæ.

Epiphanio concinit Dionyſius qui falſô cognomine Areopagita nuncupatur. Cuius tamen opera ſunt antiqua. Libro Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap. 3. & 7. reddit rationem cur in ſacris myſterijs Eccleſia faciat cõmemorationem mortuorum qui ſanctè vixerunt & ad beatitudinem peruenerunt. Dicit autem eos ſic celebrari, vt viuentes & non vt mortuos, ſed qui trãſierunt à morte ad vitam diuinam. Dicit autem nomina illa pronuntiari immediatè poſt impoſita altari veneranda σύμβολα id eſt ſigna quibus Chriſtus ſignificatur & communicatur.

Harum quoque precum pro Sanctis defunctis meminit Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi Myſtagogica quinta. *Precamur* (inquit) *te omnes* ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων ἁγίων πατέρων καὶ ἐπισκόπων *pro ſanctis Patribus, & Epiſcopis qui ante nos obdormierunt.*

Similes preces habentur in Liturgijs Græcis, Marci, Baſilij, Chryſoſtomi Lutetiæ excuſis à Guillelmo Morellio anno

Chriſti 1560. Quarum etſi ſubleſta fides eſt, tamen hinc liquet tales preces fuiſſe vſitatas quando hæ liturgiæ ita concinnatæ ſunt.

Auguſtinus ſcripſit circa annum Chriſti 420. Is primus auſus eſt ſe opponere conſuetudini vbique receptæ. Nam Sermone 17. de Verb. Apoſtoli. Et lib. de octo quæſt. Dulcitij q. 2. dicit eum facere iniuriam Martyri qui orat pro Martyre. De Sanctis qui non ſunt paſſi martyrium nihil dicit. Vt vtſit, planum eſt totam Eccleſiam veterem quæ pro Sanctis & Martyribus orabat non oraſſe vt liberarentur flammis Purgatorij.

CAP. XXVII.

De Miſſis in honorem Sanctorum. Multos Sanctos in Eccleſia Romana contemni & contumelijs affici.

ECcleſia Romana putat orationes quæ fiunt pro ſanctis, eis prodeſſe. Perſperſum eſt Miſſale orationibus in quibus Deus rogatur vt ſacrificium quod in Miſſa offertur

offertur proſit Sanctis in honorem: Quo ſacrificio creditur Chriſtus offerri & ſacrificari. Quæ quidem doctrina Sanctos ſupra Chriſtum extollit. Quemadmodum enim cum damus eleemoſynam in honorem Chriſti, Chriſtum agnoſcimus eſſe maiorem & digniorem noſtra eleemoſyna, ita qui ſacrificat Chriſtum in honorem Sanctorum Sanctos ſupra Chriſtum extollit. Nec dici poteſt quid proſit ad honorem Sanctorum qui ſunt in cœlis, quod Chriſtus in terris ſacrificatur.

Bellarminus lib. 2. de Purgat. cap. 15. reſpondet Chriſtum ſacrificari in honorem Sanctorum, non vt eis aliquid petamus, ſed vt pro gloria eis collata Deo gratias agamus. Rem ſanè admirandam! Deo Patri ſacrificare Chriſtum ad agēdas Deo gratias quod Nicolao aut Barbaræ benefecerit.

Addit Ieſuita Eccleſiam non petere gloriam Sanctis vt illi in gloria creſcant, ſed vt apud nos gloria eorum creſcat, id eſt vt magis innoteſcant hominibus, & ab hominibus magis honorentur. At ipſe Bellarminus id refellit. Dicit enim in

animæ Leonis ſolemnitate ſolitam Eccleſiam Romanam ſic orare pro Leonis anima, *Annue quæſo Domine vt animæ Beati Leonis hæc proſit oblatio.* Et nunc quoque (inquit Bellarminus) in eodem feſto dicitur, *Sancti Leonis Confeſſoris tui atque Pontificis annua ſolemnitas nos tibi reddat acceptos, vt per hæc piæ placationis officia illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet.* Hæc quidem oratio non petit vt Leo magis ab hominibus honoretur, ſed vt illi beata retributio contingat.

Quomodo tamen Eccleſia Romana det operam vt Sancti magis honorentur & hominibus magis innoteſcant operæ pretium eſt cognoſcere.

Principiò de viginti aut triginta millibus Sanctorum qui ſunt in paradiſo, vix vnus aut alter notus eſt hominibus. His ſane Miſſa non prodeſt ad honorem.

Tum Sancti qui in Gallia honorantur, Fiacrus, Rigobertus, Maglorius, Clodoaldus, &c. Hiſpanis & Siculis ignoti ſunt. An cum Eccleſia Romana poſtulat à Deo vt Sanctorum gloria creſcat inter homi-

nes, petit vt hi Sancti Hiſpanis innoteſcant, & eis in Hiſpania Miſſæ cõſecrentur?

Quid quod ipſa Eccleſia Rom. in multos ſanctos eſt contumelioſa? Nam nomina multorum Sãctorum qui anteà inuocabantur, & qui in Miſſali Miſſas habebant nomini ſuo cõſecratas Papa eraſit ex Miſſali, cenſens eos indignos hoc honore. In veteri Miſſali quo Eccleſia Romana vſa eſt per aliquot ſæcula habentur aliquot Miſſæ Sanctorum Gallorum, & inter alias Miſſa Caroli Magni, qui tantopere locupletauit Eccleſiam Romanam. At anno Chriſti 1570. Pius V. Papa, eiuſque veſtigia ſecutus Clemens VIII. anno Chriſti 1604. recognouerunt Miſſale & hos Sanctos Gallos eraſerunt Miſſali, & noluerunt eorum amplius fieri mẽtionem in publico cultu; & alios nouos Sanctos Italos ſubſtituerunt magis exploratę ſanctitatis. Quod quidem proculdubio hi veteres ſancti indignè habiti tulerunt ægerrimè. Hi Papę non timuerunt, ne Sancti tam malè accepti apud Deum conquererentur & vindictam expoſcerent.

Quia autem plurimorum Sanctorum

nomina viuis hominibus ſunt ignota, hos Eccleſia Romana coniecit in turbam, & voluit eos feſto omnium ſanctorum eſſe contentos.

At quantæ & quam vecordis audaciæ eſt quod vernacula ſuperſtitio vnicuique Sācto ſuam aſſignauit prouinciam? Hunc præficiens iſti regioni, illum iſti vrbi? S. Hubertus curat morſos à canibus rabidis. S. Margareta aſſiſtit parturientibus, quę quidem Sancta nunquam fuit in viuis. Apollonia odontalgiæ medetur. Antonium inuocant ſubulci, Criſpinum ſutores, &c. Fortaſſe ſunt inter ſanctos qui indignantur ſibi ſordidam & exilem aſſignatam eſſe prouinciam. An Maria Magdalena putat ſibi eſſe honorificum, quod facta eſt patrona meretricum exoletarum? Et illa quidem hoc infami honore decoratur, eique ſub titulo meretricis pœnitentis Miſſa peculiaris eſt conſecrata: quæ canitur 22. die menſis Iulij, prælegiturque locus ex Lucæ capite ſeptimo vbi meretricis pœnitentia deſcribitur, quam tamen Lucas non nominat.

Mira ſane temeritate, & ad Sanctorum

iniuriam homines qui agunt in terris aſſignauerunt ſanctis qui ſunt in cœlo ſua munera peculiaria, quemadmodum ſi piſtores, aut ſutores ſe conſtituerent diribitores Officiorum Palatinorum imperij Romani. Enimuero quemadmodum Ethnici dixiſſent eum eſſe fatuum aut irriſorem, qui aquam petijſſet à Baccho, aut vinum à Nymphis, aut pudicitatem à Venere, ſic hodie cenſeretur mente captus, qui à Margareta quę obſtetricatur parturientibus peteret in bello victoriam, aut ab Apollonia quæ medetur dentibus felicem nauigationem, aut à Sancto Hiſpano felicitatem regis Galliæ.

Infantes baptizati immatura morte ſublati creduntur compotes cęleſtis gloriæ. Nemo tamen eos inuocat, nec vllus honor eis impenditur, ne à parentibus quidem & agnatis. An pro eis Eccleſia Romana orat, vt eis Miſſæ ſacrificium proſit ad honorem? Denique plurima ſunt in quibus Eccleſia Romana ſanctos iniuria afficit, aut de quorum honore parum eſt ſollicita.

Porro quam exilis ſit honor qui in Ec-

cleſia Romana tribuitur Patriarchis & Prophetis Veteris Teſtamenti, quibus ipſe Chriſtus teſtimonium perhibet, conſtat experimento. Nulla ipſis eriguntur templa, nulla eis ſtatuuntur altaria, nullæ aut rariſſimę eorum in Eccleſijs imagines, ne minimus quidem cereus eis accenditur, nec eorum fit mentio niſi in turba. Nec inuocantur ſinguli. Immo nec titulo Sanctorum honorantur. Hæ voces, Sanctus Abraham, Sanctus Moſes, Sanctus Dauid, Sanctus Daniel, Sanctus Eſaias ſunt in Eccleſia Romana planè inuſitatæ. Pauciſſimos homines inuenias qui his nominibus nuncupentur, niſi fuerint in noſtris Eccleſijs baptizati. Attamen longè ſuperant ſanctitate Franciſcum, Dominicum, Ianuarium, Iuniperum, Antonium de Padua, Ignatium Loyola, qui vix poſt ſexaginta à morte annos impetrauit vt Sanctus vocaretur, & catalogo Sanctorum à Papa inferretur. Multi ſanctitatis candidati paſſi ſunt repulſam, nec habuerunt Papam propitium.

LIBER OCTAVVS DE CLAVIBVS ET Ligatione & ſolutione.

CAPVT I.

Quid ſit clauis. Eius ſpecies.

DE poteſtate iudiciaria remittendi peccata qua Papa & Sacerdotes ſe iactant, prolixè egimus libro quarto. Sed quia aduerſarij claues obtendunt, & tinnitu clauium Eccleſia Romana perſtrepit, & poteſtatem ligandi & ſoluendi oſtentant, de his clauibus & ligatione ac ſolutione agendum eſt.

Principiò ſtatuendum eſt claues Eccleſiæ & poteſtatem ligandi & ſoluendi & re-

mittendi peccata datam Apoſtolis, debere eſſe perpetuam in Eccleſia: nec ſuper hac re nobis eſt cum Pontificijs controuerſia.

In virtute faciendi miracula & loquendi linguis diuerſis, Chriſtus non promiſit Apoſtolis ſucceſſores perpetuos. Nec opus fuit: quia illa ipſa miracula facta ab Apoſtolis adhuc proſunt, & quouis tempore conferunt ad cõfirmationem Euangelij. Non ſecus ac miracula facta in promulgatione legis, per ſequentia ſæcula creauerunt legi authoritatem, quamuis nulla tunc fierent miracula.

Idem de poteſtate ligandi & ſoluendi, & remittendi peccata dici non poteſt; quia remiſſio peccatorum eſt gratia perſonalis, & quæ datur ſingulis, nec ſucceſſione tranſmittitur ad poſteros. Nec aſſentimur Tertulliano, qui libro de Pudicitia cap. 21. poteſtatem clauium & remittendi peccata cenſet perſonaliter datam Petro, & ad alios non tranſmitti.

Quæ ſint claues datæ Paſtoribus Eccleſiæ docet Scriptura. Duæ ſunt clauium ſpecies. Vna eſt clauis ſcientiæ, altera eſt

clauis authoritatis ſeu poteſtatis & iuriſdictionis.

De claui ſcientiæ Chriſtus loquitur Lucæ cap. 11. dicens Doctores legis adſe traxiſſe clauem ſcientiæ, id eſt munus & facultatem aperiendi ſenſum Scripturarum, & introducendi alios in intelligentiam verbi diuini. Id ſignificant Iudæi quando aliquem promouent in gradum Doctoris & Rabini, inſerta in eius manum claui. Quæ inauguratio ſeu ordinatio *Semica* appellatur, ob impoſitionem manuum, Deuter. 34. 9. Numer. 27.18.

De claui authoritatis agitur Apoc. 3. 7. vbi dicitur Chriſtus habere clauem Dauidis, quo aperiente nemo claudit, quo claudente nemo aperit. Eſtque ſumpta hæc phraſis ex 22. cap. Eſaïæ, vbi Deus pollicetur Eliakimo ſe impoſiturum eius humero clauem domus Dauidis, id eſt eum futurum præfectum prætorio. Ibi enim non agitur de Sacerdotio, aut templi prefectura, vt putauit Bellarminus, * deceptus à vulgata verſione, quæ pro *prætorio* vertit *templum*.

Hæc duo clauium genera Chriſtus de-

* Bellar. lib. 1. de Rom. Pontif. c. 13. §. At nos.

dit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, dicens Petro, & ſub perſona Petri alijs Apoſtolis *Tibi dabo claues regni cælorum.* Matt. 16. 19. Nam paſtorum eſt aperire populo ſenſum Scripturæ, & gubernare Eccleſiam, quę frequenter in Nouo Teſtamento vocatur regnum cælorum, vt Matt. 11. 11. Et cap. 13. ℣. 44. & 45. & cap. 21. 43. Eſt enim impia Archiepiſcopi Patracenſis oratio, qui in Synodo Lateranenſi vltima auſus eſt dicere Papam habere omnem poteſtatem in cœlo & in terra, ſic alloquens Leonem X. Papam: *Nobiles in manicis ferreis cenſurarum conſtringe, quoniam tibi data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra.*

Hanc poteſtatem regendi Eccleſiam Paſtores exercent duobus modis. Nempe prędicatione Euangelij, cui adiuncta ſunt Sacramenta: Et exercitio ſeu vſu politiæ ſeu diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

Quatenus prędicant Euangelium non ſunt iudices, ſi propriè loquimur: ſed præcones gratiæ & adminiſtri, per quos Deus offert gratiam credentibus. Quapropter Apoſtolus 2. ad Corinthios cap. 5. 18. ſuum

munus vocat διακονίαν καταλλαγῆς *Miniſterium reconciliationis*, non verò *iudicium authoritatis*. Et ℣. 20. *fungimur legatione nomine Chriſti*. Legati autem non ſunt iudices.

Non eſt ergo Paſtorum remittere peccata coram Dei tribunali, & in foro conſcientiæ. Quod ſi aliquando dicuntur remittere peccata per prędicationem Euangelij ἀκυρολογία eſt, & Metonymica locutio, quemadmodum cum dicuntur *ſeruare animas*, 1. Cor. 9. 22. & 1. ad Tim. c. 4. 16. Immo id tribuitur omnibus pijs qui auertunt aliquem à via perditionis, Iacobi cap. 5. 20.

Secus eſt de poteſtate paſtorum in exercitio diſciplinæ Eccleſiaſticæ. Remittunt enim peccata authoritate iudiciaria in foro Eccleſiæ, & quod ad pœnas Eccleſiaſticas, cenſuras, ſuſpenſiones, excommunicationes, & reconciliando Eccleſiæ peccatores pœnitentes, & eos admittendo ad communionem Eccleſię à qua fuerant excluſi. Hoc modo Paulus ignouit inceſto Corinthiaco, & voluit ei ignoſci ab Eccleſia Corinthiorum. 2. Cor. 2. 10.

Hęc poteſtas clauis Paſtoralis, eadem eſt cum poteſtate ligandi & ſoluendi data Apoſtolis Matth.18.18. per quam qui ligatus eſt aggregatur Ethnicis & publicanis, qui à cõmunione Eccleſię & ſacrificijs ſummouebantur: vt habetur cõmate 17. Magno igitur errore ſolutio in foro Eccleſiaſtico trahitur ad forum conſcientię & ad iudicium coram Dei tribunali.

Eſt autem hęc phraſis Hebraïca. Nam ab Hebręis omnis obligatio qua quis obligatur, vel ad legis obſeruationem, vel ad pœnam, *aſur* id eſt vinculum ſeu legamentum appellatur. Vt Ierem.37.15. & Iudicum 15.14. Et Pſalmo ſecundo, rebelles & refractarij dicuntur abrumpere vincula, id eſt excutere iugum mandatorum Dei per contumaciam. Et Lucę cap.13.16. femina enormiter gibboſa dicitur ligata à Satana.

Huius ligamenti quo Paſtores Eccleſię conſtringunt peccatores tanta eſt vis & certitudo, vt Chriſtus pronuntiet, ſi quid ligauerint paſtores in terris id fore ligatum in cœlo, id eſt Deum ratam habiturum hanc ligationem. Poteſt quidem fie-

ri aliquando vt ligatio ſit iniuſta, Vult tamen Chriſtus eam ratam eſſe quamuis ſit iniuſta. Non enim fas eſt homini qui iniuſtè excommunicatus eſt inuadere ſacram Cœnam, & inuitis paſtoribus irrumpere in communionem Eccleſiæ. Non tamen id fraudi erit iniuſtè excommunicato: nec coram Deo deterior erit eius conditio.

CAP. II.

De clauibus Pontificis, & ligandi ac ſoluendi poteſtate quæ exercetur in Eccleſia Romana.

CLauium nomine, & ligandi ac ſoluendi vocabulis Eccleſia Romana mirum quantùm abutitur. Papa ſibi arrogat ſummam clauium poteſtatem, & exceptione omni maiorem, & quæ ad mortuos vſque extendatur: Id vt ſignificet populis, habet in Papali ſtemmate duas claues decuſſatas. Platina in vita Paſchalis II. Papæ, dicit eum coccinea veſte amictum, inſidentem equo albo, ſuccinctum fuiſſe balteo ex quo ſeptem claues erant

dependulæ, cum ſeptem ſigillis. Eſtque tralatitium & vulgare Papam appellare cœli clauigerum.

Sanè qui gerit claues cœli, oportet gerat quoque claues inferni. Nam qui poteſt claudere fores cœli, hoc ipſo aperit fores inferni.

Thomas Doctor Angelicus mouet quęſtionem ſubtiliter acutam. *Videtur* (inquit) *quod Chriſtus non habuerit claues. Clauis enim characterem ordinis conſequitur, ſed Chriſtus non habuit characterem.* Hæc ille, in quartum lib. Sentent. Diſt. 19. quęſt. 1. Artic. 1. Quem nodum paulò poſt ſoluit.

Id vero permirum eſt quod qui ſcripſerunt vitas Pontificum Romanorum, Platina, Sigebertus, Luitprandus, Faſciculus temporum, Stella, Sigonius, &c. Immo & Baronius & Genebrardus, Papę mancipia, loquuntur de plurimis Pontificibus, vt de hominibus perditis, & damnatis, & nulla alia re quam ſcelere inſignibus, qui tamen (ſi creditur aduerſarijs) fuerunt cœli clauigeri. Ergo homines tartaro addicti, cœlum aperiunt. Hi animas liberatas flammis Purgatorij in cœlum transferunt: &

quos volunt inſerunt catalogo ſanctorum. Inuenti ſunt clauigeri & ianitores paradiſi, qui ſtantes ad cœli fores, cœlum non ingrediuntur. Ad hæc credenda quæ iſti aretalogi deblaterant, opus eſt magna fidei docilitate & credulitate.

Eſt autem aduerſariorum conſtans ſententia, Epiſcopum conferentem nouo ſacerdoti ordinationem, ei dare claues regni cœlorum per quas habet poteſtatem cœlum aperiendi. Thomas in 4. Sententiarum Diſt.19. quæſt. 1. Art. 1. *Claues ordinantur ad aperiendum regnum, quod aperiri non potuit ante Chriſti paſſionem.* Id quidem Angelorum poteſtatem excedit: Nec ipſi virgini Mariæ conceſſum eſt.

Hic verò Lector prudens obſeruabit quanto errore Pontificij ſe confundant, & contradictione implicent. Volunt enim Chriſtum, his verbis HOC FACITE, creauiſſe Apoſtolos ſacerdotes, ſed ſine poteſtate ligandi & ſoluendi & remittendi peccata. Cenſent enim Sacramentum pœnitentiæ inſtitutum poſt reſurrectionem Chriſti, quo data eſt ſacerdotibus poteſtas remittendi peccata. Ergo Chri-

ſtus in inſtitutione Euchariſtiæ creauit ſemi ſacerdotes carentes poteſtate remittendi peccata.

Sed nulla res eſt in qua Papa proteruius inſultet ſtupori & ignorantię populorum quam in poteſtate ligandi & ſoluendi.

Iam illud intolerandum eſt quod poteſtatem ligandi & ſoluendi datam æqualiter omnibus Chriſti diſcipulis. Matth. 18. 18. Papa ſibi ſoli peculiari & ſummo iure vendicat. Nam quicquid Epiſcopi habent hac in re poteſtatis, eam habent precariam, & ex Papæ conceſſione, & anguſtis limitibus à Papa circunſcriptam.

Id verò longè grauiſſimum, quod cum Chriſtus ibi tantum agat de poteſtate ligandi & ſoluendi peccatores, pœnis Eccleſiaſticis obnoxios, Papa extendit hanc poteſtatem ad infinita quæ non pertinent ad curam paſtoralem, & per quæ ſibi imperium terrenum ſtabiliuit, & poteſtatem ſuam extendit vſque ad mortuos. Nam ſoluit matrimonia legitima, & ritè ſociata. Liberat filios à ſubiectione parentum ſi in monaſterium ſe proripuerint. Soluit vincula iuramentorum & votorum quæ

ſunt

ſunt iuris diuini. Diſpenſat contra Apoſtolum. Liberat ſubditos ſubiectione debita regibus,&iubet eos fidem eis iuratam frangere, & eos ad rebellionem inſtigat. Defunctorum animas igne Purgatorij ereptas in cœlum transfert. Sic regnum Chriſti ſpirituale mutatum eſt in Monarchiam temporalem formidabilem populis & regibus, qui lambentes eius crepidam regnant precariò & ad Papæ nutum. Idque ſub obtentu ſucceſſionis Petri, qui horum nihil vnquam egit, & qui ſucceſſores quidem habuit in Epiſcopatu, at nullum in Apoſtolatu.

Sed ne hic liber in immenſum excreſcat, ſufficiet expendere hęc quatuor. I. Diſpenſationes iuramentorum & votorum. II. Caſus reſeruatos. III. Excommunicationes. IV. Indulgentias quæ dantur viuis & mortuis. Hi enim ſunt pręcipui abuſus clauium. Et in his apertiſſimè detegitur myſterium iniquitatis. In his præcipuè Paparum exultat audacia.

CAP. III.

De relaxatione iuramentorum & votorum.

LEuitici cap. 19. ℣. 12. Deus ſic loquitur. *Non iurabis per meum nomen mentiendo. Nam profanares nomen Dei tui. Ego ſum Iehoua.* Et Chriſtus Matthæi 5. 33. *Non peierabis, ſed reddes Domino quod promiſeris iuramento.* Et Dauid Pſ. 15. dicit eum habitaturum in monte ſanctitatis Domini, qui *ſi iurauit in ſuum ipſius damnum, nihil tamen mutabit.* Ioſue Gabaonitis pepercit, eiſque ſeruauit religionem iuſiurandi, quamuis veteramentis & attritis veſtibus & vtribus, & pane mucido eum fefelliſſent. Quos cum Saul * cõtra fidem eis ante annos quadringentos datam oppreſſiſſet, quibuſdam occiſis, iuramenti violationem Deus vltus eſt, ſeptem viris de domo Saulis in crucem actis. Nam qui iurat Deum inuocat, & eum imprecatur vltorem ſi fallat, & agnoſcit inſpectorem conſcientiarum.

Inter ipſos Ethnicos ſemper fuit ſacra

* 2. Sam. 21.

& inuiolabilis religio iuramenti: vſque adeo vt crediderint ipſi Ioui non impunè fore ſi per Stygiam paludem peieraſſet. M. Reguli exemplum redeuntis Carthaginem ad certiſſimos cruciatus, ne violaret iuramentum, docet quam religioſè iuſiurandum ab Ethnicis ſeruaretur. Nunc etiam Mahumetani ſunt religioſiſſimi obſeruatores iuramentorum. Periurio enim Deo illudi, eumque cæcitatis inſimulari, & præcipuum veritatis κριτήριον verti in decipulam fraudulentam, & abrumpi vinculum humanæ ſocietatis: teſte Apoſtolo ad Hebræos cap. 6.16. vbi ait *iuſiurandum eſſe finem omnis controuerſiæ*. Denique quàm ſacrum ſit iuramentum hinc collige quod Deus ipſe introducitur iurans, ad confirmationem ſuarum promiſſionum, vel comminationum.

Cum autem periurium ſit immane flagitium, longè tamen immanius eſt ſcelus, docere periuria, & dare populis peierandi licentiam, & (quod grauiſſimum eſt) propoſitis præmijs inſtigare populos ad periurium. Sic enim ſcelus horrendum fit virtus, & non tantùm vitijs ſed etiam

legibus laboratur. Et fidem Deo iuratam fallere annumeratur operibus quæ vulgò meritoria appellantur. Ob id religionem Chriſtianam abominantur Mahumetani quod is qui ſe iactat eſſe caput Eccleſiæ Chriſtianæ docet periuria : & diſpenſat in votis & iuramentis quæ ſunt iuris diuini. Vnde fit vt putent periculoſum eſſe contrahere cum Chriſtiano Latino. Inde rebelliones ſubditorum in reges quibus ſubditi iurauerunt fidem & obedientiam. Nam in rebus quæ ad religionem pertinent Papa dicit ſe errare non poſſe. Clemens VII. Franciſcum I. Galliæ Regem liberauit religione iuramenti, ei permittens non implere ea quæ iurauerat ſe impleturum, cum arcto in Hiſpania carcere detineretur. Ibi non agebatur de fide & religione Chriſtiana, ſed de rebus merè ciuilibus. Et noſtra memoria Papa Sixtus V. liberauit Gallos vinculo fidelitatis iuratę Henrico III. Regi, quamuis hic Rex incoctus Romanæ ſuperſtitioni peteret à Papa remiſſionem peccatorum. Merces rebellionis propoſita populis erat remiſſio peccatorum & vita æterna. Inde

tanta effuſio ſanguinis, tot prælia, tot direptiones vrbium, & ipſius Regis miſeranda cædes. Plenæ ſunt hiſtoriæ nouiſſimorum ſæculorum eiuſmodi exemplis: quæ ſuo loco afferemus. Emanuelis Sa Ieſuitæ hæc verba ſunt Aphoriſmis Verbo, *Votum. Caſimirus I. Poloniæ Rex D. Benedicti Monachus profeſſus, concedente Summo Pontifice vxorem duxit.* Idem fecit Albertus Auſtriacus Cardinalis, ducta in vxorem Clara Eugenia filia Regis Hiſpaniæ, Papa ſic diſpenſante. Bellarminus id frequenter inculcat *Papa diſpenſat in votis & iuramentis quæ ſunt de iure diuino.*

Papa id faciens ſe ſupra Deum extollit, nam vt oportet maior ſit Rege qui poteſt ſubditos liberare à fide iurata regi, & ſoluere vincula fidelitatis ſubditorum, ita oportet maior ſit Deo qui poteſt homines liberare obligatione qua ſe Deo iureiurando obſtrinxerunt.

Quid, quod Papa ſibi arrogat poteſtatem quam Deus ipſe ſibi non tribuit, & quam nunquam exercuit? Nunquam Deus diſpenſauit in iuramentis. Nunquam permiſit fidem ſibi iuratam violari,

Deus quidem vota temeraria, concepta ab hominibus qui non ſunt ſui iuris reſcindit Numer. 30. At hic agitur de iuramentis & votis hominum qui ſunt ſui iuris, & mentis compotes, qui iuramento ſe obſtrinxerūt ad aliquam actionem quam Eccleſia Romana credit eſſe licitam & legitimam. Tali homini iurato Papa permittit non implere quod iureiurando promiſit, ei dicens, *Tu quidem, mi homo, hoc Deo promiſiſti, & iuramento te obligaſti, at ego te libero ab hac fide iurata: reſcindo hoc tuum iuramentum, & volo eſſe irritum. Nolo ſis Deo fidelis, nec tibi permitto implere quod Deo iuraſti, & ſanctè promiſiſti. Id quidem Deus nunquam fecit, nec vnquam diſpenſauit in votis & iuramentis: Sed ego eius vicarius de fide quæ Deo debetur poſſum diſpenſare, & relaxare vincula fidelitatis.*

In hoc argumento verſatur totus liber Bellarmini in Barklaium, vbi Papam introducit ſic loquentem, & increpantem homines indociles & ſtolidos, & non intelligentes acumina diſtinctionum. *Ego* (inquit Papa) *non tibi facio gratiam iuramenti, nec tibi permitto periuria, ſed tibi de-*

claro ex parte Dei, Deum nolle à te impleri quod ei pollicitus es. Ego qui calleo mentem Dei & intentionem, tibi declaro Deum nolle ſibi hac in re morem geri & fidem ſeruari. Deus per me te ſoluit iuramenti religione quo te obſtrinxiſti. Nempe Papa vult credi ſibi id à Deo eſſe reuelatum. At nos viuimus diuinis legibus, non vero Papæ reuelationibus per quas rem facit, & quæ ipſi ſunt compendioſæ. Quod Toletus non diſſimulat. Nam lib. 5. Inſtitutionis Sacerdotum cap. 89. poſtquam dixit Papam diſpenſare in votis & relaxare iuramenta, addit, *non eſſe murmurandum quod inde Papa pecunias accipit. Id enim ab eo fieri, quia Papa pecunijs opus habet ad tuendam ſuam dignitatem.* Ingenuum eſt quod tantus Cardinalis Ieſuita, & Romæ ſcribens, & Papæ à Conſilijs diſpenſationem iuramentorum ponit inter artes quæſtuarias, per quas Papa corradit pecunias.

His Papæ mancipijs familiare eſt vti effugijs abſurdis, & dilutis diſtinctionibus ne abſque ratione deſipere videantur. Dicunt nefas eſſe occidere Reges: at eum qui occidit Henricum III. non occidiſſe

Regem, ſed Henricum, & hominem priuatum, & exauctoratum à Papa, & qui deſierat eſſe Rex.

Sic quando Papa inuolat bona laicorum, non inuolat bona temporalia, quia Papa ad ſe hæc trahens, efficit hæc bona eſſe ſpiritualia. Pari fraude dicitur Papa non habere poteſtatem directam in bona temporalia laicorum & Regum, ſed tantum indirectam. Nam quid intereſt ſub quo titulo Rex regnum amittat? Veluti ſi quis diceret ſonti qui ad patibulum ducitur, Sis bono animo, non enim duceris ad crucem recta via, ſed indirecta.

Denique ſi fides habenda eſt reuelationibus Papæ, percallentis Dei intentiones, & conſilia arcana, & monentis populos Deum nolle in hoc aut illo iuramento fidem ſeruari, nullum erit tam diſertum Dei mandatum quod non poſſit ſub hoc obtentu violari & proculcari. Sic adulteria, cædes, rapinæ, annumerabuntur bonis operibus, ſi Papa declarauerit alicui Deum nolle in hac aut illa actione ſibi morem geri: & pietatis & probitatis officia pendebunt ex Papæ afflatu, non ex diuina lege.

Lubet exclamare, O tempora, ô mores!

Cum autem talis diſpenſationis votorum & iuramentorum nulla inueniantur exempla in veteri Eccleſia Chriſtiana, operæ pretium eſt cognoſcere quando hæc labes inuaſit Eccleſiam Romanam, & quis inter Epiſcopos Romanos primus ſibi arrogauit hanc authoritatem, quam nec ipſe Deus ſibi tribuit, nec vnquam exercuit.

Anno Chriſti 882. Iohannes VIII. Epiſcopus Romanus Formoſum Portuenſem Epiſcopum exuit Epiſcopatu, & ab eo exegit iuramentum, eum nunquam accepturum Epiſcopatum, etiam ſi ei offerretur.

Huic Iohanni ſucceſſit Marinus, qui nouo & inuſitato exemplo Formoſum religione Sacramenti liberauit.

Anno Chriſti 891. Formoſus ſuffragijs populi Romani Pontificatum adeptus eſt, contra iuramentum quo ſe inter manus Iohannis VIII. obſtrinxerat. Ei mortuo ſucceſſit Stephanus VII. qui conuocauit Synodum in qua definitum eſt Formoſum vitio creatum, & illegitimum Papam fuiſſe, quia creatus fuerat Pontifex contra

fidem datã, & violata religione iuramẽti. Nec Marinum potuiſſe reſcindere fidem Deo iuratam. At Romanus Stephani ſucceſſor, & Iohannes qui Romano ſucceſſit huius Synodi acta reſciderunt. Nec finis fuit contentionum & ſeditionum quibus vrbs Roma conflictabatur, vſque ad Sergium. Hic anno Chriſti 908. Formoſi corpus ſepulcro extractum capitali ſupplicio affecit, & vt ſepultura indignum in Tiberim proiecit. Quod inuentum à piſcatoribus, & baſilicæ Petri illatum, imagines parietibus affixæ adorauerunt, & ſuppliciter ei aſſurrexerunt, ſi fides Stellæ, & Baronio An. Chr. 897. §. 7. At Platina in Sergij vita id refellit.

¶Tandem peruicit error: Et hodie conſtans eſt Eccleſiæ Romanæ ſententia Papam poſſe reſcindere iuramenta, & diſpenſare in votis, quamuis ſint iuris diuini & ad cultum latriæ pertineant. Quod dogma cum præcipuè pertineat ad Imperatorum & Regum perniciem, & ad liberãdos ſubditos à fide iurata principibus, ea de re ſuo loco accuratius agetur. Hic præcipuus eſt vſus ſacroſanctarum clauium:

qui quidem talis eſt vt impietas in Deum inſurgens vix habeat quo progrediatur vlterius.

Hoc ſane fœdum eſt religionis Chriſtianæ opprobrium, quod inter omnes religiones quę fuerunt ab orbe condito, ſola eſt in qua periurium non modo permittitur ſed etiam iubetur. Nam nec Pontifices Veteris Teſtamenti, nec Pontifices Ethnici, nec Flamines Diales, Nec Druidæ Gallorum, nec Mahumetanorum Muphti, vnquam ſoluerunt religionem iuramentorum, nec permiſerunt periuria.

CAP. IIII.

De Caſibus reſeruatis.

POteſtas Papæ immenſa in vſu clauium, & nullis limitibus circunſcripta præcipue eminet in caſibus reſeruatis: id eſt in peccatis quorum remiſſionem Papa ſibi ſoli referuauit, & omnibus Epiſcopis & Sacerdotibus interdixit, præterquam in articulo mortis.

Id ſanxit Synodus Tridentina Seſſione

XIV. cap. 7. ſic loquens, *Meritò Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſali tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt iudicio reſeruare.* Idque probat teſtimonio Apoſtoli ad Romanos cap. 13. ꝟ. 1. vbi dicit. *Omnia quæ à Deo ſunt eſſe ordinata*, id eſt (vt vult Synodus) ordine digeſta. Id habuit Synodus ex Bulla Bonifacij VIII. *Vnam Sanctam.*

Sed neque hæc mens eſt Apoſtoli, neque verba. Paulus loquens de Principibus & poteſtatibus terrenis, & de Imperatorum quamuis Ethnicorum poteſtate, dicit αἱ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ θεοῦ τεταγμέναι εἰσὶ Id eſt *Poteſtates quæ ſtant ſiue exiſtunt, à Deo ſunt conſtitutæ*, vt pote ſtabilitæ Dei voluntate & prouidentia. Sic interpretatur Emanuel Sa Ieſuita in Notis, *Ordinata ſunt, id eſt poſita*, non vero in ordinem digeſta. Eſtius commentario in hunc locum. *Senſus eſt quæcunque ſunt poteſtates, id eſt quicunque ſunt homines poteſtate præditi, vt Principes & Magiſtratus, ij ſunt ordinati & inſtituti à Deo.* Et paulò poſt refellit ſenſum qui à Synodo Tridentina affingi-

tur huic loco. Ipſa verſio Gallica Louanienſis, comprobata à Ieſuitis ſic vertit. *Les puiſſances qui ſont ordonnées de Dieu.* Nihil hæc ad Papam, nec ad diuerſos gradus poteſtatum ſubordinatarum. Res ſane mira, quod in tanto cœtu Doctorum & Prelatorum nemo fuit qui moneret Synodum falſo citari Scripturam & longè à mente & verbis Apoſtoli. Cum igitur Eccleſia Romana ponat falſificationem literarum Apoſtolicarum inter caſus reſeruatos, planum eſt hanc Synodum in caſu reſeruato peccauiſſe. Et Papam qui hanc Synodum probat & vult recipi peccare ſpecie peccati cuius remiſſionem ſibi ſoli reſeruauit.

Nunc accipe quænam ſint peccata illa grauia & horrenda, quæ à ſolo Papa poſſunt remitti. Hæc crimina non ſunt blaſphemia, nec parricidium, nec inceſtus, nec periurium, nec pęderaſtia, nec ſortilegium. Nec ſi quis minxerit in patrios cineres, aut alea luſerit ſuper altari, aut ſacerdoti hoſtiam attollenti crumenam amputauerit, aut de ligno crucis vel baculo Sancti Franciſci fecerit pyramidulas luſorias,

ſed alia his longè grauiora quorum enumeratio fit in Bulla de Cœna Domini, quam Papa cum grauiſſima excommunicatione detonat Romæ ſuper ſummis gradibus Baſilicæ S. Petri die Iouis ſacræ ſeptimanæ, habens caudas pauonum ad aures, & tenens candelam accenſam, quam ex ſublimi loco præcipitat.

Hæc crimina ſunt hæreſis: & prouocatio à Papa ad Concilium. Eodem Anathemate feriuntur piratæ infeſtantes littora ditionis Papalis, à Terracina vſque ad montem Argentarium: Hi enim cenſentur grauius peccare quam qui incurſant littora Galliæ aut Hiſpaniæ. Tum prędones qui ſpoliant mercatores inferentes cibos & mercimonia in aulam Papalem. Et eos qui ſpoliant Romipetas, id eſt eos qui Romam confluunt ad petendas indulgentias, aut diſpenſationes. Tum eos qui Romæ vſurpant aliquam iuriſdictionem. Adduntur Principes qui exigunt à Clericis decimas: quæ quidem excommunicatio directè petit Reges Galliæ, quippe qui aliquando negotijs regni id poſcentibus decimas exigunt à clero. Ideoque in Bul-

la *Cancellarij* diſertè nominantur, quę vox eſt Gallica, & peculiari Anathemate notantur. Sed & eadem Bulla excõmunicantur qui ſe opponunt receptioni Concilij Tridentini: quod & fit à Regibus Galliæ, & eorum Parlamentis, & Officialibus Palatinis. Eodem fulmine percelluntur falſificatores literarum Papalium, at non qui falſificant epiſtolas verè Apoſtolicas, quę habentur in Nouo Teſtamento: quod factum eſſe à Synodo Tridentina probauimus.

Huius Bullę tenorem habes apud Toletum Cardinalem libro primo inſtructionis Sacerdotum à capite 18. ad 30. Et in Extrauagante, *Etſi Dominici, de Sententia Excommunicationis*, cuius author Sixtus IV. Papa. Sed præcipuè apud Nauarrum Tomo tertio pag. 279. & ſequentibus.

Sunt & quędam peccata reſeruata Epiſcopis, quorum remiſſio eſt interdicta Parochis, quorum enumeratio texitur in Gloſſa Extrauagantis de Sepulchris: eſtque Bonifacij VIII.

CAP. V.

Expenditur hæc doctrina.

OBſeruabit Lector, ea ſola peccata reſeruari Pontificis cognitioni quæ obſunt eius vtilitati, aut minuunt eius dignitatem. Hoc pacto Papa ſedet iudex in ſua ipſius cauſa. Tum detrahere aliquid de dignitate aut commodis Papæ, grauius peccatum cenſetur quam peccare in Dei legem. Nam Epiſcopi habent poteſtatem remittendi cædem, adulterium, furtum, &c. quæ crimina putantur leuiora caſibus reſeruatis Pontifici.

Has diſtinctiones per quas Papa arctauit, & imminuit poteſtatem Epiſcoporum & Sacerdotum ignorauit vetus Eccleſia Chriſtiana, nec vlla ab aduerſarijs afferuntur eius exempla. Eſt enim Verbo Dei contraria.

Primum enim ô Chriſtus dicens ſuis diſcipulis, *Quæcunque ligaueritis*, &c. Et, *Quibus remiſeritis peccata*, &c. Nullum inter eos diſcrimen poſuit. Nec Petro aut Iohanni attribuit

attribuit poteſtatem remittendi quędam peccata quorum cognitio eſſet alijs Apoſtolis aut Euangeliſtis interdicta.

Nec Paſtores Eccleſiæ in adminiſtratione Sacramentorum offerunt gratiam diuerſam ab ea quam offerunt cum prædicant Euangelium, annunciantes remiſſionem omnium peccatorum illis qui tanguntur vera pœnitentia, & credunt in Chriſtum.

Hæc cum ſint à Synodo Tridentina definita, Nauarrus tamen Papæ pœnitentiarius auſus eſt hæc ſcribere Tractatu de Irregularitate cap. 27. pag. 327. *Veriſſimum videtur quod ait Paludanus: ſcilicet quod omnes Sacerdotes ſimul cum ordine acceperunt poteſtatem ſupra corpus Chriſti myſticum ad abſoluendum ab OMNIBVS peccatis mortiferis.* Et paulò poſt. *Gratianus exertè concludit quòd omnes Sacerdotes, ſiue regulares, ſiue ſæculares in ſua conſecratione ÆQVALITER ſuſcipiant poteſtatem baptiſandi, prædicandi, & pœnitentiam dandi, & remittendi peccata.* Et præter Paludanum & Gratianum tuetur ſe Nauarrus * authoritate Panormitani, & An-

* Vide Nauarr. Conſil. l. 8. Conſil. 30. p. 247.

tonini dicentis hanc poteſtatem æqualem ſtatutam eſſe iure diuino, ſed ademptam eſſe iure humano. Anteponuntur enim conſuetudines humanæ mandato diuino.

His adiunge Gabrielem Bielem, celebrem inter Scholaſticos. Is Lectione tertia in Canonem Miſſæ hæc ait, *Papa quædam grauia & enormia peccata ſibi, quędam Epiſcopis reſeruauit, cætera inferioribus Curatis permiſit.* Et paulò-poſt. *In his omnibus reſeruationibus poteſtas clauium in ordinationibus, omnibus ÆQVALITER collata, neque extenditur, neque reſtringitur, ſed illimitabilis manet in ſua radice.*

Hi omnes non obſcurè conqueruntur ſibi ademptam eſſe poteſtatem quam credunt ſe à Chriſto accepiſſe. Nunc quoque quando Epiſcopus ordinat preſbyterum, dans ei poteſtatem abſoluendi & remittendi peccata, nullam affert exceptionem nec diſtinctionem peccatorum.

Sententia aduerſariorum eſt Sacramentum Ordinis Sacerdotalis inſtitutum eſſe à Chriſto his verbis *Hoc facite.* At hæc verba æqualiter dicta sūt omnibus Apoſtolis.

Eſtque hoc dogma receptum ſummo conſenſu in Eccleſia Romana, per Sacramentum ordinis Sacerdotalis imprimi characterem qui ne ab ipſo quidem papa deleri poteſt, nec à quoquam obliterari. Ergo non poteſt papa adimere Sacerdotibus poteſtatem quæ ipſis inhæret vi iſtius characteris, nec eam minuere & decurtare.

Cum autem aduerſarij pertendant papam habere poteſtatem remittendi omnia peccata, quia eſt ſucceſſor Petri qui habuit hanc poteſtatem: nulla cauſa idonea afferri poteſt, cur ſucceſſores aliorum Apoſtolorum non habeant eandem poteſtatem remittendi peccata quam habuerunt alij Apoſtoli, Iohannes, Iacobus, Paulus, &c.

Quod ſi accidat vt papa ipſe peccet in aliquo caſuum reſeruatorum, quis papam abſoluet? Nam vt ibidem ait Nauarrus, *Papa non habet iuriſdictionem in ſe ipſum.* An cum papa lethaliter ægrotans dat ſuo Confeſſori poteſtatem remittendi peccata commiſſa ab ipſo papa, dat ei poteſtatem remittendi caſus reſeruatos?

Nec prætermittendum eſt quod papa

poſt promulgationem iſtius Bullæ fulminatricis, dat abſolutionem non modo plebi Romanæ aſtanti, ſed etiam Hiſpanis, Gallis, Germanis, Sarmatis, abſentibus, & longè diſſitis, qui hanc abſolutionem non expetiuerunt. Sic abſoluuntur inſcij, & liberantur vinculis quibus neſciebant ſe illigatos fuiſſe.

DE EXCOMMVNICATIONE.

CAP. VI.

Excommunicationis antiquitas.

AD tractatum de vſu & abuſu clauium, pertinet tractatio de Excommunicatione, quę fit poteſtate iuriſdictionis, extra adminiſtrationem Sacramenti quæ exercetur poteſtate Ordinis.

Eſt autem Excommunicatio, cenſurarum Eccleſiaſticarum grauiſſima. Eiuſque vſus eſt antiquiſſimus & ab omni memoria vſitatus in Eccleſia. Nam Geneſis capite quarto dicitur Cain pulſus à facie Dei: quæ quidem expulſio nihil aliud eſt

quàm eiectio ab eo loco vbi congregabatur Eccleſia & ſacrificijs operabatur, & vbi Deus dabat indicia ſui fauoris ac præſentiæ. Perſæpe enim in Veteri Teſtamento, tabernaculum & templum & loca in quibus ſacræ coitiones fiebant facies Dei appellantur. Sic Pſ.42. Dauid pulſus in deſerta à Saule procul à Dei tabernaculo, peroptat videre faciem Dei. Et Iſraelitæ adeuntes tabernaculum aut templum dicebantur quærere faciem Dei. Pſal.105. 4. Eſ. 66. 23. Ante diluuium Enoch dictauit formulam Anathematis cuius prima pericope habetur in epiſtola Iudæ verſ. 15.

CAP. VII.

De Excommunicationibus Iudæorum. Quid ſit Niddui, quid Samatha & Maranatha. Eſſeorum aſperitas.

IVdæis tres erant ſpecies Excommunicationis. Vna minor, quæ Niddui vocabatur: à Niddah in Piel, quod eſt ſeparare & expellere. Altera atrocior quæ

Kherem dicitur. Quo tamen vocabulo non ſemper deſignatur excommunicatio perſonarum. Nam etiam ad pecudes & res inanimatas *kherem* ſeu interdictum extendebatur. Et vrbes interdicto ſubiectæ ſolo æquabantur, & incolę trucidabantur, & greges pecudum. Cuius interdicti exempla habemus cap. 6. & 7. Ioſuæ. Et 1. Samuelis cap. 15.

Tertia ſpecies Excōmunicationis fuit, quę Samatha ſeu Sematha & Maranatha appellabatur. Sematha idem eſt quod *Nomen venit*, & Maranatha idem quod *Dominus venit*. Nam per Nomen Deum intelligere Hebręis familiare eſt. Exempla habes Leuitici cap. 24. ℣. 10. Et ſecundo libro Samuelis cap. 6. 2. Hęc autem duo verba Maran-atha fuerunt prima verba formulæ anathematis ab Enocho dictati: vt diſcimus ex epiſtola Iudæ, ℣. 15. *Ecce venit Dominus cum myriadibus ſuis ſanctis*, &c.

Quicunque autem quouis Anathemate erant notati, non tantum templo & ſacrificijs, ſed etiam Synagogis arcebantur. Exemplum habemus capite 9. Iohannis.

vbi dicuntur Iudęi conſtituiſſe vt fieret ἀποσυναγωγὸς quicunque confiteretur Ieſum eſſe Chriſtum. Et cap. 16. 2. ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς. mouebunt vos ſynagogis.

Eſſæi Iudęorum ſecta aſperrima & rigidiſſima, habuerunt excommunicationes horrendas & terribiles. Nam homini quem anathemate perculerant & ſua ſocietate expulerant alimenta ſuppeditari non patiebantur, ſed redigebatur ad herbas cum beſtijs, vt fame contabeſceret, & miſerabili morte conſumeretur. Teſtis Ioſephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 12.

Porrò nemo diro Anathemate notabatur, niſi qui planè extorris erat ab Eccleſia, & cuius ſalus planè conclamara credebatur.

CAP. VIII.

De Excommunicationibus veteris Eccleſiæ Chriſtianæ.

A Iudæis ad Chriſtianos tranſijt Anathema: & cum re vocabulum Maranatha. Nam Apoſtolus Paulus hoc voca-

denter vetuit: Nec de cuiuſquam ſalute deſperamus.

Vetus Eccleſia Chriſtiana, ſecuta exemplum Apoſtolorum, vſa eſt anathemate in ſceleratos & hæreticos. Antiquiſſimæ Synodi ſunt Ancyrana, Gangrenſis, Neocæſarienſis, Antiochena, Laodicena, Nicęna prima, in quibus frequens mentio fit Anathematis & ἀφορισμοῦ id eſt ſeparationis à communione. Magna pars Canonum horum Conciliorum clauditur his vocibus, Ἀνάθημα ἔστω. Et apud Cyprianum frequens fit mentio *Abſtentorum*, ſic enim vocat Excommunicatos. Qua excommunicatione vſi ſint Monachi Ægypti habes apud Caſſianum libro 2. cap. 16.

Atrociſſimæ excõmunicationis exemplum habemus in quinquageſima octaua epiſtola Syneſij Epiſcopi Ptolemaidis quam intorquet in Andronicũ & Thoantem in hæc verba. *Andronico & ſuis, nulli Dei fanum aperiatur. Omne illis tẽplum occluſum ſit, & adytum, & porticus. Non eſt diabolo pars in paradiſo, qui ſi latenter irrepſerit expellatur. Admoneo igitur omnem priuatum & Magiſtratum, vt neque tectum*

cum illis, neque menſam cõmunem habeat. Sacerdotes autem vehementius, qui neque viuentes eos alloquantur, neque mortuos proſequantur. Quin & eos qui cum illis aliquam habebant ſocietatem, pari anathemat implicat.

Simile Anathema vibratur à Mena Patriarcha Conſtantinopolitano aduerſus Anthimum Actione IV. quintæ Synodi Conſtantinopolitanæ.

CAP. IX.

Quid ἀκοινωνησία, id eſt ſeparatio à communione differat ab Excommunicatione. Victoris Epiſcopi Romani actio expenditur. Et de diptychis.

APprime autem obſeruandum eſt quid differat Excommunicatio à ſeparatione à communione quæ ἀκοινωνησία à Græcis appellatur. Nam excommunicationis ſententia qua quis excluditur communione Eccleſiæ, & participatione ſacræ menſę fertur ab habentibus iuriſdictionem in eum qui excommunicatur. At ſunt qui vltro ſe abſcindunt ei ſeparant

à cõmunione cum alijs Eccleſijs, & vnioni quæ ante fuerat renunciant. Id fit quando ob diſſenſionem aliquam in fide aut politia Eccleſiaſtica itur in partes, & vna Eccleſia ſeparatur ab altera, quia putat ſe eius communione pollui: vnde ſchiſma conflatur: Vt cum Donatiſtæ ob ordinationem Cæciliani, quam vitio factam eſſe contendebant, abſciderunt ſe à communione cum alijs Eccleſijs.

Sic Victor Epiſcopus Romanus anno Chriſti ducenteſimo, ſe ſeparauit & Eccleſiam Romanam à communione Eccleſiarum Aſiæ & Orientis, quia celebrabant Paſcha decima quarta Luna menſis Martij more Iudæorum. At nullum vibrauit in eas Anathema, nec ſententiam excommunicationis pronuntiauit. Nec potuiſſet, quãdoquidem Eccleſiæ Aſiaticæ non erant ei ſubiectæ. Nec ſi fuiſſent, voluiſſet Victor ob rem tantillam, tot & tantas Eccleſias abſcindere à Chriſti communione. Nam ipſa Eccleſia Romana Titulo de Sententia excommunicationis, Capite *Romana* in Sexto id ſancit, ſic loquens, *In vniuerſitatem aut collegium proferri ex-*

cõmunicationis ſententiam penitus probibemus. Denique omnis excommunicationis ſententia infert ἀκοινωνησίαν. At non viciſſim.

Ob hanc tamen diſceſſionem in partes, & dilacerationem Eccleſiæ, quamuis carentem excommunicatione Victor grauiter increpitus eſt ab Irenæo Epiſcopo Lugdunenſi per epiſtolam quę habetur in hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebij lib. 5. cap. 25. in Gręco. In qua vir ſanctus Victorem admonet, ne ob rem leuem, ob quam eius deceſſores ſe non auulſerunt à fratrum communione, abrumperet Eccleſiæ concordiam. Idem refertur à Nicephoro lib. 4. cap. 38. & 39. & à Socrate l. 5. c. 22. Vbi dicit Victorem Eccleſijs Aſiaticis denunciaſſe ἀκοινωνησίαν, id eſt ſeparationem à communione, non vero anathema in eas vibraſſe. Nec aliter accipienda ſunt verba Euſebij, loco citato, vbi dicit Victorem conatum eſſe Eccleſias totius Aſiæ ἀποτεμεῖν τῆς κοινῆς ἑνώσεως & ἀκοινωνήτους ἀνακηρύσσειν, *abſcindere à communi vnione, & ſeparatas à communione declarare.*

Addit Euſebius, ἀλλ᾽ οὐ πᾶσί γε τοῖς ἐπισκό-

ποις τοῦτ' ἠρέσκετο, ἀλλ' ἀντιπαρακελεύονται δῆτα αὐτῷ τὰ τῆς πρὸς πλησίον ἑνώσεως καὶ ἀγάπης φρονεῖν, id eſt, *At non omnibus Epiſcopis id placuit, ſed contraria iuſſione iubent eum ſtudere vnioni & charitati erga proximos.*

An auſi fuiſſent contraria iuſſione &obnuntiatione cohibere iniuſtam Victoris peruicaciam, ſi ſe crediſſent Victori eſſe ſubiectos? Aduerſus Victorem Polycrates Epiſcopus Epheſinus ſanctitate conſpicuus ſcripſit acrem epiſtolam ſynodicam in qua dicit ſe Victoris minas non timere. Teſte Hieronymo libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Polycrate.

Cum autem mos eſſet veteris Eccleſiæ, ad ſacram menſam legere ex diptychis, id eſt duplicibus tabellis nomina Epiſcoporum viuorum qui erant in eadem fide concordes, & qui dignitate & ſanctitate eminebant, ſi aliqua orta fuiſſet ſuper fide aut politia Eccleſiaſtica diſſenſio, ſolebant Epiſcopi eradere ex diptychis nomina eorum à quorum communione ſe abſciderant. Id Patriarchæ Conſtantinopolitani ſæpe fecerunt Epiſcopis Romanis. Quæ ἀκοινωνησία

non longè diſtabat ab Excommunicatione.

CAP. X.

Excommunicationem inter Ethnicos vſitatam fuiſſe.

NEc verò Excommunicationes & Anathemata ſoli Eccleſiæ fuerunt vſitata. Nam & inter Ethnicos hęc conſuetudo fuit frequens. Iuſtinus Trogi decurtator libro 5. refert Alcibiadem ab Athenienſibus *non tantum dãnatum, verum etiam diris per omniũ ſacerdotum religiones deuotum.* Idque quod Cereris myſteria vulgaſſet.

Iulius Cæſar libro ſexto de Bello Gallico, de Druidis Gallorum ſacerdotibus ſic ſcribit. *Præmia pœnaſque conſtituunt. Si quis aut priuatus aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt: hæc pœna apud eos eſt grauiſſima. Quibus ita eſt interdictum, ij numero impiorũ & ſceleratorum habentur, ijs omnes decedunt, aditum eorum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione detrimenti accipiant. Neque ijs petentibus*

ius redditur, neque bonos vllus cõmunicatur.

Dionyſius Halicarnaſſæus libro 2. dicit, fas fuiſſe cuilibet occidere conuictum criminis, ὡς θῦμα τȣ̃ καταχθονίȣ Διὸς, vt hoſtiam Diti inferno ſacram. Moremque illum repetit ab ipſo Romulo.

Par religio Mahumetanorum: Nam inter eos ſi quis à Muphti ſummo Sacerdote fuerit diro Anathemate confoſſus, ſacris arcetur & fit publica execratio.

CAP. XI.

De traditione Satanæ & interitu carnis. Veterum & recentiorum ſententia.

QVęſtio eſt non enodis & non tractanda perfunctoriè, quę fuerit mens Apoſtoli prima ad Corinthios cap. 5. ℣. 5. vbi ait *ſe conſtituiſſe tradere Satanæ inceſtum Corinthiacum ad interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini,* Quęritur quid ſit *tradere Satanæ*, quid *interitus carnis.*

Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 13. dicit hunc inceſtum extra Eccleſiam fuiſſe

proiectum, & de eo loquitur vt de homine damnato & perdito in æternum. *Sic* (inquit) *inceſtũ fornicatorem Paulus non in emendationem ſed in perditionẽ tradidit Satanæ.* Hęc ille: idque contra verba diſerta Apoſtoli, quibus dicit ſe tradidiſſe hunc hominem Satanæ ad interitum carnis vt ſpiritus eius ſeruetur. Idem Apoſtolus ſecunda ad Corinthios cap. 2. 7. vult hunc inceſtum ſubleuari conſolatione, & ei ignoſci, eumque vult poſtliminio in Eccleſiam recipi. Per interitum verò carnis idem Tertullianus mortem intelligit.

Hieronymus prima epiſtola ad Heliodorum excommunicatos addicit damnationi æternæ, ſic loquens, *Eiectus de Eccleſia rabido dæmonum ore diſcerpitur.* Caſſianus lib. 2. de Inſtitutione cap. 16. dicit credi eum qui excommunicatione ab oratione eſt ſuſpenſus tradi Satanæ.

At Chryſoſtomus Homiliæ 15. in primam ad Corinthios, dicit hunc inceſtum traditum Satanæ ἵνα μαστίζῃ αὐτὸν ἕλκει πονηρῷ ἢ νόσῳ. *Vt eum flagellaret malo vlcere aut morbo*, & per interitum carnis intelligit grauem corporis cruciatum.

Concinit

Concinit Ambroſius lib. 1. de Pœnitentia cap. 12. docens quomodo hic inceſtus traditus fuerit aduerſario, *Nempe ſicut Dominus in animam ſancti Iob poteſtatem ei non dedit, ſed in corpus eius permiſit licentiam, ita hic traditur Satanæ.* Et Hieronymus in quintum caput ad Galatas. *Præcepit eum tradi pœnitentiæ in interitum & vexationem carnis per ieiunia & ægrotationes.* Sed & Primaſius epiſtola tertia ad Sempronianum per interitum carnis intelligit *detrimenta membrorum.*

Eandem ſententiam ſequuntur Lombardus, & Anſelmus Commentarijs in hunc locum. Thomas prima Lectione in quintum caput primæ ad Corinthios. *Mandauit Apoſtolus Corinthijs tradere prædictum fornicatorem Satanæ, corporaliter vexandum.*

CAP. XII.

De poteſtate Apoſtolorum & Prophetarum in corpora. Et de virga Apoſtolica.

POteſtatem affligendi corpora & immittendi morbos, quandoque etiam

afficiendi morte Chriſtus dedit Apoſtolis. Hac poteſtate vſus eſt Petrus in Ananiam & Sapphiram: & Paulus in Elymam incantatorem. Eandem poteſtatem ſæpe exercuerunt Prophetæ Veteris Teſtamenti. Ad Moſis verba terræ hiatus abſorbſit Core, Dathan, & Abiram conſpirantes in Moſem. Elias bis quinquagenos milites igne ὐρανοπετεῖ abſumpſit. Eliſæus vrſos immiſit in pueros qui eum conuitijs inceſſebant. Idem lepram Naamanis tranſtulit in Giezi ſeruum ſuum.

Hæc eſt virga Apoſtolica de qua Paulus 1. ad Corinthios c. 4. ℣. 21. *An* (inquit) *veniam ad vos in virga?* Hæc verba ſic accipit author commentarij in hanc epiſtolam qui tribuitur Hieronymo. De eadem poteſtate agit idem Apoſtolus ſecunda ad Corinthios cap. 10. 6. vbi ait ſe habere *paratam vltionem aduerſus omnem contumaciam.* Et cap. vltimo ℣. 10. *Hæc abſens ſcribo ne præſens ſeueritate vtar, pro ea poteſtate quam mihi dedit Dominus ad ædificationem, non vero ad deſtructionem.* Ad hanc virgam Apoſtolicam arbitramur pertinere traditionem Satanæ, quam exercuit Pau-

lus aduerſus Hymenæum & Alexandrum. 1. Timot. 1. 20. & inceſtum Corinthiacum 1. Cor. 5.

Nec eſt vt quenquam conturbet quod Deus aliquando adhibeat Satanam ad vexãda corpora eorum quorum animas vult ſeruare. Exemplum habemus in Iobo viro ſanctiſſimo, cuius corpus Satan contriuit doloribus, Deo permittente. Et in muliere cuius ſpina erat arcuata ex luxatione vertebrarum, quam Chriſtus dicit à Satana ligatam fuiſſe. Luc 13. 16. Et in ipſo Apoſtolo Paulo, cuius corpori cum ſtimulus grauiſſimi doloris eſſet infixus, inſuper acceſſit Angelus Satanæ qui eum cæderet colaphis, incumbens preſſo, & morbum prægrauans.

CAP. XIII.

Expenditur ſententia eorum, qui per traditionem Satanæ intelligunt excommunicationem, & per interitum carnis imminutionem concupiſcentiæ.

NOn deſunt viri pietate & doctrina inſignes qui hanc traditionem Sata-

næ cenſent eſſe excõmunicationem. Per ὄλεθρον verò carnis volunt intelligi imminutionem ſeu cohibitionem cõcupiſcentiæ carnalis fractæ & domitæ per pœnam excommunicationis. Quæ ſententia, pace eorum dixerim, plurimis incommodis vrgetur.

Negari quidem non poteſt quin Paulus iubeat inceſtum moueri cõmunione Eccleſiæ & excommunicari. Sed hanc excõmunicationem vult fieri à Corinthijs. Dicit enim ℣. 13. *Tollite illum ſceleratum de medio veſtrûm.* Vult id fieri Miniſterij ordinarij authoritate. At cum agit de traditione Satanæ hanc poteſtatem ſibi reſeruat, ſic loquens, *DECREVI vt qui talia patrauit tradatur Satanæ.* Vult quidem ſuæ iſti voluntati conſenſum Eccleſię Corinthiacæ adiungi; non quod hoc eius iudicium penderet à Corinthiorum aſſenſu: ſed abſolutè iubet Corinthios præbere aſſenſum ſuæ ſententiæ. Id liquidè apparet ex exemplo Hymenæi & Alexandri, quos Apoſtolus dicit ſe tradidiſſe Satanæ, nulla facta mentione Eccleſiæ cuius conſenſum expectaret. 1. Timoth.1.20.

Per *carnem* vero intelligi *corpus* non vero *concupiſcentiam* inde liquet quod Apoſtolus carnem opponit ſpiritui id eſt animæ, dicens, *ad interitum carnis vt ſpiritus ſeruetur.* Cum enim ſpiritus hîc ſignificet animam, neceſſe eſt per carnem oppoſitam corpus intelligi. Enimuero quotieſcunque per carnem intelligetur concupiſcentia, per ſpiritum oppoſitum, regeneratio, aut ſancti motus animi intelliguntur. Vt Rom. 8. 1. Gal. 5. 17.

Sanè qui dicunt Paulum tradidiſſe animam inceſti diabolo, rem dicunt abhorrentem à natura Miniſterij Euangelici, cuius munus non eſt tradere animas hominum diabolo, ſed potius in hanc curam incumbere vt ſeruentur.

Hanc poteſtatem ſi Deus dediſſet Paſtoribus Eccleſiæ, eiſdem proculdubio dediſſet poteſtatem eas eripiendi diabolo. Non enim munus paſtorum potentius eſt ad perdendas animas quàm ad ſeruandas.

Apoſtolus dicit ſe Hymenæum & Alexandrum tradidiſſe Satanæ, vt diſcerent non blaſphemare. Profecto ſi hæc traditio Satanæ ad animas extenderetur, ſub ta-

li magiſtro potius fuiſſet ad blaſphemiam inſtigati. Secus eſt de cruciatu corporis. Nam conteri doloribus & morbis à diabolo, poteſt prodeſſe ad pœnitentiam & ſalutem.

Neceſſe eſt autem vt is cuius animam Paſtores tradiderint diabolo vel ſit electus, vel reprobus. Si electus, iniuſtè & incaſſum traderetur diabolo, quem Pater dedit Filio. Si reprobus, fruſtra traderetur diabolo anima quę ante hanc traditionem erat diabolo mancipata, & deſtinata inferno.

Cum autem nonnunquam accidat vt paſtores, vel ignorantia & falſis ſuſpicionibus decepti, vel maleuolentia ſtimulati, excõmunicent innocentem, an per talem excõmunicationem anima innocens ſubjicietur diabolo? An Deus ſeruiret paſtorum nequitiæ aut ignorantiæ?

Fingamus tamen hanc traditionem Satanæ quam Paulus exercuit in inceſtum nihil aliud eſſe quam excommunicationem. Inde enim confici non poſſet eſſe penes paſtores ordinarios exercere eandem poteſtatem: dicerem enim peculiare

id fuiſſe Apoſtolis, quibus aliquãdo Deus reuelabat arcana electionis & reprobatiõtionis. Vt probauimus ex 1. ad Theſſal. c. 1 ṽ. 4. Et ex epiſtola ad Philippenſes cap. 4. 3. Talis traditio hominis reprobi, nihil aliud eſſet quam declaratio hunc peccatorem ad diabolum pertinere: quod de inceſto Corinthiaco dici non poteſt quem Paulus tradidit Satanæ vt anima eius ſeruaretur.

Durum videtur quibuſdam ὄλεθρον τῆς σαρκὸς, *perniciem ſeu exitium carnis*, accipere pro graui corporis cruciatu. At Chryſoſtomus rarum eloquentiæ Græcæ exemplum, ita accepit, quem incuſare imperitiæ in ſua lingua non mediocris eſſet audacia. Trita eſt hæc phraſis, grauiſſimos morbos vocare corporis exitium & interitum. Apoſtolus 2. ad Corinthios cap. 11. 23, dicit ſe ſæpe fuiſſe in mortibus, id eſt in præſentiſſimis mortis periculis. Pharao Exodi cap. 10. 17. petens à Moſe locuſtas à ſe amoueri dicebat, *amoue à me hanc mortem.* Et lib. 2. Regum cap. 4. 40. filij Prophetarum, guſtata offa amarulenta, exclamauerunt ad Elizæum, *O vir, Dei mors eſt*

in olla. Eiuſmodi phraſibus contextus eſt Pſal. 88. Denique vſitatiſſimum eſt præſentiſſima mortis diſcrimina, mortem & exitium appellare quamuis illa diſcrimina mors & interitus non conſequatur. At longè maior eſt ἀκυρολογία emendationem & cohibitionem concupiſcentiæ *interitum* & perniciem appellare.

Denique verba hæc ſunt Apoſtoli *Conſtitui vt eiuſmodi homo tradatur Satanæ ad exitium carnis vt ſpiritus ſeruetur.* Quæ verba qui ſic interpretantur, *Decreui vt eiuſmodi hominis anima tradatur diabolo vt concupiſcentia eius frangatur, & anima eius ſaluetur*, planam & claram ſententiam imponunt equuleo & eius verba cõtorquent: nec quis ſit finis & effectus excõmunicationis, nec quæ ſit poteſtas paſtorum, nec quæ mens Apoſtoli ſatis conſiderant.

CAP. XIV.

Quinam poſſint excommunicari. Tum de muribus & locuſtis & caballis. Et de pueris pugnantibus in Eccleſia.

Ii ſoli excommunicari poſſunt qui ſunt profeſſione Chriſtiani, & qui ob ſcelus

publicum & notum meruerunt excludi cõmunione Eccleſiæ. Non vibratur anathema in Ethnicum, nec in Iudæum, aut Mahumetanum. Non poteſt excludi Eccleſia qui nunquam fuit in Eccleſia: nec extrudi domo qui nũquam fuit in domo. Tum qui à vera religione deficit ad falſam & idolorum cultricem, fruſtra eliminaretur Eccleſia à qua ipſe ſe eiecit. Nec debet excommunicari vrbs aut regio integra. Et meritò id prohibetur Titulo de Sententia Excommunicationis Cap. Romana in VI. Nam in vrbe, aut regione multi ſunt infantes: qui quidem iniuſtè ob alienam culpam excommunicarentur. Nec ſemper omnes adulti eiuſdem culpæ ſunt participes.

Excommunicare verò beſtias, res eſt ridicula, & ſacræ diſciplinæ Eccleſiaſticæ euidens profanatio. Quod tamen aliquando fit in Eccleſia Romana. Auguſtus Thuanus Curiæ Præſes, author accuratiſſimus & fide digniſſimus Hiſtoriarum libro ſexto, refert Auguſtoduni Heduorum, mures agrum populãtes ab Epiſcopo eiuſque vicarijs fuiſſe diris deuotos, ſed ante

pronuntiationem ſententiæ diem fuiſſe muribus dictam, intra quam obirent vadimonium, conceſſa inſuper comperendinatione: idque per Curiones in ſingulis paroecijs promulgatum fuiſſe.

Anno Chriſti 1028. habita eſt Synodus Lemouicenſis cuius Seſſione ſecunda, habemus formulam diræ excommunicationis in milites rapientes bona Eccleſiæ, & in eorum caballos, qui vna cum heris damnantur ad infernum cum Cain, & Iuda. Tum extinguntur candelæ. Bochel. Decret. lib. 2. cap. 18.

Franciſcus Aluarez Monachus Luſitanus, libro de deſcriptione Æthiopiæ, editionis Lugdunenſis pag. 48. refert locuſtas Æthiopicas à ſe excõmunicatas, triduumque ipſis datum, intra quod iuſſæ ſunt excedere tota regione. Et dicit eas paruiſſe. Id habuit à Luſitanis. At Toletus Inſtructionis Sacerdotalis lib. 1. cap. 7. eiuſmodi excommunicationes improbat.

Verba Emanuelis Sa Ieſuitæ Aphoriſmis Verbo *Excõmunicatio*, plena ſunt æquitatis. *Sotus* (inquit) *putat pueros clericos ſe inuicem percutientes vſque ad ſangui-*

nis è naribus effuſionem, etiam in Eccleſia, non eſſe excõmunicatos: quod mihi prudens dictum videtur. Hæc Ieſuita.

CAP. XV.

Species Excommunicationis. An Anathema & Excommunicatio idem ſint. De Excommunicationibus Monitorijs.

EXcommunicationis in Eccleſia Romana duæ ſunt ſpecie. Minor & Maior. Minor priuat peccatorem ſola participatione Sacramentorum. At Maior inſuper priuat excommunicatum ſacrificijs, ſuffragijs & orationibus publicis, & conſuetudine & conuerſatione ciuili. Nam cum eo qui tali fulmine eſt afflatus nefas eſt cibum capere, & in eodem lecto decumbere. Extenditurque hæc excõmunicatio vltra mortem, nam ſic excommunicatus priuatur ſepultura Eccleſiaſtica. Tum qui excommunicati corpus compoſuit, aut eius funus ad cœmeterium proſecutus eſt pari excommunicatione inuoluitur.

Sunt & quędam excommunicationes generales qualis eſt illa quæ continetur bulla de Cœna Domini. Et quædam ſingulares in qua excõmunicatus nominatur, & peculiariter deſignatur.

Eſt & diſcrimen inter eum qui excommunicatus eſt à lege ſeu iure, & eum qui ab homine. Dicitur excõmunicatus à lege qui crimen commiſit per quod ipſo facto fit excommunicatus, ſic ſtatuente lege Eccleſiæ Romanæ, quãuis in eum ſententia excõmunicationis non ſit nominatim pronuntiata. Quæ poſtquam eſt pronuntiata ab idoneo iudice & cõpetenti, tunc dicitur excommunicatus ab homine.

Cum autem Maior Excommunicatio idem ſit cum Anathemate, ſolent tamen Theologi Romanenſes Anathematis nomine intelligere excõmunicationem quę fit Maiori cum ſtrepitu & ſolẽnitate. Hęc fit ex ſcripto cum ſonoro pulſu cãpanarum, & candelis accenſis, & deinde extinctis, & ex ſuggeſtu præcipitatis & conculcatis. Cauſa vndecima Decreti, Quæſt. tertia. Cap. *Debent*, ſuper formula excommunicationis hæc habentur. *Debent duo-*

decim Sacerdotes Epiſcopum circunſtare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in concluſione Anathematis vel Excõmunicationis debent proijcere in terram, & conculcare pedibus. Deinde epiſtola per parochias mittatur continens excõmunicatorum nomina & cauſam Excõmunicationis. Synodus Ebroicenſis habita anno 1576. iubet inſuper, ante Pronum poni feretrum tectum palla mortuorum, cum cereis ardentibus & aqua benedicta, & excommunicatum lugeri vt mortuum, quamuis ſit viuus, Bochel. lib. 2. Decret. cap. 24.

Sunt & excommunicationes quæ vulgo Monitoriæ & Monitiones appellantur, quæ vibrantur in fures ignotos, & in furta non facta, ſed timetur ne fiant, & ad recuperandas res perditas, & in gratiam creditorum, & ad reuelationem rerum occultarum. Quas excommunicationes Synodus Tridentina approbat Seſſione XXV. in Reformatione: ſed vetat fieri ab alijs, quam ab Epiſcopis. Quę lex paſſim violatur à Parochis pagorum & oppidorum, vibrantibus excommunicationes Monitorias.

Enimuero cum finis excommunicationis ſit ſalus peccatoris & expurgatio Eccleſiæ, & vt alij admoniti exẽplo abſtineant talibus peccatis, & pia formidine contremiſcant, hæ cenſuræ ſub Papiſmo verſæ ſunt in turpem cauponationem, & ad infimas ſordes ſunt deuolutæ. Qua de re Gabriel Biel magnę inter Scholaſticos authoritatis ſic loquitur Lectione 6. in Canonem Miſſæ. *Noſtris temporibus gladius ille dilatatus eſt vſque ad profanas laicorum cauſas, ac ſæculari foro agendas: in tantùm vt nonnunquam pro debito quinque ſolidorum quis excommunicatione feriatur.*

Hæ Excõmunicationes Monitorię fiunt hoc modo. Toparcha ſeu Dominus pagi vel caſtelli, metuens ne ruſtici poma ſui horti ſurripiant, aut aliquas ſuas pecudes abigant, iubet ſacerdotem ſui pagi fulminare Monitionem (ſic enim vocant) aduerſus eos qui fructus ſui horti aut racemos de ſuis vitibus furabuntur, aut abigent aliquas oues aut equos. At ſi tale furtum iam perpetratum eſt, & fur ignoratur, dira excommunicatio fulminatur in furem ignotum, niſi intra ſeptiduum aut aliam diem

prꝗſtitutam reſtituat quod abſtulit. Sed aliquando accidit vt iſtius Toparchę filius patris equum furatus ſit & vendiderit patre inſcio. Ita fit (ſi qua vis eſt iſtius excõmunicationis) vt pater filium diro Anathemate innodauerit, & ob equi aut vaccæ corpus perdiderit animam filij.

Toletus de Inſtruct. Sacerd. lib. 1. cap. 9. §. 5. *Fertur excõmunicatio ad inſtantiam creditorum.* Nempe debitor diro anathemate confoditur, niſi intra bimeſtre aut trimeſtre ſpatium pecuniam debitam creditori repræſentet. At fieri poteſt vt debitor non ſit ſoluendo, idque non ſua culpa ſed improuiſa & ſubita calamitate: nec ei detur facultas verſuram faciendi quia non inuenit qui ei credant mutuò pecuniam.

Fiunt etiam excõmunicationes monitoriæ in gratiam litigantis, vt ab aduerſario extorqueat cartas & ſcripturas, quas fraudulenter premit & occultat.

Fulminaturque excõmunicatio in futurum aduerſus peccata nondum facta & quæ nunquam fient, & de quibus faciendis nemo cogitauit. Sic excõmunicatio funditur in ventum & ictu irrito.

Synodus Carnotēſis habita anno Chriſti 1526. iubet pro huiuſmodi excōmunicationis publicatione & executione ſolui tres ſolidos. Bochel. libro 2. Decret.

Porro vnaquęque Eccleſia cathedralis habet codicem, quem *regiſtrum* indigetant, in quem referuntur excōmunicatiōnes ad rei memoriam. Referuntur autem in hęc verba. *Anno Domini* 1586. *quarta Decēbris, præſentata mihi fuerunt exequendæ excōmunicationis literæ, à Curia Carnotenſi emanatæ & ſub eiuſdem Curiæ ſigillo ac data die Nouēb.* 28. *nouiſſimè præteriti confectæ: quibus conſtat N. Parochianum meum authoritate Domini Officialis ad inſtantiam N. pro ſūma decem librarū tali die ſoluēda, vel pro defectu dicti excōmunicatum. Significaui parti tali die.* Hæc habes apud Bochell. lib. 2. Decret. pag. 206. excerpta ex Synodo Carnotenſi habita æræ Chriſti anno 1526.

CAP.

CAP. XVI.

An teneatur debitor ſoluere pecuniam debitam excommunicato, & fidem liberare.

DIſputant Doctores an debitor teneatur ſoluere pecuniam debitam excõmunicato, & an contractus facti cum excommunicato, per excõmunicationem reſcindantur, & fiant irriti. Cauſa X V. Queſt. ſexta Cap. *Nos ſanctorum*, referuntur verba Gregorij V I I. Nos ſanctorum « prędeceſſorum noſtrorum ſtatuta tenen« tes, eos qui excõmunicatis fidelitate aut « ſacramento conſtricti ſunt Apoſtolica au« thoritate à iuramento abſoluimus, & ne « ſibi fidelitatem obſeruent omnibus mo« dis prohibemus, quouſque ipſi ad ſatisfa« ctionem veniant. Super hoc oraculo A« poſtolico Gloſſa Doctorum mouet hanc quęſtionem. Sed quid ſi (inquiunt) iura« ui me ſoluturum alicui pecuniam, vel ſub « pœna promiſi, & ille excommunicatur, « nunquid teneor ei ſoluere? Videtur quod « non: quia qualitercunque debemus vexa«

"ie malos vt ceſſent à malo. Et paulò poſt,
"Excōmunicatis in nullo caſu communi-
"cabimus, niſi in illis quę ſpectant ad cor-
"rectionem. Item, Intelligor iuraſſe, ſed
"ſub hac conditione, ſi res in eodem ſtatu
"permanet. Et qui malè ſunt meriti publi-
"ca egeſtate laborare debent. De hoc au-
"tem non eſt dubium quin pecunia peti
"poſſit ab excommunicato.

Sunt tamen inter aduerſarios qui ab hac perfidię diſciplina videri volunt alieni: ſed veteratoriè rem gerunt, & ſimulantes ſe hanc nequitiam improbare, in eandem via obliqua relabuntur. Toletus Ieſuita de Inſtructione ſacerdotali lib. 1. c. 11. cenſet quidem contractus cum excommunicato eſſe validos. Negat tamen licere excōmunicato iure agere cum debitore, & ius ſuum perſequi in iudicio durante excōmunicatione. Sic contractus fit inualidus: nec ſperandum eſt vt debitum ſoluatur creditori qui ius petendi quod ei debetur amiſit. Idem ſentiunt cęteri. Verſipelles veteratores, retrahunt quod porrexerant, & ſimulata æquitate declinantes inuidiam in eandem nequitiam

relabuntur. Enimuero cum Gregorij VII. aliorumque Pontificum ſanctione homines vetentur ſeruare fidelitatem excõmunicatis, quis neſcit ſolutionem debitorum ex pacto, ad fidelitatem pertinere?

Martinus Becanus Ieſuita Germanus, libro peculiari docet fidem ſeruandam hęreticis: & profitetur ſe diſſentire à Theologis qui contra ſentiunt. Eius verba c. 8. §. 13. hęc ſunt, *Doctores diſcrepant in eo an debeas homini dum manet excõmunicatus fidem & debitũ perſoluere, an potius expectare, dum ſoluatur ab excõmunicatione.* Et ait Suarem ea de re diſputare Diſp. 15. Sect. 8. quid Suares ſentiat aſtutè diſſimulat. Et dicit obiici ex iure Canonico *Hæreticorum bona ipſo iure eſſe confiſcata*, & id quidem Becanus ait *verum eſſe.* Vnde manifeſtè ſequitur iniuſtè ſolui hęretico excommunicato quod ei debetur. Nam cur ei ſolueretur quod non poteſt iure poſſidere? Et ibidem pertendit Excommunicatum priuari dominio rerum tẽporalium, & iuriſdictione quam habebat in ſubditos. Et hanc ſententiam tuetur auctoritate Gregorij VII. & Vrbani II. Pontificum,

qui vetuerunt ſeruare fidem iuratam excommunicato. Sic homo verſipellis diſſimulationem ſuam prodit & laruam ſibi detrahit, & non obſcurè declarat ſe ſimulatè agere, cum docet fidem eſſe ſeruandam hęreticis. Nempe timuit ne ſi apertè diceret fidem non eſſe ſeruandam hęreticis, bilem moueret Germanis à Papiſmo alienis inter quos viuebat. Et hic quidem Ieſuita ſummus mētiendi artifex ſuis ſodalibus palmam calumniæ pręripuit: quorum veſtis talaris gemina, meritò poteſt *charitas* appellari, tegit enim multitudinem peccatorum.

Eſtque obſeruanda hac in re Papiſtarum Germanorum prudentia. Ibidem enim Becanus docet fas eſſe cum hæretico verſari, & contrahere, modò ne ſit nominatim excommunicatus. Illi verò ſibi ſedulò cauent ne quem Germanum alienum à fide Romana nominatim excommunicent. Ita ſibi acquirunt libertatem petendi eleemoſynam à noſtris, & vtendi eorum opera ad mercaturam, & ad rem familiarem.

Pari fraude idem Ieſuita §. 16. dicit has

leges quæ priuant hæreticos bonis, non obligare ad executionem pœnæ ante ſententiam iudicis. Ergo poſtquam Papa ſententiam pronuntiauerit qua hæreticus excommunicatus exuitur bonis, hic hæreticus nihil poteſt iuſtè poſſidere, nec fas eſt ei ſoluere quod ei ante excommunicationem debebatur; & fides ei frangenda eſt. Denique ineptus Theologus ſe manifeſta contradictione implicat.

CAP. XVII.

De ſepultura excommunicatorum, & eorum qui à Pontificijs hæretici appellantur.

HOrrendum eſt & inhumanum, & cuius exemplum non inuenitur inter Ethnicos & barbaros, quod habetur cap. *Quocunque, De hæreticis in Sexto, vbi ipſo iure excõmunicantur quicunque ſcienter præſumunt tradere Eccleſiaſticæ ſepulturæ hæreticos, & eorum receptatores, & defenſores & fautores. Et eis adimitur ſpes abſolutionis donec proprijs manibus publicè humò effodiant & proiiciant huiuſmodi cadauer.*

Idque probat Toletus lib. 1. Inſtructionis Sacerdotalis cap. 38. §. 22. & cap. 13. Emanuel Sa Aphoriſmis, in verbo *Sepultura.* vult excommunicatum exhumari, & locum recõciliari, & parietes radi. Clementina de Sepulturis cap. *Eos qui*, ferit Anathemate eos qui excommunicatos aut mortuos ſub interdicto, ſepeliunt in cœmeterijs. Tale corpus quamuis fœtens, & vermibus bulliens extrahitur humo, & cum horrore & publica execratione prouoluitur foras, & fit martyr poſt mortem. Huius prodigioſæ feritatis exempla ſunt innumera.

Sub Rege Angliæ Ricardo primo Normania fuit interdicto ſubiecta, ob controuerſiam Regis cum Archiepiſcopo Rotomagenſi vt refert Matthæus Paris ad annum Chriſti 1097. *tunc* (inquit Matthęus) *iacebant corpora defunctorum inſepulta per plateas ciuitatum & vicos, quæ viuentibus fœtorem non minimũ incuſſerunt.* Sub Iohanne Ricardi ſucceſſore, tota Anglia per annos ſex & aliquot mẽſes (vt refert idem author) iacuit ſub Papali interdicto: quo tẽpore paſſim iacebant inſepulta cadaue-

ra, occluſis cœmeterijs: & quotquot Angli ſub interdicto mortui ſunt, iudicio Papali damnationi æternæ fuerunt addicti. Non ob hæreſim, ſed ob controuerſiam inter Papam & Regem ſuper collatione beneficiorum & Epiſcopatuum. Quanta fuerit toto ſexennio aëris impuritas, ex fœtore cadauerum, quantus populi clamor & eiulatio facile eſt æſtimare.

Cruci ſuffigi ſupplicium fuit maledictum inter Iſraelitas, vt habetur Deuter. 21.23. Qui tamen hoc ſupplicio afficiebantur, ibidem iubentur ſepeliri. Cui legi Ioſue vt obſequeretur, Reges Cananæorum in crucem actos, iuſſit ſepeliri ante Solis occaſum. Ioſ. 10. ℣. 26. & 27. Chriſto præter crimen Maieſtatis, impingebatur crimen blaſphemiæ & impietatis quæ quauis hæreſi eſt longè deterior, nempe quod ſe æquaret Deo. Iudæi tamen qui eum hoc nomine execrabantur paſſi ſunt eius corpus pollinі & honeſtè componi. Nam quantacunque fuerit ſontis nequitia tamen homo fuit. Si id non datur homini, dandum eſt humanitati. At nos qui multis in vrbibus & regionibus habe-

mus Pontificios nobis ſubiectos, & poſſemus pariter ſæuire in eorum cadauera abſtinemus hac feritate plus quam barbara & ferina, & Pontificiorum cadauera relinquimus intacta. Res ſane horrenda, quod in Eccleſia Romana, ſi vxor, aut agnatus corpus mariti vel conſanguinei excõmunicati publico polyandrio intulerit, iubetur proprijs manibus effodere cadauer & exponere publicæ execrationi. Cauſa affertur, nempe quia eſt corpus hæretici.

Tanta ſæuitia in mortuos mitigatur benignitate erga viuos. Nam Eccleſia Romana permittit excõmunicato reddere debitum vxori. Teſte Toleto Card. Ieſuita lib. 1. de Inſtruct. Sacerd. cap. 11. § 5.

CAP. XVIII.

Excommunicationum Tyrannis.

QVanta Tyrannide hæc fiant hinc liquidò conſpicitur, quod Papa aliquando iubet aliquem excõmunicari ſine cognitione cauſæ. Teſte Toleto lib. 1. c. 16, §. 13. Id cum ſit, nefas eſt Epiſcopo qui

hoc mandatum à Papa accepit anquirere an cauſa ſit iuſta an iniuſta. Fatentur autem omnes Papam poſſe errare in quæſtione facti, & in moribus, & eum poſſe trãſuerſum agi ambitione aut iracundia: cenſent tamen excõmunicationem iniuſtam eſſe validam. Ergo Epiſcopus poterit dicere excommunicato, *Ego te excommunicaui, at cur te excommunicauerim, & an te iuſta de cauſa te excommunicauerim ignoro.*

Cum autem iure ordinario excommunicatio non pertineat ad Curiones ſeu ſimplices preſbyteros, Papa tamen hanc poteſtatem aliquando dat laico, immo & fœminæ, vt poſt Panormitanum & Antoninum & Paludanum monet Toletus lib. 1. de Inſtruct. Sacerd. cap. 6 § 1. *Fœmina non poteſt excommunicare: poſſet tamen ex commiſſione Papæ.*

Quod ſi excommunicatus per annum poſt promulgationem, non ſatisfaciat nec ſe ſubmittat Eccleſiæ, inſimulatur hæreſeos, ideoque poteſt tradi inquiſitioni, vt viui comburio pereat. Verba Synodi Tridentinæ Seſſ. XXV. cap. 3. in Reformatione hæc ſunt. *Si obdurato animo cenſuris*

annexus, in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum tanquam de hæreſi ſuſpectum procedi poſſit.

Eadem Synodus eodem capite, agens de Excommunicatione, permittit Epiſcopis irrogare laicis mulctas pecuniarias, & per ſuos executores exigere pignora & perſonas conſtringere. Et quia per iſtas excõmunicationes in cauſis ciuilibus quarum cognitio ad Magiſtratum ciuilem pertinet infamantur perſonæ aut familiæ, & Magiſtratus ciuilis conqueritur ſua iura inuadi à clericis, Synodus hęc addit, *Nefas ſit ſæculari CVILIBET Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico iudici aliquem excommunicare, aut mandare vt latam ſententiam reuocet.* Data opera hęc vox CVILIBET inſerta eſt ne quis Imperatorem, aut Reges excipiat, aut putet ſummos Magiſtratus his legibus non aſtringi. Qui quidem facilè poſſent oppedere iſtis fulminibus brutis: quibus vir pius ambuſtus inde dormit placidius. Nemini enim nocent niſi timentibus & ſuperſtitione faſcinatis.

CAP. XIX.

De Imperatorum, Regum & Magiſtratuum Excommunicatione.

EXcommunicatio præcipuum eſt firmamentum Pontificalis Imperij temporalis. Hoc telum formidabile eſt populis & Regibus. Ad fragorem huius fulminis, vrbes, regiones, Principes iam ab aliquot ſeculis contremiſcunt. Per Excõmunicationes Papa factus eſt Rex Regum, & coronas Imperatorum & Regum ſubiecit ſuæ Monarchiæ temporali: & dominium vſurpauit in omnia bona terrena, vt demonſtrabimus: & animas hominum immorigerorum præcipitat in tartarum, æterniſque cruciatibus addicit.

Per Excõmunicationes Papa Imperatores, Reges, Officiales Palatinos, Iudices, cauſidicos, procuratores, & agentes in rebus, ſuo ſic ſubiecit imperio, vt nemo poſſit (ſi Papæ adulatoribus creditur) munus vllum ciuile exercere, niſi ex Papæ nutu & permiſſione: Conſtans enim eſt inter

Theologos & Ieſuitas ſentẽtia, eum quem Papa, aut Epiſcopus fultus Papæ authoritate nominatim excõmunicat, amittere quicquid habet iuriſdictionis & authoritatis, eiuſque edicta, leges, actiones ciuiles, & iudicia eſſe irrita. Eumque tunc demum poſſe reſtitui in integrum, quando Papæ ſe ſubiecerit, eique ſatisfecerit. Hac doctrina nihil nequius, vtpote quę omnem Magiſtratuum authoritatem à ſtirpe conuellit, & conturbat omnem humanam ſocietatem.

Poteſtatem verò excõmunicandi Reges ademptam omnibus alijs Epiſcopis Papa ſibi ſoli arrogat. Emanuelis Sa Ieſuitæ hęc eſt ſententia Aphoriſmis Verbo Excõmunicatio §. 15. *Reges à ſolo Papa excõmunicantur & cenſuris ligantur*. Id non credidit Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus qui Theodoſium I. Imperatorem mouit cõmunione Eccleſiaſtica, & ad pœnitentiam publicam cõpulit, inconſulto Epiſcopo Romano. Hinc collige per hanc doctrinam præcipuè Reges peti & hoc fulmen cudi in eorum capita.

Quanta autem ſit vis excõmunicationis

docet Toletus lib. 1. Inſtruct. Sacerd. c.13. §. 8. ſic ſcribens. *Qui tenebantur alias obnoxij vinculo fidelitatis vel iuramenti alicui, liberantur à tali vinculo ſi is inciderit in excõmunicationem ea durante. Ita habetur can.* Nos *ſanctorum*, *&* *Can. Iuratos.* 15. *q.* 6. Addit Toletus. *Excõmunicatus priuatur actu iuridico accuſandi, teſtificandi, patrocinandi, procurandi. cap. Decernimus de Sententia excõmunicationis in* 6. Nec eo ſegnior Eman. Sa Aphoriſ. Verbo Excommunicatio §. 27. *Excõmunicatus eſt ſuſpenſus ab officio, & beneficio, nec poteſt eſſe procurator nec accuſare, iudicare aut teſtificari, niſi in cauſa hæreſis.* Ergo ſi Papa Curiam Parlamenti, aut Conſiliarios Regij Conſiſtorij excõmunicauerit, excident Officio, & eorum omnia acta erunt irrita & nulla. Idque non expectato Regis conſenſu, Papa ſic decernente.

CAP. XX.

Primula huius ſceleratæ doctrinæ initia.

HAnc feralem facem primus intorſit Gregorius VII. anno Chriſti 1076.

In Henricum IV. diro Anathemate detonans, eique abrogans imperium, ſed irrito conatu. Nam Roma pulſus ab Henrico Salernum profugit vbi ex ægritudine animi diem clauſit. Moriens autem faſſus eſt culpam, agnoſcens ſe inſtigatore diabolo Eccleſiam perturbaſſe, teſte Sigeberto ad annum 1085. Verba Bullæ fulminantis habes apud Platinam in Gregorio VII. Eadem poteſtate vſus eſt Alexander III. in Fridericum Ahenobarbum. Et Innocentius III. in Iohannem Angliæ regem; quem diro Anathemate confodit, eiuſque regnum dedit Philippo Auguſto regi Galliæ: quod tamen mox ei ademit, dicens Angliam eſſe Petri patrimonium, id eſt Papæ. Eodemque fulmine idem Papa Othonem Imperatorem perculit. Idem auſus Innocentius IV. in Fridericum II. verè Heroem, in Concilio Lugdunenſi, In quem brutum fulmen vibrauit ei imperium abrogans, ſed nullo ſucceſſuo. Pari temeritate & infelici ſucceſſu Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum Galliæ Regem innodauit anathemathe, & Galliam dedit Alberto Imperatori Ger-

maniæ, vt dantur quæ tradi non poſſunt. Nec mitius actum cum Ludouico XII. patre populi, cui Papa regnum Nauarræ ademit, & Galliam ſubiecit interdicto. At fortiſſimus Rex Papæ copias ad Rauennam deleuit, & nummos aureos cudi iuſſit, in cuius ambitu ſcriptum erat, *Perdam Babylonis nomen.*

CAP. XXI.

Gregorij VII geſta mores & mors.

HIc Gregorius vehementi infamia laborauit ob inceſtam cum Mathilde conſuetudinem quæ dimiſſo Godefredo ſuo marito indiuulſa ſocietate ei adhęrebat. Lãbertus ſummus Papæ adulator, ad annum Chriſti 1077. non potuit ſibi temperare quin de eo hęc diceret. Nec Gre- « gorius euadere potuit inceſti amoris ſuſpi- « cionem, paſſim iactantibus regis fautori- « bus quod die ac nocte impudẽter Papa in « eius volutaretur amplexibus. Familiarem « habuit Benonem Cardinalem qui de eius pręſtigijs & incantationibus multa hor-

renda conſcripſit Vuilielmus Traiectenſis Epiſcopus, declamabat Gregorium periurum eſſe & adulterum & pſeudoapoſtolum, teſte Baronio An. 1076. § 35.

Cum autem aſperrimus eſſet in clericos coniugatos, qui fuerint Cleri clamores, & quãta totius Cleri indignatio idem Lambertus ſic narrat, Infremuit (inquit) TOTA factio clericorum, Gregorium hominem planè hæreticum & veſani dogmatis eſſe clamitans qui oblitus ſit ſermonis Domini quo ait. Non omnes capiunt hoc verbum: & qui ſe non continet nubat, & melius eſt nubere quam vri, & violenta exactione homines cogere viuere ritu Angelorum: & dum conſuetum naturæ vſum negaret, fornicationi & immunditiei fręna laxaret. Quod ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe ſacerdotium quam coniugium deſerere, & tunc viſurum eum cui homines ſorderent vnde gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus Angelos comparaturus eſſet. Ægre & cunctanter in hoc negotio Archiepiſcopus Moguntinus ſubſeruiebat Pontifici, neque id obſcurè ferebat, veruntamen

men ad rem peragendam Concilium Herfordiam conuocauit. Eò cōuenerunt frequentes ſacerdotes coniugati. Quorum " alij fuga dilapſi, alij verò Synodo tantiſ- " per egreſſi, ſuadebant & vocibus non ob- " ſcuris clamitabant oportere antequam " execrabilis hæc ſententia ab Epiſcopo " promulgaretur eum deturbare cathedra " Epiſcopali & merita morte multare. Ille " verò culpam rejiciebat in Papam dicens ſe inuitum ad hæc agenda compelli. Nec auſus eſt promulgare ſententiam quam animo cōceperat, & promiſit ſe miſſurum ad Dominum Apoſtolicum, vt eum, ſi qua ratione poſſet, ab incepto dehortaretur. His conſona ſcribit Sigebertus Monachus Gemblacenſis, Chronico, ad annum Chriſti 1074. Vxoratos (inquit) ſa- " cerdotes Gregorius à diuino officio remo- " uit, nouo exemplo, & vt multis viſum eſt, " inconſiderato præiudicio, & contra San- " ctorum Patrum ſententiam. Cui idcirco " maior fides adhibenda eſt quia fuit Hildebrando coæuus, & ſcripſit de rebus quas ipſe vidit. Nec ab Henrico Cæſare ſperabat incrementum dignitatis, vtpote

Monachus obſcuri cœnobij in Brabantia.

Anno Chriſti 1075. Gregorius VII. Concilium Romæ celebrauit, in quo (vt ait Baronius) omnia iudicata ſunt ad Papæ nutum. *Tum Papæ poſitus eſt thronus in quo Apoſtolico throno idem præſideret Antiſtes, legitimus Petri ſucceſſor, Chriſti vicarius, qui EADEM poteſtate polleret.* Sic Papa Chriſto æquatur.

Pergit Baronius, & dicit Gregorium ad diſperdendos omnes operantes iniquitatem inſtigatum eſſe hoc Chriſti oraculo ad Petrum, *Surge, occide & manduca.*

Perniciem autem Henrici IV. Imperatoris meditabatur, ob confictum Simoniæ crimen, quia poteſtatem à Carolo Magno per trecẽtos & amplius annos ad ſe deriuatã cõferendi Abbatias, & Epiſcopatus ſibi vendicabat. Ob id Gregorius Prælatos germanos & Italos promotos ad has dignitates beneficio Imperatoris, ab officio ſuſpẽdit aut munere exuit: iuxta illud cœleſte oraculũ, *Occide & mãduca.* Papa oſtẽtante Petri claues: Et illud Chriſti ad Petrum, *Paſce oues meas,* Pertendebat enim ſibi his verbis datam poteſtatem deturbandi im-

peratores ſolio, & dandi & adimendi regna. Aduerſus quem Henricus conuocauit Synodum Wormatiam, ex præcipuis Germaniæ Præſulibus. In hac Synodo Gregorius declaratus eſt indignus Pontificatu, & omnia acta eius reſciſſa. Miſſique Romam Legati iubentes, Imperatoris & Synodi nomine, vt Gregorius ſe abdicaret Epiſcopatu. Idque quia rebellis eſſet in Cæſarem Dominum ſuum: Et quia malis artibus & per cauponationem in Papatum irrepſerat. Et quòd eſſet adulter. Quòd ſtuderet Magicis artibus: Eumque vocabant falſum Monachum, veterem Berengarij diſcipulum, malè ſentientem de pręſentia corporis Chriſti in Euchariſtia. Quæ opinio inde nata, quod Benno Cardinalis ei familiaris ſcribit Gregorium ad capienda auguria hoſtiam conſecratam in ignem proieciſſe.

Iratus Gregorius, in Concilio Romano Henrico Imperium abrogat, & in eum horrendo Anathemate detonat. Præſules qui Wormatienſi Concilio interfuerant exauthorat, & eodem Anathemate inuoluit.

Ac vt toti orbi innoteſceret Gregorium non ſoli Imperatori, ſed & ipſi Deo bellum indicere, in Concilio Romano condidit canones qui à Baronio ad annum Chriſti 1076. §. 28. DICTATVS PAPÆ appellantur. Quorum præcipui hi ſunt,

" Quod ſolus Romanus iurè dicitur Vni-
" uerſalis.

" Quod ille ſolus poteſt deponere Epiſco-
" pos & reconciliare.

" Quod cum excommunicatis ab eo, nec
" in eadem domo debemus permanere.

" Quod Papa ſolus poteſt vti Imperiali-
" bus inſignibus.

" Quod ſolius papæ pedes omnes Prin-
" cipes deoſculantur.

" Quod illius ſolius nomen in Eccleſia
" recitetur.

" Quod vnicum nomen eſt in mundo,
" papa videlicet.

" Quod papæ licet Imperatores deponere.

" Quod nullum capitulum nullúſque li-
" ber Canonicus habeatur abſque papæ au-
" thoritate. Ergo ſi huic papæ creditur libri Moſis, Pſalmi Dauidis, Vaticinia

Eſaiæ, Epiſtolæ Pauli ſunt libri Canonici, quia id Papa decreuit.

Quod Papa à nemine iudicari debet. "

Quod Eccleſia Romana nunquam er- " rauit, nec, Scriptura teſtante, vnquam er- " rabit. "

Quod Romanus Epiſcopus ſi Canoni- " cè fuerit ordinatus, merito Beati Petri in- " dubitanter efficitur ſanctus. Quod dog- " ma, quo nihil ſtolidius nec impurius, ſumptum eſt ex Diſtinct. 40. Can. *Non nos.* tribuiturque Symmacho Papæ, cum potius ſit Ennodij.

Hęc ſunt ſcita ſedis Romanæ, quæ à Baronio oſtentantur vt ſancta & præclara. At multæ blaſphemiæ his oraculis ſunt tolerabiliores.

Cum autem Hildebrandus eſſet vir pugnax, & bellator non impiger, ſi quid ei aut ſuis amicis proſperè ceſſerat id Petri fauori & auxilio acceptum ferebat, rara facta mentione Chriſti. Eius omnia Anathemata & Diræ ſunt conceptæ ſub Petri nomine, non verò Chriſti. Roberto Normanno qui Alexium Comnenum acie fuderat ſic gratulatur. *Eſt quod gratias*

agas ſancto Petro cuius auxilio rem tam proſperè geſſeris. Teſtis Sigonius de regno Italiæ lib. 9. Hic Robertus Sacramento ſe obſtrinxit ad ſoluẽdum Beato Petro quot annis pro vnoquoque iugo boum penſionem duodecim denariorium Papiẽſium. An Petrus per id rem auxit? aut factus eſt locupletior?

Cum autem Henricus cupidus pacis ſe Canuſij ad pedes Gregorij abieciſſet, & duriſſimis ac iniquiſſimis conditionibus abſolutionem impetraſſet: videns ſe hoc nomine à ſuis deſpici, indignantibus Imperatoriam Maieſtatem tam fœdè eſſe proculcatam, iuramenti iſtius diſpenſationem à Clemente Antipapa accepit, vnde vulnus quod putabatur obductum recruduit & magis exaſperatum eſt.

Tunc Gregorius iracundiæ oeſtro percitus Imperium tranſtulit in Rudolphum Sueuiæ Ducem, miſſa ad eum imperiali corona, addito hoc verſiculo,

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Sub idem tempus cum Robertus & Ricardus Normani Salernum occupaſſent, Gregorius ardens iracundia eos *furijs in-*

fernalibus deuouit, vt ibidem ait Sigonius vir Papiſmo incoctus: æterniſque cruciatibus eos addixit, ſe ſtatuens inferni clauigerum. Mox & in gratiam Rudolphi repetito Anathemate in Henricum detonuit. Anathematis verba hæc fuerunt qualia referuntur à Sigonio lib. 9. Quas ob " cauſas EGO authoritate Apoſtolica mi- " hi à Deo delata Henricum Henrici Impe- " ratoris filium regis Germaniæ titulo ite- " rum ſpolio, & Chriſtianorum obedientia " priuo, atque omnis religione iuſiurandi " quo ſe illi obſtrinxerunt abſoluo. Contra " verò vt Rodolphus à proceribus Germa- " niæ in Henrici locum declaratus, regnum " adminiſtret ac tueatur, nomine noſtro, " omnibus qui fidem ei præſtiterunt, om- " nium peccatorum remiſſionem. veniam- " que in hac & in FVTVRA vita con- " cedo. Hæc fulguritor. Satis quidem pro imperio. Tanti fuit animi Hildebrandus vt non modo ſibi arrogaret poteſtatem dandi & adimendi regna, ſed etiam præcipitandi animas in infernum, & dandi remiſſionem peccatorum, vſque in futuram & æternam vitam. Grauiſſimum eſt

quod hæc æterna beneficia dabantur hominibus ſceleratiſſimis, periuris, & ſanguinarijs.

Nam Rudolphus fulmine Papali excitus, ſibi ſpondens imperium, arma corripuit, & horrendum in modum ſæuiens, ferro & flamma vaſtauit Germaniam inſtigante Pontifice. Incredibile eſt quantum ibi fuſum ſit humani ſanguinis.

Erat tunc Henricus in Italia. Hoſtes vero iuga & tranſitus Alpium inſederant, vt regreſſus in Germaniam ei intercluderetur. At ille per auia & præcipitia viam ſibi aperuit, & incredibili celeritate Germaniam peruagatus, quatuor prælijs Rudolphi copias deleuit, eumque occidit. Æger Rudolphus ex vulnere, oſtendens manum amputatam dicebat: Hæc eſt illa manus mea qua iurauevam fidelitatem Henrico Domino meo. Et in hæc verba animam efflauit. Hæc Helmoldus & alij.

Henricus victor properè exercitum trans Alpes rapit: Omnia obſtantia proſternit. Romam obſidet & biennij obſidine fatigatam tandem capit. Papa in molem Adrani profugit. Ibi actum de con-

ditionibus pacis. Fuitque tanta Gregorij ſuperbia, vt quanquam preſſus & indagine cinctus, nullas pacis conditiones admiſerit, niſi Henricus in verba eius iuraret, & ſe ei eſſe obnoxium & ſubditum profiteretur. Ope Normanorum elapſus Salernum profugit, vbi ex ægritudine animi diem clauſit. De eo Matthæus Paris author accuratiſſimus, & plenus bonæ frugis in Gulielmo Conqueſtore hæc ait, *Iure omnes Hildebrandum fuiſſe depoſitum conclamant, tanquam læſæ Maieſtatis reum, qui contra Imperatorem alium ordinauerat.* Addit Gregorium in morte faſſum eſſe ſe valde peccaſſe in cura paſtorali, & inſtigante diabolo iram Dei cōcitaſſe. Eadem ſcribit Sigebertus Chronico ad annum Chriſti 1085. Et addit Gregorium voluiſſe hanc ſuam pœnitētiam Hērico ſignificari.

CAP. XXII.

Varij euentus qui Gregorij VII. mortem ſunt conſecuti. Victoris mors.

GRegorio mortuo ſucceſſit Victor III. qui paucis poſt creationem diebus vi-

tam cum morte commutauit. Platina ſecutus Martinum ſcribit eum veneno in calicem conſecratum infuſo perijſſe. Pari fato plures alios peremptos produnt hiſtoriæ. Inde crux fixa Theologis Romanenſibus, & quæſtio nata ardua & inextricabilis.

Cenſent enim hominem poſſe ali & pingueſcere hoſtijs conſecratis, id eſt meris accidentibus, ſine ſubſtantia: & accidentia verti in ſubſtantiam, & hominem poſſe veſci & nutriri albedine ſine albo, & rotunditate ſine rotundo, & quantitate ſine quanto. Quærunt igitur an corpus Chriſti compos gloriæ poſſit toxico infici. Ægrè poſſunt adduci vt credant Chriſti corpus ſedens ad dextram patris in gloria fieri vehiculum veneni ad necãdum Chriſti vicarium, cœli clauigerum.

Cum autem omne venenum inhæreat alicui ſubſtantiæ quæ ſit eius ſubjectum, quæritur quodnam ſit hoc veneni ſubjectum. An Chriſtus? Abſit. An accidentia hoſtiæ? At id ſi fit, accidentia erunt ſubiectum ſubſtantiæ, & accidentia non erunt accidentia, quia nulli ſubiecto acci-

dent. Eſt autem inter aduerſarios conſtans hæc ſententia beſtiam poſſe ali & ſaginari hoſtijs conſecratis. Id docet Vazquez Ieſuita Tomo III. in tertiam partem Thomæ Diſput. 193. cap. 4. & 5. Innocentius III. Papa, maximus Decretorum conditor, libro 4. Myſteriorum Miſſæ c. 16. docet, Euchariſtiam, id eſt corpus Chriſti in Miſſa, cacari poſſe & euomi: & in ventriculo hominis cui nihil aliud inſit pręter hoſtias conſecratas, poſſe ex iſtis hoſtijs cieri fluxum alui. Quæ quidem quæſtio ſublimis & intricata, digna eſt quæ enodetur oraculo Pōtificis, qui in fidei capitibus errare non poteſt, etiā ſi maximè velit.

Sed circa calicem conſecratum plus eſt negotij. Nam aduerſarij ſummo conſenſu docent non dari vacuum in natura, idque excedere Dei ipſius poteſtatem: ijdem tamen ponunt vacuum in calice conſecrato, quippe qui plenus eſt nihilo, nec dici poteſt à quo corpore impleatur. Sic datur ſuperficies ſine corpore: negāt enim Calicem plenum à Chriſti ſanguine impleri. Quid vero calicem impleat dicere non poſſunt.

CAP. XXIII.

De Vrbano II.

VIctori ſucceſſit Vrbanus, qui rem auſus eſt nulli mortalium antea viſam nec auditam. Deoque ſe parem fecit, pollicens militibus cruce ſignatis ſupereminentem in cœlis gradum gloriæ. Is largas indulgentias erogauit militibus qui ſe cruce ſignarent, & ſe ad ſacrum bellum accingerent, ad recuperandam Hieroſolymam quę à Sarracenis tenebatur. Et ex toto imperio Papali quaſi ſibilo exciuit milites. Verba Bullę Papalis hęc fuerunt. *Nos omnipotentis Dei & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli authoritate confiſi, ex illa quam nobis (licet indignis) Deus ligandi & ſoluendi contulit poteſtatem, omnibus qui laborem iſtum in proprijs perſonis ſubierint & expenſis, plenam ſuorum peccatorum, ſi veraciter fuerint contriti, & ore confeſſi veniam indulgemus, & in retributione iuſtorum ſalutis æternæ pollicemur AVGMENTVM.* Sed & eadem Bulla Vrba-

nus pollicetur crucesignatis iter facile, cœlum clemens, commeatus copiam, obuia populorum officia: quę omnia miſeris iſtis peregrinis defuerunt. Ex ſola Gallia plus quam quadringenta millia concepe-runt hoc votum. HI omnes paucis dēptis, gladio, peſte, æſtu, ſiti, & fame perierunt. Tota Gallia plena erat viduis, & orphanis. Nunquam vilior fuit iactura ſanguinis humani. Vix centeſimus quiſque domum redijt incolumis. Quorundam quidem nobilium virtus heroica emicuit ſtimula-ta ſuperſtitione & ſuppoſititijs reliquijs. Sed hi perpauci erant præ infinita erronum & mēdicabulorum colluuie, qui nomen dederant huic militiæ, vt pœnas criminum & manus creditorum effugerent. Eos enim, vt Papæ & Eccleſiæ milites, Vrbanus in ſuam tutelam receperat, nec fas erat eos attingere. Trahebant lacera agmina per Pannoniam, Gręciam, Aſiam, Syriam, mille incommodis vexati. Primæ expeditioni ſucceſſit ſecunda, & huic tertia & quarta in qua Ludouicus IX. Galliæ Rex, vir meliori ſæculo dignus, captus eſt à Sarracenis, & ingenti pretio redēptus

tādem lyenteria in Africa cōſumptus eſt. Ingentem iſtum conatum Deus difflauit iratus, quia fiebat ad Papalis imperij incrementum. Hæc bulla promulgata eſt ab Vrbano in Concilio Claromontano in Aruernis, æræ Chriſti anno 1095. Cuius Concilij Acta Matthæus Paris inſeruit ſuæ hiſtoriæ, in VVillelmo ſecundo.

CAP. XXIV.

De Paſchali II.

VRbano ſucceſſit Paſchalis II. qui cum Henrico IV. Imperatore acerrimas inimicitias exercuit. Tunc temporis Archiepiſcopus Florentinus magna contentione prædicabat Antichriſtum eſſe natum.

Henrici Imperatoris filius, Henricus, authore Paſchali, conſpirantibus Moguntino, Colonienſi, & VVormatienſi Antiſtitibus, in patrem ſenio confectum inſurrexit: eique Legati Papæ manus impoſuerunt, eumque ſolemniter conſecrarunt. Ad tam atrox & parricidiale ſcelus co-

horruerunt omnes boni. Nullum enim tantum crimen à patre committi poteſt vt parricidio vindicandum ſit. Sanè legendo quę ab Helmoldo in hiſtoria Sclauonica, & à Sigonio l. 9. & à Sigeberto ea de re ſcripta ſunt difficile eſt ſibi à lacrymis temperare. Digna eſt legi huius miſeri ſenis epiſtola ad Philippum Galliæ regem, quæ habetur in Sigeberti Chronico, in qua bonus ſenex tot victorijs clarus ſuam ſortem graphicè depingit & lamentatur. Ei filius coronam & purpuram detraxit, inſtantibus Legatis Papæ & inſultantibus. Illum ex vehementia doloris mortuum Paſchalis tanto odio proſecutus eſt vt ne quidem paſſus ſit eum ſepeliri *Manſit* (inquit Sigonius) *corpus eius inſepultum in cella quadam vrbis deſerta, Pontifice id ſepeliri vetante per annos quinque.* Hęc geſta ſunt Leodij. Eadem referuntur ab Helmoldo in Chronico Sclauorum. Et ab Abbate Stadenſi. Et Langij Chronico ad annum Chriſti 1105. Et ab alijs plurimis.

CAP. XXV.

Henrici V. & Paſchalis diſcordia.

PAPA Paſchalis putabat ſe multam gratiam iniuiſſe apud nouum Imperatorem, cui ad patrem exuendum imperio & vita ſtrenuam operam impenderat. Sed ſecus accidit quàm ſperauerat. Nam Henricus valido inſtructus exercitu Romam venit, iuſſitque Paſchalem confirmare in Epiſcopatu eos qui pro more inueſtiti fuerãt ab Imperatore per annulum & virgam, & ad Epiſcopatum promoti. Ibi Paſchalis moras nectere, & multa cauſſari, cur non poſſet aſſentiri. Iratus Cęſar manum inijcit Pontifici, eumque iuſſit trahi in carcerem. Cum autem ciues Romani obniterentur, & ſeditionibus vrbem miſcerent, eos Cęſar malè multauit, & cædibus ac ſanguine Romam impleuit, & Papam cum aliquot Cardinalibus & Prę-latis captiuos abduxit: Ibi Papa neceſſitate coactus, Henrico & ſucceſſoribus eius liberam Epiſcopatuum & Abbatiarum & Pręben-

Præbendarum inueſtituram conceſſit, & reciproca Euchariſtiæ ſumptione iuſiurandum firmauit, ſibi damnationem imprecans, ſi falleret. At ſolutus vinculis noluit implere quod promiſerat, dicẽs iuramenta extorta non eſſe obligatoria. Quæ quidem regula ſine exceptione vera eſt, quando agitur de rebus neceſſarijs ad ſalutem. Caſſum eſt & irritum omne iuſiurandum quo quis ſe obligat ad ea facienda quę Deus damnat & Lege vetat. Parere Deo iubenti prima eſt & ſumma neceſſitas. Quod impiè promiſſum eſt maiori ſcelere perficitur. At hic agebatur de collatione beneficiorum & rebus mérè tẽporalibus, & per multa ſæcula vſitatis, ipſis Pontificibus annuentibus & approbantibus.

Quis verò finis fuerit Papis propoſitus in hac tam acri contentione ob quam per annos pluſquam ducentos tantum fuſum eſt ſanguinis patuit experimento. Nam poſtquam exuerunt Imperatores hac poteſtate qua præcipuè vires Imperij nitebantur, ipſi inuolauerunt hanc prędam, & per venditionem Palliorum Archiepiſcopalium, & per Annatas, & ſexcentas æruſ-

cationes rem fecerunt non mediocriter, & infinitas opes congeſſerunt, fruſtra regibus conquerentibus ſua regna exhauriri pecunijs, & ſuos ſubditos ſubiectioni Regum exemptos factos eſſe Pontifici vectigales: idque ſub hoc obtentu, quòd Chriſtus dixit Petro *paſce oues meas*. Habuit quidem Petrus ſucceſſores in Epiſcopatu huius & illius Eccleſiæ particularis quas fundauit: quemadmodum & alij Apoſtoli: at in Apoſtolatu & cura omnium Eccleſiarum nullos habuit ſucceſſores.

CAP. XXVI.

Quibus gradibus facta ſit tanta rerum immutatio.

IMperij Romani Occidentalis author fuit & fundator Carolus Magnus. Eius ſucceſſores per multa ſecula imperauerũt Germanię & Italiæ, eiſque Roma erat ſubiecta. Accipiebant autem coronam Imperij Germaniæ Aquiſgrani. Et coronam regni Italię ab Archiepiſcopo Mediolanenſi, Titulum verò Imperatoris Romani accipiebant ab Epiſcopo vrbis Romæ, ri-

tum inaugurationis peragente, eodem modo quo Reges Galliæ ab Archiepiſcopo Remenſi conſecrantur. Tunc Epiſcopi Romani ſubjecti erant Imperatori, qui ſæpe eos exauthorauit & pœnis ciuilibus & corporeis coercuit. Ad electionem Epiſcopi Romani requirebatur conſenſus & approbatio Imperatoris. Ille ipſe Gregorius VII. flagellum Imperatoris, conſenſu & approbatione Cæſaris Henrici IV. Pontificatum adeptus eſt.

Sed cum denſa ignorantiæ caligo Occidenti incubuiſſet, & Scriptura ſacra eſſet liber populis ignotus, Papæ ſub hoc obtentu quod in inauguratione Imperatoris imponebant eius capiti coronam imperialem, in tantam ſuperbiam ſe erexerunt vt dicerent penes ſe eſſe creare Imperatores, & Imperium eſſe rem Papalis beneficij: & Papam poſſe Imperatoribus imperium abrogare, & eis adimere quod eis dederat. Primus Gregorius VII. id auſus eſt attentare, ſed ſuo damno.

Florentibus autem rebus imperij Germanici, Imperatores parum proſpicientes futuri, putauerunt pertinere ad Dei hono-

rem, & Eccleſiæ ornamentum ditare Epiſcopos Germaniæ: & eos cumulare opibus. Inde tanta poteſtas Prçſulum Germaniæ, quorum quidam pares ſunt alendis exercitibus. Sibi tamen Cçſares reſeruauerunt ius collationis beneficiorum Eccleſiaſticorum, & Epiſcopatuum, erantq; Epiſcopi beneficiarij Cæſaris, & ab eo per annulum & virgam inueſtiebantur, & ab eis capiebant iuramentum fidelitatis & obedientiæ. Sçpe etiam ab eis aliquod exiguum munus capiebant ob admiſſionem in munus; vt puta equum phaleratum, aut ſplendidum enſem, aut pretioſam aliquam ſupellectilem.

At Papç ad rem attenti, illis ipſis potentiſſimis Præſulibus vſi ſunt ad exuendos Imperatores auita illa dignitate; Dictitabant enim indignum eſſe dignitates Eccleſiaſticas conferri à Principibus laicis pollutis turpi concubitu. Inde tam multa bella & ſtrages, Papa inſtigante ad rebellionem populos, & hos ipſos Prçſules quos Imperatores locupletauerant,

In Germania vero vſque adeo fractæ ſunt vires Imperij, vt niſi domus Auſtriaca

penes quam nunc eſt imperium, patrimonialibus bonis, quæ habet ampliſſima, ſuſtentaretur, Imperator non haberet vnde ſplendorem ſuæ aulæ, & dignitatem imperij tueretur.

Cumque regnum Italiæ ad Imperatores iure pertineat, Papa eos hoc Imperio depulit, & in ipſam Romam vſurpauit imperium.

Manſit quidem apud Imperatores titulus imperij Romani, at reapſe vis imperij manet apud Pontificem, qui Imperatores abjecit ad pedum oſcula, & adorationem. Legatur Steuchi Bibliothecarij papæ lib. de Donatione Conſtantini in quo prolixè probat Imperium Romanum à veteribus Imperatoribus ad Papam eſſe tranſlatum. Iuſtus Lipſius non ignobilis Grãmaticus, ſcripſit librum *Admirandorum* in cuius præfatione ad Lectorem docet Imperium Papale veteri imperio Romano ſucceſſiſſe. Tum addit, *Ipſi reges & Principes adeũt & inclinantur & obnoxia capita huic vni capiti ſubmittunt.* Fuit Lipſius in religionis negotio alter Ecebolius, cothurno verſatilior, paratus vel ſtercora diaboli lingé-

re vt ſcenæ inſeruiret,& ciuilium negotiorum æſtui obſequeretur.

Alexander III. Papa, Frederici Ahenobarbi Imperatoris clariſſimi ceruicem pedibus conculcauit Venetijs ſuper gradibus templi S. Marci, inſpectante toto populo: Illud intonans, *Super aſpidem & baſilicum*, &c.

Henrico V. cuius facta eſt mentio ſucceſſit Henricus VI. Venit is ad Papam Celeſtinum IV. vtque erat coronatus Papæ genibus aduolutus eſt. Ibi quid Celeſtinus egerit narrat Baronius: ex Annalib. Rogerij hæc citans: ad ann. 1191. §. 10. *Dominus Papa ſtatim percuſſit cum pede coronam Imperatoris, & deiecit eam in terram, ſignificans quod ipſe poteſtatem eiiciendi eum ab Imperio habet, ſi ille demeruerit.* An vero meruerit, Papę eſt iudicare. Legatur liber primus Sacrarum Cęremoniarum Sectione 5. cap. 3. Et ſecunda Sectione cap. 3. vbi narratur quomodo Cæſar venerabundus nudo capite pedes Papæ oſculatur & auri maſſam ad pedes Papæ offert, & Papæ equum aſcendenti munus ſtratoris exhibet.

Nec vero Papa ſegnior eſt verbis quam factis. Nam ſe Imperatorem & regem eſſe gloriatur. In Clementina *Paſtoralis de ſententia & re iudicata* Papa Clemens V. ſic buccas inflat. *Nos tam ex ſuperiotate quam ad Imperium non dubium eſt nos habere, quàm ex poteſtate in quam vacante Imperio Imperatori ſuccedimus*, &c. Concilium Lateranēſe ſub Iulio II. & Leone X. Seſſ. I. Papam vocat *Sacerdotem & Regem.* Et Seſſ. III. *Imperium Sanctitatis veſtræ.* Tum *Regale Pontificum Romanorum genus*, Ideoque triplicem coronam auro & gemmis radiantem capiti ſuo impoſuit, quæ vulgo, ab Italis il REGNO appellatur.

CAP. XXVII.

Papatum eſſe immitationem Veteris Imperij Romani.

IN Papali Monarchia imaginem expreſſam veteris imperij Romani facile eſt agnoſcere. Imperatores Dij appellabantur. Id fit Romano Pontifici. Inter inſignia imperij fuit veſtis purpurea & calcei concolores, qui à Niceta Choniate φοινικοβαφὲς

πέδιλα appellantur. Tale eſt Papale paludamentum, tales calcei. Id definit liber Sacrarum cæremoniarum lib. 1. Sect. 1. cap. 6. *Papa induitur Papali habitu, toga lanea albi coloris, caligis rubeis, ſandalijs rubeis aurea cruce ornatis.*

Imperatores habebant Senatum purpuratorum. Hos imitatus Papa habet Senatum Cardinalium purpuratorum.

Penes Senatum Romanum erant Apotheoſes Diuorum: quibus ſucceſſit Canonizatio Diuorum, quæ fit decreto Papalis Conſiſtorij. Quæ Canonizatio vocatur Apotheoſis, præfatione libri ſecundi * Sacrarum Cæremoniarum.

Imperatores paſſi ſunt ſe adorari. Aurelius Victor de Diocletiano: *paſſus eſt adorari ſe, appellariq; vt Deum.* Idem ait Lampridius de Heliogabalo in vita Alexandri Seueri. Papæ quoque ſtatim poſt electionem defertur adoratio religioſa in Conclaui. Cōcilium Lateranēſe ſub Leone X. de Papa ſic loquitur. *Vniuerſis populis adorandus & Deo ſimillimus.* Et ibidem Seſſ. IX. papæ tribuitur Vaticinium Dauidis, *Omnes reges eum adorabunt & omnes gentes*

* Diuorum noſtrorum Apotheoſes.

ei ſeruient Dauid autem de Chriſto vaticinatur.

Indictiones ſeu ἐπινεμήσεις Imperiales inſtitutæ ſunt à Conſtantino magno, quæ quidem ſunt periodus quindecim annorum. Id imitatus Papa voluit quoque habere ſuas Indictiones totidem annorum: quarum caput voluit eſſe circa æquinoctium vernum, vt diſcernerentur ab Imperialibus, quæ inchoantur ab Æquinoctio autumnali.

Annatæ Papales ſunt imitamentum feudorum quæ legibus Imperialibus ſunt conſtituta.

Tum indulgentiæ quas Papa ſpargit in populum ſunt Miſſilium Imperialium imitamenta.

Vt olim Imperatores, ſic nunc Papæ habent per Prouincias ſuos Legatos, ſua vectigalia, & redemptores vectigalium. Papa diu in Anglia & Polonia habuit capitationem denariorum Petri, qui à populo pendebantur in capita. In Hiſpania quot annis emitur remiſſio peccatorum duobus nummis Regalibus. Infra videbimus exemplum Papæ, vno Iulio vendentis re-

miſſionem omnium peccatorum.

Infinitum eſſet ſingula perſequi, ex quibus liquidò conſpicitur papæ Imperium terrenum ex ruinis Imperij Romani conſtructum formatum eſſe ad imaginem veteris imperij Romani. Vt impleatur Chriſti vaticinium qui Apocalypſeos 13. prædixit fore vt ſecũda beſtia pręferens fronte cornua agni, id eſt obtendens ſpeciem profeſſionis Chriſtianiſmi, erigat imaginem prioris beſtiæ, id eſt Imperij Romani.

Quod ſi quis attentè conſiderauerit formulam iuramenti quod pręſtatur ab Epiſcopis quando conſecrantur, qualis habetur in Pontificali Romano cap. *de Conſecratione electi in Epiſcopum*, comperiet hoc iuramento Epiſcopum non aſtringi ad prædicandum Euangelium, prout in Sacris Scripturis continetur, ſed tantùm ad inſeruiendum dignitati & vtilitati Pontificis Romani. Chriſti nulla mentio. Denique iuramentum eſt quale pręſtatur à vaſſallis Domino temporali.

CAP. XXVIII.

In hac controuerſia quomodo ſe geſſerint Reges Galliæ & Eccleſia Gallicana.

EX quo Pipinus,& Carolus Magnus,& Ludouicus Pius immenſis beneficijs & opibus locupletauerunt ſedem Romanam,Epiſcopi Romanæ allabentis ſecundæ fortunæ æſtu prouecti,cœperunt criſtas vltra modum erigere, & ſe rebus regum immiſcere: quam ad rem ſtoliditas ſucceſſorum Caroli eis viam complanauit.

Nono & decimo ſeculis à natiuitate Chriſti ingens deprauatio morum ſedem Romanam inuaſit. Quam corruptelam Baronius, Genebrardus, Platina, Faſciculus temporum & alij plurimi, lamentantur & execrantur.

Regnante in Gallia Hugone Capeto, cùm rebus Galliæ Papa Iohannes XIX, ſe immiſceret, & ipſi Regi aduerſaretur, habita eſt Synodus Rhemis cui præſedit Arnulphus Epiſcopus Aurelianenſis, cuius Synodi extant Acta, in quibus Arnul-

"phus ſic loquitur. O lugenda Roma quæ
"noſtris maioribus clara patrum lumina
"protuliſti, noſtris temporibus monſtroſas
"tenebras futuris ſæculis famoſas effudiſti.
"Quid hunc, Reuerendi patres, in ſublimi
"ſolio reſidentem veſte purpurea & aurea
"radiantem, quid hunc eſſe cenſetis? Ni-
"mirum ſi charitate deſtituitur, ſolaque
"ſcientia inflatur & extollitur, Antichriſtus
"eſt in ſolio Dei reſidens, &c. Et id qui-
dem iſti Arnulpho impune fuit.

Cum autem contentio ſuper collatione beneficiorum incaleſceret Philippus Pulcher Rex Galliæ inuito Papa Bonifacio VIII. eas ſibi vendicabat. Ad quem Bonifacius ſcripſit literas in hæc verba.
"* Bonifacius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum
"Dei Philippo Francorum Regi. Deum
"time, & mandata eius obſerua. Scire te
"volumus, quod in ſpiritualibus & tempo-
"ralibus nobis ſubes, Beneficiorum & Præ-
"bendarum ad te collatio nulla ſpectat. Et
"ſi aliquorum vacantem cuſtodiam habeas,
"vſum fructum earum ſucceſſoribus reſer-
"ues. Et ſi quæ contuliſti, collationem ha-
"beri irritam decernimus, & quatenus pro-

* Nicolas Ægedij annalis.

ceſſerit reuocamus. Aliud ſentientes fa- "
tuos reputamus. Datum Laterani quarto "
Nonas Decembris Pontificatus noſtri an- "
no ſexto. Nec eo contentus Philippo "
regnum abrogat, Galliamque dat Alberto Imperatori, qui hoc munus reſpuit.

Huic epiſtolæ Philippus pari libertate hoc modo reſpondit, Philippus Dei gra- "
tia Francorum Rex, Bonifacio ſe gerenti "
pro ſummo Pontifice ſalutem modicam "
ſiue nullam. Sciat tua maxima fatuitas in "
temporalibus nos alicui non ſubeſſe. Ali- "
quarum Eccleſiarum & præbendarum va- "
cantem collationem ad nos iure regio per- "
tinere, & percipere fructus earum & con- "
tra omnes poſſeſſores vtiliter nos tueri. "
Secus autem credentes fatuos reputamus, "
atque dementes. Datum, &c. "

Cum autem Bonifacius Anagniam ſe recepiſſet Philippus ſummiſit fidos Sarram Columnenſem & Nogaretum qui inopinantem Bonifacium aggreſſi, & pugnis cæſum, captiuum Romam abduxerunt: Ille autem tantæ calamitati non potuit ſupereſſe ſed ex iracundia lethaliter decubuit. Hic autem eſt qui Ludoui-

cum IX. intulit catalogo ſanctorum.

Quis eſt papæ adorator qui non cenſeat hunc Philippum dignum fuiſſe qui diris deuoueretur, & Vaticano fulmine in cinerem redactus præcipitaretur in Tartarum? At aliter res ceſſit. Nam Benedictus Bonifacij ſucceſſor Philippo adblanditus eſt, & Bonifacij acta reſcidit. Huic Benedicto poſt octo menſes mortuo ſucceſſit Clemens V. qui Philippum benedictionibus cumulauit. Hic edidit Extrauagantem quæ ſic incipit, *Meruit chariſſimi filij noſtri Philippi Regis Francorum, illuſtris ad nos & Eccleſiam Romanam integritas*, &c. Et vetat ex Bonifacij geſtis vllum Philippo aut eius regno præiudicium afferri.

Nempe periculoſum erat offendere Regem potentem & bellicoſum, & qui à ſuis amabatur. Solemne eſt Pontifici, incumbere preſſis & proculcare iacentes. At ſi quis eius diras naſo ſuſpendat impunè contemnuntur. Tunc Papa vibrat fulmine in Reges quando videt eos difficili bello implicitos, ſuſpectam habere fidem ſubditorum. Non ſic fulmina quæ Deus cœ-

litus intorquet: frangunt enim obſtantia & dura, at mollia & cedentia vel leuiter lambunt vel intacta relinquunt.

Anno Chriſti 1407. Carolus VI. Galliæ Rex expulit omnes Curiæ Romanæ æruſcatores, qui ſub titulo annatarum, reſeruationum, diſpenſationum, &c. Galliam nūmis exhauriebant. Iratus Benedictus XIII. fulmen ſtrinxit in Regem & regni Proceres. Riſerunt Galli hoc fulmen & diras irritas. Producti ſunt in Senatum duo Bulliſtæ excommunicationis geruli, qui poſt ſatisfactionem honorariam ſuper ſcalis palatij, impoſiti ſunt plauſtro tortoris, mittellati & fœdo habitu induti, & populari ſibilo excepti: Super hac re legendus liber Caroli Molinæi de paruis Datis, viri qui inter Iuriſconſultos vix habet parem.

Huius Caroli filius Carolus VII. Bituricenſibus Comitijs renouauit Pragmaticam ſanctionem Ludouico IX. quo Annatæ & omnis Romana cauponatio, regno eliminatur, obtinuitque hęc ſanctio vſque ad Franciſcum I. qui Leoni X. hac in re gratificatus eſt.

Alexander VI. vtpote Dominator orbis, regnum Nauarræ ademptum Ludouico XII. tranſtulit ad Ferdinandum Caſtiliæ regem. Alexandro ſucceſſit Iulius II. bellator acerrimus: Hic optimum Regem bello ad artus eſt, vt Genuam & Mediolanum ei eriperet: Ille autem regni Epiſcopos & Theologos Turonum conuocauit, & ab eis petijt an Papa iniuſtè inuadente quæ ad Regem pertinent, fas ſit Regi vim vi repellere & ſua tueri, & bellum inferre Pontifici. Vno ore reſponderunt omnes id fas eſſe, quandoquidem agebatur tantum de temporalibus, nec diras Papales in hoc negotio eſſe metuendas. Ergo Rex ad bellum accingitur. Iulij copias ad Rauennam delet, cudit aureos nummos in quorum ambitu ſcriptum erat PERDAM BABILONIS NOMEN. Mox Concilium cõuocat Piſas ad Iulium mouendum dignitate Pontificali. Sed eius conatum ſubita mors Iulij intercepit. Leo X. Iulij ſucceſſor Ludouico adblanditus eſt.

Quam generoſo edicto Curia Parlamenti cremauerit manu tortoris Bullam Gre-

Gregorij XIV. qua Henrico IV. abrogabatur regnum, & Galli ab eius obedientia liberabantur, memorauimus ſuo loco.

CAP. XXIX.

Prima cauſa exauctorationis Regum, nempe hæreſis.

HÆreſis crimen eſt (vt nunc ſunt tempora) quouis crimine atrocius: quod ne diabolo quidem ipſi tribuitur. Nemo enim diabolum dicit eſſe hæreticum. In hoc crimen Inquiſitio Papalis & Hiſpanica omnes crudelitatis habenas effudit. Ob crimen hæreſeos à Papis confictum, mille fidelium myriades igne crematæ ſunt, aut popularibus lanienis trucidatæ. Qua ſæuitia Veteres Orthodoxi nũquam vſi ſunt in hæreticos.

Porrò hoc nomen hęreſeos tam laxè accipitur, vt vix quiſquam ſit vir bonus qui Papa iudice crimen hęreſeos effugiat. Dicere Papam non poſſe exauctorare reges hęreſis eſt. Guaguinus refert Philippum Pulchrum, declaratum hęreticum à Bonifacio VIII. quòd Papæ in bello Hie-

roſolymitano opem ferre recuſaret. Auentinus lib. 3. hiſtoriæ Boiorum, refert Virgilium Epiſcopum Iuuanenſem Eccleſia pulſum & Sacerdotio, quod Philoſophus eſſet, & Antipodas eſſe affirmaret, habentes nobis aduerſa veſtigia. Henricus IV. Imperator damnatus eſt hęreſeos Simoniacæ, quod ſibi vendicaret collationem beneficiorũ Eccleſiaſtiorum, quam tamen tenuerat Carolus Magnus & qui ab eo per tria ſęcula. In fœmina aut homine plebeio legere ſacram Scripturam lingua vernacula, hęreſis eſt & crimen flammis piandum, ex legibus inquiſitionis. Velle vt calix detur laicis hæreſis eſt, quãuis Chriſtus dixerit *Bibite ex eo omnes*. Hęreſis eſt credere cum Paulo Epiſcopum debere eſſe maritum vnius vxoris. Tum prouocare à Papa ad Concilium hęreſis eſt, & ponitur inter caſus reſeruatos.

An verò aliquis ſit hęreticus Papę iudicio reſeruatur, cum tamen plerique aduerſariorum fateantur Papam poſſe labi in Hęreſim, & plurimis exemplis id probetur: vſque adeo vt in Concilio Conſtantienſi Iohannes XXIII. damnatus ſit

quod negaret immortalitatem animarum. Quid quod in quęſtione qua quęritur an Papa poſſit labi in hæreſim, ipſe Papa eſt iudex? Qua quidem in re, duriſſima eſt & iniquiſſima Regum conditio. Cum enim is demum cenſeatur hęreticus quem Papa hac nota compunxerit, & notum ſit quanta ex Regum abdicatione & regnorum trāſlatione ad Papam redundet vtilitas (per id enim fit rex Regum & vnicus ſupra omnia regna Monarcha) ei prōptum erit affingere Regi crimen hęreſeos aut fautoris hęreticorum, vt eius regnum inuadat.

Quiſquis autem memoriam vetuſtatis replicauerit cōperiet Conſtantium Conſtantini Magni filium Arianum fuiſſe, & Arianorum fautorem acerrimum: quem tamen nulla Epiſcopi Romani cenſura perſtrinxit. Sic Genſericus Vandalorum in Africa Rex eiuſque ſucceſſores Ariani fuerunt. Eadēque hæreſi laborauit Theodoricus Oſtrogottorum in Italia Rex, eiuſque ſucceſſor Athalaricus. Iuſtinianus Imperator in ſenectute in Aphthardocitarum hęreſim prolapſus eſt. De quo ſic ſcribit Baronius ad annum 563. §. 6. *Iuſtinianus*

non ſecus ac Antichriſtus in templo Dei erigit ſibi cathedram. Horum omnium nullus ab Epiſcopo Romano fuit Anathemate notatus, nec regno exutus. Ante Sarracenos in Hiſpaniam infuſos pleriq; Reges Gothi regnantes in Hiſpania Ariani fuerunt: In quos tamen nullus Pontifex, immo nec Epiſcopus pronuntiauit ſententiam excommunicationis, nec eis abrogauit imperium, cum tamen de præcipuis fidei capitibus ageretur. An credendum eſt Pontifices illius æui fuiſſe ſocordes, nec auſos vti poteſtate à Chriſto ipſis tradita? An credendum eſt Papis nouiſſimorum ſæculorum, cum opibus creuiſſe ſapientiam? An Reges Francorum quibus Pontifices debent quicquid habent in Italia terrenæ poteſtatis, locupletauerunt Papas vt Papis ſe darent in ſeruitutem? Quo iure Papa poſſet adimere noſtris regibus regnum quod eis non dedit? Porro ad obliterandam memoriam beneficiorum collatorum in Epiſcopos Romanos à regibus Francorum, donatio Conſtantini impudenter & ſumma ingratitudine conficta eſt.

CAP. XXX.

Altera cauſa ob quam Papa ſibi tribuit poteſtatem exanthorandi Reges, Nempe ingenij tarditas.

IN Decreto Romano, Cauſa 15. Cap. *Alius* hęc habentur. *Romanus Pontifex Zacharias, Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus quam pro eo quod tantæ poteſtati eſſet inutilis à regno depoſuit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius locum ſubſtituit, omneſque Francigenas à iuramento fidelitatis abſoluit: Quod etiam ex authoritate frequenter agit ſancta Eccleſia, cum milites abſoluit à vinculo iuramenti.*

Hæ quidem meræ ſunt fabulæ. Nec Zacharias ſibi hanc poteſtatem vnquam arrogauit. Falsò dicitur factum Zachariæ iuſſu quod factum eſt eius ſuaſione & conſilio: Nec ſi Zacharias aliter ſuaſiſſet, ei morem Franci geſſiſſent. Nam Pipinus iam vim & robur regni tenebat: ſed nomen quærebatur cum rem haberet. Furioſis & hebetibus dantur curatores: relegantur ad agnatos & gentiles. Non enim

puniuntur morbi ſed crimina. Quando Carolus VI. incidit in phreneſim, datus eſt Galliæ regens qui regnum adminiſtraret, at non eſt exutus regno, nec expetitum eſt Papæ conſilium aut aſſenſus. An in morbis noſtrorum regum Papa mittet medicos cognitores, qui iudicent de firmitate cerebri regum & id Papæ renuntient, vt ex arbitrio alium regem inſtituat?

CAP. XXXI.

Quibus gradibus Pontifices progrediantur ad Regum depoſitionem & mortem.

BEllarminus libro in Barklaium cap. 7. hæc ait. *Summi Pontifices conſueuerunt Principes iſta ratione coercere. Ipſorum mos eſt primum paternè eos corripere. Deinde per cenſuram Eccleſiaſticam Sacramentorum communione priuare. Deinde ſubditos eorum à iuramento fidelitatis abſoluere, eoſque regia dignitate ſi res ita poſtulat priuare. Executio ad alios pertinet.* Per executionem intelligit mortem. Meritò enim occiditur qui iuſtè regno exutus, armis ſe defen-

dit, & conatur vi retinere regnum ad ſe non pertinens.

His verbis Bellarminus Romę ſcribens, ſub oculis Papæ auſus eſt damnare acta Gregorij VII. qui primus hanc Camarinam mouit, & primus auſus eſt ſententiam depoſitionis pronuntiare aduerſus Imperatorem. Putat enim Bellarminus nefas eſſe abrogare imperium Regi priuſquam pellatur communione Eccleſiæ. At id factum eſſe ab Hildebrando teſtes ſunt Sigonius & Platina. Verba Bullę fulminantis hæc fuerunt. *Beate Petre Apoſtolorum Princeps inclina quæſo aures tuas, &c.* **Hac** *fiducia fretus Henricum Regem Hērici quondam Imperatoris filium imperatoria adminiſtratione regiaque deiicio, &c. Praterea verò eum anathematis vinculo colligo, certò ſciens te eſſe Petrum, &c.*

Obſeruabit lector Papæ benignitatem qui ad perdendos reges, non ἀθρόως & primo impetu ſed per gradus accingitur.

CAP. XXXII.

Papam probare & ſuadere Regum parricidia.

PRincipio quiſquis Regem iuſtè exauctorat eumque iuſta condemnatione regno exuit, vult quoque eum occidi ſi ſe armis defenderit. Iuſtè occiditur quiſquis regnum ad ſe non pertinens per vim retinet: Quo ſpectabant arma Rudolphi Sueuię Ducis, cum papa authore arma infeſta in Henricum mouit, niſi vt eum occideret? Idem dicendum de omnibus qui papa authore bellum intulerũt Imperatoribus. Nonne paſchalis ſecũdi authoritas parricidialia arma Henrici V. in patrem cõmouit? Ac ne vetera conſecter nonne excõmunicationem Henrici III. Francorum Regis, eius cædes ſtatim eſt conſecuta? Hanc cędem Sixtus V. papa frequenti Conſiſtorio laudauit III. Idus Septẽbris, anno 1589. Circunfertur eius oratio excuſa Lutetiæ anno 1590. à Nicolao Niuellio & Rollino Theodorico. Nam tunc Lutetia ſtabat à partibus con-

iuratorum. Huius orationis verba lubet hic apponere. Propter hęc (inquit) & ſimilia manifeſta impœnitentiæ indicia, "
decernimus pro ipſo non eſſe celebrandas "
exequias. Non quod præſumamus quicquam ex hoc de occultis Dei erga ipſum "
iudicijs aut miſericordijs qui poterat ſecundum beneplacitum ſuum in ipſo exitu "
animæ ſuæ conuertere cor eius & miſericorditer cum illo agere: Sed illa locuti "
ſumus ſecundum ea quæ nobis exterius "
patent. Faxit benigniſſimus Saluaror noſter vt reliqui hoc horrendo iuſtitiæ ſupernæ exemplo admoniti in viam ſalutis redeant & quod miſericorditer hoc "
modo cœpit benignè proſequatur ac perficiat, ſicut eum facturum ſperamus, &c. "
Quin & facinus Iacobi Clementis parricidę comparat myſterio incarnationis & reſurrectionis Chriſti, & facinori Iudithę & Eleazari anteponit. Hanc narrationem Auguſtus Thuanus inſeruit libro Hiſtoriarum 96.

Mox & ſcripta eſt Legenda Sancti Clementis, quam ipſi vidimus & legimus cum horrore. Pingebatur nouus Sanctus in-

ſtructus cultro fatali quo Regis viſcera ſcrutabatur. Fuiſſetque proculdubio per Apotheoſim inſertus catalogo Sanctorum, ſi belli euentus ſceleratum huius monſtri cultum adiuuiſſet. Hic Sanctus non habuit homines propitios.

Paulò poſt prodiit Apologia Clementis edita à Franciſo Verona Conſtantino Ieſuita. Prodijt & Marianæ Ieſuitæ liber, de Rege & Regis inſtitutione, in quo plenis buccis Clementis parricidæ facinus extollit. Cap. 6. hęc habentur. *Specie alias literas in manus tradendi, cultro quem herbis noxijs medicatum manu tegebat ſupra veſicam altum vulnus inflixit. Inſignem animi confidentiam, facinus memorabile!* Et paulò poſt. *Cæſo rege ingens ſibi nomen fecit, cæde cædes expiata, ac manibus Guiſij Ducis perfidè peremptì regio ſanguine eſt parentatum.* Sequenti verò capite de Tyrãnis per venenum aut dolum tollendis ſic loquitur. *Si euaſerint inſtar magnorũ heroum, in omni vita ſuſpiciuntur. Si ſecus accidat grata ſuperis grata hominibus hoſtia cadunt, nobili conatu ad omnem poſteritatis memoriã illuſtrati.* Quam multi ſicarij in Reginam Eli-

zabetam,& Regem Hēricum IV.ſunt im-
miſſi? Becanus libro deConcordia Angli-
cana fatetur Garnetum conſcium fuiſſe
pulueraria coniurationis : ſed ait eum
non debuiſſe eam reuelare quia eam ex
Confeſſione didicerat. Super hac re ha-
bemus Papæ Vrbani oraculum Cauſa 23.
Cap. *Excōmunicatorum*,in hęc verba. *Non
enim eos homicidas arbitramur, quos aduer-
ſus excōmunicatos zelo matris Catholicæ ar-
dentes, aliquos eorum trucidaſſe contigerit.*

Parricidialem hanc doctrinam Beca-
nus & alij tuentur exemplo Ioiadæ qui
Athaliam reginam regno & vita priuauit.
Affertur etiam exēplum Aod qui regem
Eglon inopinantem ſica confodit. Reſ-
pondemus Athaliam non fuiſſe reginam :
Fuit leæna prædæ incubans. Viuebat ve-
rus rex Ioas quem Iojada ex tenebris ex-
traxit & in ſolio locauit. Athalia verò per
vim regnum inuaſerat contra legem Dei,
quæ vetabat alienigenam ad regnum ad-
mitti. Deut. 17. 15. Erat enim Athalia E-
thnica & alienigena. Aod vero non à
Pōtifice ſed diuino inſtinctu ad hoc factū
inſtigatus eſt. Nullæ hîc partes Pontificis.

CAP. XXXIII.

Pontifices lege diuina, eſſe ſubiectos Regibus & Imperatoribus.

HIc Scriptura ſacra plana eſt, nec vllum locum relinquit dubitationi. Ioſue Moſis ſucceſſor in Principatu ciuili imperabat Sacerdotibus: idque Deo authore. qui Ioſuam ſic affatur Ioſ.3.8. *Imperabis Sacerdotibus ferentibus arcam.* Dauid Sadoc ſummum Sacerdotem annumerat ſuis ſeruis 1. Reg. cap. 1. V̄.32. & 33. Capite verò ſecundo V̄. 17. rex Solomon Abiatharem ſummum ſacerdotem mouet ſacerdotio, eumque agelli ſui anguſtijs includit. Lib. 2. Paralip. cap.34. 20. rex Ioſias imperat Helkię ſũmo ſacerdoti. Et quamuis Nero eſſet teterrima bellua Paulus tamen ad Romanos cap. 13. vult omnes Chriſtianos, ac proinde & Apoſtolos, ei ſubeſſe. Nec tantùm vult ei morem geri metu pœnæ ſed & ob conſcientiam, nempe quia parere Principibus quos Deus nobis pręfecit, pars eſt pietatis erga Deum:

nequis putet Chriſtianos vi compulſos ad obedientiam, & eis vires rebellandi at non voluntatem defuiſſe. Ipſe Paulus ſeditionis accuſatus à Iudæis, prouocauit ad Cæſarem vt ad legitimum iudicem. Ipſe Chriſtus tractus ad Pilati tribunal dicebat Pilato, eum à Deo hanc poteſtatem accepiſſe.

Petrus 1. epiſt. cap.2. 13. vult pareri Regibus propter Dominum, nẽpe quia Deus id iubet. Et paulò poſt, *Deum timete, Regem honorate.* Sanè cum mãdatum timendi Deum ad omnes homines extendatur non eſt dubium quin mandatum honorandi regem perinde omnes homines ſine exceptione aſtringat, ac proinde & ipſum Papam, ſi quis tunc Papa fuiſſet.

In hanc rem diſertus eſt Chryſoſtomus Homil. 23. in Epiſtolam ad Romanos, vbi explanans verba Apoſtoli dicentis Omnis anima ſit ſubjecta ſupereminentibus poteſtatibus, dicit neminem excipi. *Etiam ſi* (inquit) *Apoſtolus ſis, ſiue Euangeliſta, ſiue Propheta. Neque enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.*

CAP. XXXIV.

Veteres Epiſcopos Romanos Imperatoribus & Regibus fuiſſe ſubiectos.

IMperatoribus Ethnicis Epiſcopi Romani vſque adeo fuerunt ſubiecti, vt Maxentius Imperator Marcello Epiſcopo vrbis Romæ vſus ſit ad purganda iumentorum ſterquiliuia, & inſeruiendum catabulo. Legatur Baronius Martyrologio, Ianuarij 16.

Conſtantius Conſtantini Magni filius Liberium Epiſcopum Romanum mouit Epiſcopatu,* eumq; Berocam Thraciæ vrbem iuſſit deportari, aſſignatis ei quingentis nummis aureis, quibus ſe in exilio ſuſtentaret, ſuffecto in eius locum Felice Ariano. Fuit quidem Conſtantius Arianus, ſed nemo veterum conqueſtus eſt quod poteſtatem vſurparet in eum cui ipſe eſſet ſubiectus.

Anno Chriſti 397. Honorius Imperator, vt obuiam iret ſeditionibus, quibus Eccleſia vrbis Romanæ in electione Epiſ-

* Theodor. Hiſt. lib. 2. cap. 16.

copi conflictabatur, legem ſanxit quæ habetur Canone *Si duo fortè.* Diſt. 79. cuius verba hæc ſunt, *Si duo fortè contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex eis futurum ſacerdotem permittimus.*

Anno Chriſti 420. hinc Bonifacius, illinc Eulalius cõtrarijs populi ſtudijs electi ſunt* in Epiſcopatum Romanum. Quod vb renuntiatum eſt Imperatori Honorio qui tunc Mediolani agebat, vtrumque Roma pellit, mox tamen Bonifacium reuocatum in ſedem reſtituit.

Habemus apud Caſſiodorum multas Regis Theodorici epiſtolas ad Senatum & populum Romanum, ex quibus apparet regimen vrbis tunc non pertinuiſſe ad Epiſcopum Romanum.

Hoc Theodorico regnante, anno Chriſti 498. Anaſtaſio Epiſcopo mortuo, duo riuales Symmachus & Laurentius de Epiſcopatu vſque ad cædes & rapinas contenderunt. Quibus malis vt occurreretur, vterque ad Theodoricum, quamuis Arianum, profectus eſt, qui Symmachum, vt prius electum iuſſit eſſe Epiſcopum. Sed hic paulo poſt multorum criminum arceſſitus,

* Platina Sigebertus Sigonius & alii.

coram Theodorico vadimonium obijt & cauſam dixit. Miſit Rex cognitorem Petrum Altinæ ciuitatis Epiſcopum, quem Sigebertus vocat viſitatorem ſedis Apoſtolicæ, vt de tota concertatione cognoſceret.

Anno Chriſti 525. cum Iuſtinianus Imperator in Arianos ſæuiret Theodoricus Italiæ rex Iohannem Papam miſit Conſtantinopolim vt apud Iuſtinianum pro Arianis intercederet. Iohannemque reuerſum, ob rem non geſtam ex ſua ſententia Theodoricus necauit in carcere.

Theodorico ſucceſſit Athalaricus cuius apud Caſſiodorum multæ ſunt ad Iohannem Epiſcopum Romanum epiſtolæ, in quibus eum alloquitur vt rex ſubditum.

Athalarico ſucceſſit Theodatus anno Chriſti 536. Hic Agapetum Epiſcopum Romanum miſit legatũ ad Iuſtinianum, vt ageret de conditionibus pacis, qua in legatione cum Agapetus eſſet mortuus, Belizarius dux copiarum Iuſtiniani Epiſcopatum Vigilio vendidit, amoto Syluerio. Vigilius Conſtantinopolim euocatus inter initia honorificè à Iuſtiniano exceptus

ceptus eſt. At cum Imperatori & Theodoræ Imperatrici liberius obloqueretur, malè ab eis acceptus eſt. Platinæ hæc verba ſunt in Vigilio. Cæſus eſt Vigilius vt "parum abfuerit quin occideretur. Fu-" giens itaque ad templum Sanctæ Euphe-" miæ inde à graſſatoribus trahitur & iniecto in collum eius fune tanquam latro per "totam vrbem vſque ad veſperam trahitur." Deinde verò carcere incluſus pane & a-" qua tantummodo aliquandiu vitam du-" xit. His non abſimilia dicuntur à Nicephoro hiſtoriæ lib. 26. cap.17.

Tunc temporis Epiſcopi Romani ſoluebant Imperatori viginti libras auri pro admiſſione in Epiſcopatum, vt docet Authentica Iuſtiniani 123. cap. 3. Vbi & diſcimus eidem taxationi obnoxias fuiſſe alias ſedes Patriarchales, idque ex veteri conſuetudine.

Anno Chriſti 590. Gregorius I. Pontificatum adeptus eſt iuſſu Mauritij Imperatoris, qui electionem factam à populo comprobauit & iuſſit ratam eſſe. Volupe eſt videre quanta demiſſione Gregorius in ſuis epiſtolis Mauritium alloquatur.

Epiſtola 6. lib. 2. ſe appellat *indignum famulum pietatis eius*. Epiſtolam verò ſic claudit. *Vtrobique quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod ſenſi minimè tacui.* Et ibidem. *Ego verò hæc Dominis meis loquens quid ſum niſi puluis & vermis?* His ſimilia habet Ep. 64. ad Theodorum, & epiſt. 2. l. 8.

Anno Chriſti 654. Conſtans Imperator Martinum Epiſcopum Romanum catenis onerat, & Cherſonam in exilium deportari iubet. Platina, Sigebertus, Baronius.

Anno Chriſti 676. Imperator Cõſtantinus Sacram mittit ad Donum Epiſcopum Romanum, qua iubet eum mittere ad Concilium Conſtantinopolitanum tres viros ſelectos. Sic autem loquitur. *Per omnia IVBEMVS veſtram paternam beatitudinem minime eſſe impedimentum voluntati Dei, ſed eos dirigere.* Reſpondet Agatho Doni ſucceſſor. *Secundum piiſſimam iuſſionem manſuetudinis veſtræ pro obediẽtia quam debemus*, &c. Et paulò poſt, *Flexo mentis poplite ſuppliciter veſtram clementiam deprecamur.* Et ibidem. *Hoc imperialis veſtra benignitas IVBENS hortata eſt, & noſtra*

puſſillitas quod iuſſum eſt obſequenter impleuit. Hui quam procul à ſtilo Pontificum poſterioris æui.

Actione II. Concilij Niceni ſecundi Hadrianus Papa ſic ſcribit ad Conſtantinum Imperatorem & Irenem. *Veſtram manſuetudinem obteſtando ac veluti præſentes genibus aduoluti, & coram veſtigia pedum veſtrorum*, &c. Petit autem vt ab eis reſtituatur adoratio imaginum: Quod & impetrauit.

Anno 679. Agatho Pontifex obnixè petijt à Conſtantino Pogonato relaxationem pecuniæ quam Epiſcopi Romani pro enthroniſmo ſoluebant Imperatori; & impetrauit.

Imperio Occidentis vna cum Italiæ regno ad Francos tranſlato Imperatores retinuerunt per multa ſæcula poteſtatem in Epiſcopum Romanum, cuius rei poſſemus plurima exempla afferre. Vnum hoc ſit inſtar omnium. Platina in Gregorio VI. hęc habet. Henricus II. in Italiam cum " magno exercitu veniens, habita Syno- " do, Benedictum IX. Sylueſtrum III. Gre- " gorium VI. tanquàm tria teterrima mon- "

" ſtra ſe abdicare Magiſtratu coegit.

Tantùm autem abfuit vt Carolus Magnus accepto titulo Imperatoris à populo Romano Epiſcopum Romanum adorauerit, vt contra Leo Carolum adorauerit. Id teſtatur Ado Viennenſis iſti æuo
" proximus. Perfectis (inquit) laudibus, à
" pontifice more principum antiquorum
" adoratus eſt. Petauius vir clariſſimus Senator Curiæ pariſienſis, præfixit Chronico Euſebij tractatum eruditum de Epocha Incarnationis, in quo citat hiſtoricum ſic
" loquentem. Cum facta oratione Carolus
" ſurgeret, Leo papa coronam capiti impo-
" ſuit, à cuncto populo acclamatum eſt Ca-
" rolo Auguſto à Deo coronato Magno &
" Pacifico Imperatori Romanorum, vita &
" victoria, & poſt ab Apoſtolico more Ro-
" manorum Principum adoratus eſt. Concinit Aimoinus lib. 4. cap. 90. Et Fauchetius Francicarum Antiquitatum Scriptor accuratiſſimus lib. 7. cap. 8.

CAP. XXXV.

Idem ratione confirmatur.

HIc ratio tam eſt euidens vt vel ab inuitis confeſſionem extorqueat. Innocentius III. Papa Cap. *A nobis.* de ſententia Excommunicationis, hæc ait. Iudicium Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam & fallere & falli SÆPE contingit. Propter quod contingit interdum vt qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus: & qui liber eſt apud Deum Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus. Nam vt ait Lombardus lib. 4. Diſt. 18. F. Deus non ſemper ſequitur iudicium Eccleſiæ quæ per ſubreptionem & ignorantiam interdum iudicat. Denique fatentur omnes Papam in iudicando poſſe decipi, aut ambitione & iracundia tranſuerſum agi. Poſſe enim peccare in moribus, & errare in quæſtione facti.

Ergo ſi Rex fuerit iniuſtè excõmunicatus, & Papali ſententia ei iniuſtè ſit abrogatum imperium, quæritur an Rex iniu-

ſtè damnatus debeat vt filius obſequens cedere loco, & Papæ morem gerere. An verò ei fas ſit Papæ aduerſari,& ſe tueri aduerſus eum in quem Papa iniuſtè regnum tranſtulerit. Bellarminus aduerſus Barklaium & Perronius Oratione ad Ordines regni volunt regem quamuis iniuſtè damnatum Papæ obtēperare & regno cedere. Id ſi fit certa eſt regis exauctorati mors. Nam is ad quem Papa regnum tranſtulit, proculdubio necabit Regem innocētem, ne poſſit recuperare regnum quo iniuſtè exutus eſt. Rariſſima ſunt exēpla Regum qui fuerint regno ſuo ſuperſtites, & quos tanta ruina molliter depoſuerit & in tuto locauerit. Gradibus enim quibuſdam ad regnum aſcenditur, at deſcenſus eſt præceps. Ergo miſer rex eadem ſententia qua abdicatur regno, damnatur quoque ad mortem, ſiue ſe armis defenderit, ſiue non defenderit. Nunquam iniuſtius actum cum viliſſimis mancipijs. Talem regem Papæ morigerum, ſi habeat vires quibus ſe tueatur, dico non modo eſſe ignauiſſimum, ſed & eſſe perfidum, qui populum à Deo ſibi concreditum deſerit, & ſubjicit

iniuſtæ dominationi.

In hoc animorum æſtu fluctuantibus populi iudicijs, quęritur quis ſit futurus iudex huius controuerſiæ in qua quęritur an Papæ ſententia ſit iuſta an iniuſta. Hic quidem Papa non poteſt eſſe iudex, non enim eſt iudex ſui ipſius. Nec poteſt eſſe iudex in cauſa in qua res eius agitur. Idem qui actor eſt aut reus non poteſt eſſe iudex. Nec ſperandum eſt vt ipſe ſe damnet. Erit igitur quęrendus alius iudex qui ſit Papa ſuperior, & qui iudicet de papæ ſententia. Inter quas moras concutietur regnum horrendis motibus, dum itur in partes, & populus diuerſis iudicijs diſtrahitur.

Nec leue eſt quod vel acerrimi aſſertores Monarchiæ Papalis fatentur, Papam nihil habere iuris in Reges Ethnicos & infideles. Nunquam Papa ſibi arrogauit ius aut poteſtatem exauthorandi Sultanum Turcorum, aut regem Perſarum, aut regem Sinenſium. Sit ergo aliquis Rex Ethnicus qualis fuit Clodouæus inter initia regni. Is ſi (vt fecit Clodouæus) ciuret Paganiſmum & fidem Chriſtianam am-

plectatur, dejicietur regni culmine, & patietur magnã capitis imminutionem. Fiet enim Papæ obnoxius, qui poterit eum deturbare ſolio, & qui eum abjiciet ad pedũ oſcula & adorationem, & ad iurandam ei fidem & obedientiam. Id ſi Clodouęus credidiſſet nunquam adduci potuiſſet vt fidem Chriſtianam amplecteretur.

Hic vero quis æquus iudex vicem Regũm non doleat, in quos Papa multo ſæuior eſt quam in minimos de plebe? Nam ſi quis de populo excõmunicatur, Sacerdos ei non adimit pallium, nec crumenam ei amputat, nec eum domo aut auito fundo expellit. In ſolos Reges exercetur hæc tyrannis vt eorum excommunicatio trahat ademptionem regni & deturbationem de ſolio. Nec Regi ita ſpoliato vnquam datur reſtitutio in integrum. Nec vllum inuenies exemplum Regis qui Papali ſententia regno excuſſus & ſpoliatus, eiuſdem Papæ ſententia fuerit in priorem ſtatum reſtitutus. Nullus hîc locus pœnitentiæ. An is in quem Papa regnum tranſtulit alienum, expectabit regis abdicati pœnitentiam, vt ei bona fide re-

gnum reſtituat? An Ludouicus XII. cui Alexander VI. regnum Nauarræ ademit, potuit ſperare à Papa vt regnum quod dederat Ferdinando Caſtiliæ regi, eidem Ferdinando ademptum Ludouico reſtitueret?

At quo iure Papa poteſt adimere Regi Galliæ regnum quod ei non dedit? An Gallia feudum eſt Monarchiæ temporalis Pontificis, & (vt loquuntur) patrimonium Petri? Cur Papæ per tam multa ſæcula non vſi ſunt hac poteſtate, & hũc gladium vnco appenſum paſſi ſunt rubigine confici? An tunc Pontifices cœperunt cognoſcere ſuas vires, quando liberalitate noſtrorum Regum facti ſunt Principes terreni?

Sanè quiſquis non eſt planè peregrinus in hiſtoria regni & Eccleſiæ Gallicanæ veteris, ſcit tunc temporis Epiſcopos Romanos ſe non immiſcuiſſe rebus Regni Francorum: Nec habuiſſe in Gallia Legatos aut Nuncios Apoſtolicos: Nec exegiſſe ab Epiſcopis Galliæ Annatas. Nec Epiſcopos Galliæ accepiſſe ab Epiſcopo Romano Enthroniſticas, quas vocant literas inueſtituræ. Nec à iudicio Epiſcopo-

rum Galliæ ſolitum prouocari Romam. Nec Epiſcopum Romanum liberaſſe ſubditos ab obedientia iurata regibus. Erant tunc omnes clerici ſine exceptione ſubiecti regibus, erant enim vectigales Regibus, & coram regijs iudicibus conueniebantur. Sub ſecunda ſtirpe noſtrorum Regum ſenſim & gradatim irrepſit hęc tyrannis quę regnum exhauſit nummis, & ſubiecit Reges Pontifici in temporalibus.

Cum autem reges in ſuis regnis habeant Epiſcopos & Curiones ac Confeſſarios, ſequeſtros conſcientiæ Regum, hi ſi debito munere funguntur vt par eſt, ſunt veri Paſtores Regum, quippe quibus cura incumbit prędicandi Euangelium regibus, & eis adminiſtrandi Sacramenta. Hi ſi habent authoritatem dandi regibus Sacramentum Euchariſtiæ, habent quoque poteſtatem eis negandi Sacramentum. Nam vt docet Ambroſius poteſtas ſoluendi & ligandi habent eandem extenſionem. At id non placet Pontifici. Ademit enim Epiſcopis & Preſbyteris poteſtatem excommunicandi Reges, quaſi Reges non eſſent pars gregis, & oues Epiſcopis & preſbyteris

cõcreditæ. Papa excõmunicationem Regum ſibi ſoli reſeruauit, quippe quam cenſuit ad ſublimitatem ſui imperij pertinere.

Eſt ergo impuriſſima & execranda Ieſuitarum doctrina, papam poſſe Reges regno exuere & imperium ab vno in alium transferre. Id Bellarminus & Baronius mordicus tenent & defendunt. Becani verba hęc ſunt, Opuſculo cuius lemma eſt Refutatio Torturæ Torti p. 129. Nos ſanè « fatemur Reges Chriſtianos deponi poſſe à « Pontifice ſi deliquerint. Sic reges deſti- « nantur occiſioni. Nam aduerſus vſurpatorem regni ad ſe non pertinentis, omnis homo miles eſt. Dempto regali titulo vita regis expoſita eſt ſicarijs & veneficis. Dominus eſt alienæ vitę quiſquis contemnit ſuam.

CAP. XXXVI.

De artibus quæſtuarijs & cauponatione Romana.

QVo ſpiritu Pontifices fuerint impulſi ad hęc audenda hinc liquet, quod ex quo cœperunt vibrare hæc fulmina in Imperatores & Reges, & eos dejicere ſolio,

in alijs quoque rebus cœperunt titulis antea inauditis intumeſcere. Tunc Papa cœpit Deus appellari, & adorari, & præbere pedem oſculandum Regibus & Imperatoribus, & inſerere quos vult catalogo Sanctorum: & diſpenſare in votis & iuramentis: & animas ereptas flammis Purgatorij transferre in paradiſum: & populis adimere calicem Euchariſtiæ: & interdicere laicis lectionem ſacræ Scripturæ. Et per ſuos emiſſarios docere Papam poſſe diſpenſare contra Apoſtolum. Et Eccleſiam Romanam (id eſt Papam) habere plus authoritatis quam Scripturam.

Tunc ruptis omnibus pudoris repagulis religio verſa eſt in fœdam cauponationem, vix quoquam cõtra hiſcere auſo, veluti ſi quis pileo regali ad coaceruãda ſterquilinia abuteretur. Habemus tamen quorundam querelas, qui vt in nocte ſubluſtri, ingemuerunt, & lamentati ſunt vicem populorum preſſorum tam dura tyrannide. Pauca afferemus ex multis.

Æneas Syluius qui & Pius II Papa Epiſtola 66. ad Iohannem Peregallum hęc ait. *Nihil eſt quod abſque argento Romana curia*

dedat. Ipſa manuũ impoſitio, & Spiritus ſancti dona venduntur, nec peccatorum venia niſi bene nummatis impenditur.

Abbas Vſpergenſis in vita Philippi Imperatoris pag 321. *Gaude mater noſtra Roma, quoniam tibi aperiuntur cataractæ theſaurorum in terra, vt confluant riui & aggeres nũmorum in magna copia. Lætare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recõpenſatione tantorum malorum datur tibi pretium. Iocundare ſuper adiutrice tua diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſſi.*

Bernardus Conſiderationis lib. 4. Eugenium Papam ſic affatur. *Quem dabis mihi de tota maxima vrbe qui te in Papatum receperit, pretio ſeu ſpe pretij non interueniente? Si audeo dicere, dæmonum magis quã ouium paſcua hæc. Scilicet ſic factitabat Petrus.*

Sed nullus locupletior teſtis Theodorico à Niem, qui tribus Papis fuit ab epiſtolis, & inter alios Bonifacio IX. Annatarum inuentori. Is tractatu ſexto Nemoris vnionis cap. 37. hæc ait *Camera Apoſtolica aſſimilatur mari in quod intrant omnia flumina, & non exundat. Sic enim in iſtam portantur ex diuerſis mundi partibus auri*

pondo millia, attamen non impletur. In qua eſt generatio quæ gladios cõmutat, vt comedat pauperes de terra. In qua multæ ſunt ſanguiſugæ dicentes Affer, affer. Cuius quidẽ Cameræ Officiales gentes Cameræ nuncupantur.

Ipſos Doctores Canoniſtas vis veritatis ad hanc confeſſionem compulit. Hi in Gloſſa capitis *Fundamenta* De Electione in VI. hæc habent, *Roma fundata à prædonibus adhuc de primordijs retinet, dicta Roma quaſi rodens manus*, Et addunt verſum elegantem,

Roma manus rodit, quos rodere non valet odit.

Semperque Bullis Papalibus quibus gratiæ aliquæ Papales conceduntur, inſcritur hęc clauſula, dari has gratias *Manus conferentibus adiutrices.*

Hanc in rem habemus grauiſſimas querelas Iohannis Feri concionatoris Moguntini in ſecundum caput Iohannis. Et Eſpenſæi, commentario in primum caput Epiſtolæ ad Titum, vbi abominatur Taxam Cancellariæ Apoſtolicę & Pœnitentiariæ, in qua abſolutiones peccatorum & Diſpenſationes taxãtur certo pretio groſ-

ſorum & ducatorum. Ibi inter alia horrenda hęc habentur fol. 23. cap. de Matrimonialibus. Et nota diligenter quod eiuſmodi gratiæ & diſpenſationes non conceduntur pauperibus, quia non ſunt, & ideo non poſſunt conſolari. Periculum erat ne tantę gratiæ ſpirituales vilitate pretij obſoleſcerent. Ibidem abſolutiones parricidij, inceſti, &c. certo pretio taxantur.

Nec Cardinalis Toletus Ieſuita it inficias. Sed Papalem cauponationem ſic excuſat lib. 5. Inſtructionis Sacerdotum cap. 89. Dico non eſſe murmurandum quod Papa pro his exigit pecunias, non per modum pretij, nam iſta ad ſuſtentationem dantur, qua multum indiget tanta in Eccleſia dignitas. Talem excuſationem poſſunt fures & latrones obtēdere, dicendo ſe id non facere animo furandi, ſed ad vitæ ſuſtentationem qua multum indigent. Loquitur autem de pecunijs quas Papa capit ex diſpenſatione iuramentorum, permittens perjuria.

Ingenuus eſt Nauarrus Titulo de pœnitentia & remiſſione, Conſilio 18. Ibi ait papam cōceſſiſſe remiſſionem omnium pec-

catorum,etiam caſuum reſeruatorum omnibus qui vnum Iulium (ſpecies eſt nummo Italici) penderent, & laudat factum: eiuſque rationem affert, quia Papa non puri hominis ſed veri Dei vicem gerit in terris: nec poteſt ei dici, cur ita facis?

Inde incepit defectio Germaniæ à ſede papali. Perreptabant totam Germaniam bulligeruli papæ Leonis X. æruſcatores impuriſſimi,qui remiſſionem peccatorum vendebant certo pretio, vitamque æternam pollicebantur emptoribus, animaſque ex pacto extrahebant flammis Purgatorij: quam pecuniam in luſtra & ganea, & aleam profundebant magno Eccleſiæ Romanæ opprobrio.

LIBER NONVS DE INDVLGENTIIS ET IVBILÆO.

Et de Indulgentijs quæ dantur mortuis.

CAPVT I.

Sententia Eccleſiæ Romanæ.

DOCTRINA Indulgentiarum nihil aliud eſt quam nouum Euangelium cõparatum ad quęſtum & ad incrementum Papalis poteſtatis. Indulgentias enim & theſaurum Eccleſiæ fuiſſe ignota Prophetis, Apoſtolis, totiq; veteri Eccleſię Chriſtianę fatẽtur aduerſarij: vt abundè probauimus.

Indulgentiam Pontificij definiunt eſſe remiſſionem pœnæ tẽporalis debitæ peccatis commiſſis poſt Baptiſmum, factam extra Sacramentum, per diſpenſationem theſauri Eccleſiæ.

Docent enim mortis Chriſti meritum eſſe infinitum, ſed communicari modo finito, & Deum manum contrahere & aliquid detrahere de eius efficacia. Paſſione enim Chriſti remitti quidem totam culpam & pœnam æternam, at non pœnam temporalem ſatisfactoriam. Deum enim mutare pœnam æternam in temporalem, quam dicunt luendam eſſe partim in hac vita, partim poſt hanc vitam, in igne purgatorij. Veruntamen has pœnas vltrices per quas ſatisfit Dei iuſtitiæ exigentis compenſationem, relaxari per Indulgentias Papæ: quę non modo liberant peccatores pœnis irrogatis à Sacerdote, ſed etiam liberant animas quæ cruciantur igne purgatorij, eaſque transferunt in paradiſum.

Huic doctrinæ ſubſeruit diſtinctio inter remiſſionem culpæ & remiſſionem pœnæ. Cenſent enim Deum poſt remiſ-

ſionem totius culpæ exigere pœnas ſatisfactorias & vltrices, ad compenſationem, & cruciare igne animas carentes culpa: Sic tamen vt per ſuffragia Eccleſię, Clero compendioſa, & per Papæ Indulgentias, animę iſtæ poſſint ſubleuari. Toletus l. 6. Inſtruct. Sacerd. cap. 21. §. 3. hęc ait, *Per aquā benedictam remittuntur venialia quantùm ad culpam, non tamen quod ad totam pœnam.* Id enim dant operam vt ſemper ſuperſit aliqua pœna luenda, vt ad eius relaxationem recurratur ad Papam eiuſque miniſtros.

Eidem nouę doctrinæ in ſeruiunt Vicariæ ſatisfactiones, per quas homo transfert in ſe pœnam alieni peccati, & pro peccatis alterius Deo ſatisfacit, idq; ex condigno. Ita fit vt peccatores diuites genio indulgeāt, dum pauper pretio cōductus pro epulante ieiunat, & pro laſciuiēte flagellatur. Tum Papa has vicarias ſatisfactiones congeſtas in theſaurum cuius eſt diribitor & diſpenſator, ſpargit in populos, & ex arbitrio diſpenſat viuis & mortuis. Vnde fit vt eius poteſtas vltra mortem extendatur.

In eundem finem aiunt Chriſtum mul-

tò plura paſſum eſſe quàm ad noſtram ſalutem & redemptionem requirebatur, vnicam enim guttam ſanguinis Chriſti ſuffeciſſe ad redemptionem totius generis humani: ſic definiente Clemente VI. Extrauagante *Vnigenitus*. Quicquid ſupereſt paſſionum Chriſti vltra iſtam guttam reſeruatur in theſauro Eccleſiæ cuius Papa eſt clauiger & diſpenſator. Hę ſuperabundantes paſſiones Chriſti,(ſi aduerſarijs creditur) fuiſſent inutiles & ſuperuacuæ, niſi Papa per Indulgentias, has paſſiones conuerteret in ſolutionem pro ijs qui poſt remiſſam culpam ſunt adhuc obnoxij pœnę temporali ſatisfactoriæ. Itaque (ſi his creditur) quicquid Chriſtus paſſus eſt prętet vnius guttę ſanguinis effuſionem, totum in Theſauro Papę aſſęruatur, & ſpargitur in populos per indulgentias.

Chriſti paſſionibus ſuperabundantibus adiunguntur paſſiones & labores Sanctorum qui plura paſſi ſunt quam requirebatur ad expiationem pro ſuis ipſorum peccatis. Quę paſſiones eſſent inutiles & ſuperuacaneæ niſi papa eas conuerteret in ſolutionem pro alijs. Nam idem Clemens

eadem Extrauagante definit, ad huius theſauri cumulum merita ſanctorum præbere adminiculum ſeu additamentum.

Ex hoc theſauro conſtante ſuperabundantibus paſſionibus Chriſti & Sanctorum Papa depromit Indulgentias quas ſpargit in populos, aliquando parcius aliquando liberalius.

Porrò cum huius theſauri nulla fiat mentio nec in Veteri nec in Nouo Teſtamento, nec vetus Eccleſia Chriſtiana talem theſaurum habuerit, nec dici poſſit quis primus author huius theſauri, nec vbi iacuerint ſub Veteri Teſtamento paſſiones ſuperabundantes Patriarcharum & Prophetarum: Nec quis iuſſerit papam eſſe huius theſauri promumcondum & diſpenſatorem: Nec quando primùm cœperit hęc erogatio & diſpenſatio. Nec inueniatur in tota antiquitate vllum exemplum animæ, quę per Indulgentias Epiſcopi Romani fuerit liberata flammis purgatorij? Et cum his artibus Papa immenſas diuitias coaceruauerit, vendens populis indulgentias & remiſſionem peccatorum: nihilominus cenſetur hæreſis execrãda & di-

gna capitali ſupplicio hiſcere aduerſus Indulgentias, & papæ hac in re poteſtatem in dubium reuocare. Clemens VI. Extrauagante *Vnigenitus*, dicit Deum Petro, & eius ſucceſſoribus, ſuis in terris Vicarijs, commiſiſſe huius theſauri diſpenſationem. Bullam Gregorij XIII. qui promulgauit Iubileum anno 1575. habes apud Nauarrum Cõmentario de Indulgẽtijs p. 589 in qua pontifex ſibi vt Petri ſucceſſori tribuit PLENISSIMAM poteſtatem remittendi peccata. Paribuſque titulis intumeſcit Bonifacius VIII. Extrauagante *Antiquorum*, & cęteri ab eo.

Hi Papæ inflantes tam grandes tibias debuerant cauſam afferre, cur cùm omnibus Apoſtolis par poteſtas remittendi peccata data ſit à Chriſto, ſucceſſores Iohannis, Iacobi, Pauli, non ſucceſſerint eis in hanc poteſtatem. Cum Paulus 2. ad Cor. cap. 12. 11. dicat ſe nulla in re inferiorem eſſe ſummis Apoſtolis. Qui dicit NVLLA IN RE nihil excipit.

Cum autem Papa ſibi ſoli arroget plèniſſimam poreſtatem dandi indulgentias, huius tamen poteſtatis portionem cõceſſit

aliјs Epiſcopis, ſed valdè exilem & anguſtis limitibus circumſcriptam. Nam Epiſcopis conceſſit poteſtatem dandi indulgentias quadraginta dierum: & in encænijs ſeu dedicatione Eccleſiæ indulgentiam vnius anni, idque in ſua ipſorum diœceſi: excedere hos limites nefas. Dare verò remiſſionem peccatorum in dies quadraginta aut centum, res eſt per abſurda, & veteribus planè inſolens. Verba Thomæ hęc ſunt primo Opuſculo cap.20. *Oportet dicere in Summo Pontifice eſſe plenitudinem omnium gratiarum, quia ipſe ſolus confert indulgentiam omnium peccatorum, vt cõpetat ſibi quod de primo Principe Domino dicimus, quia de plenitudine eius omnes accepimus.* Quin & Doctor Angelicus, eo vſque proceſſit audaciæ, vt auſus ſit Chriſto conuitium dicere, ſic loquens ibidem, *Dominus vtitur in Ioanne quadam importuna interrogatione ter quærens à ſuo ſucceſſore beato Petro quod ſi ipſum diligit greges paſcat.* Inſigne eſt quod Petrum vocat Chriſti ſucceſſorem.

CAP. II.

De Indulgentijs non vniuerſalibus & quæ dantur ad tempus.

PRęter pleniſſimas & vniuerſales indulgentias, Papa dat indulgentias acciſas & limitatas, ac circunſcriptas. Vult enim credi ſe cum Deo accuratam rationem, quaſi calculorum ſubductione iniuiſſe. Dat indulgentias aliquot annorum, quibus addit aliquot quadragenas dierum & tertiam partem remiſſionis peccatorum. Statuit Romæ & in magnis vrbibus, quędam altaria, quæ vocantur altaria priuilegiata, quibus affixit aliquot millia annorum veræ indulgentiæ, additis quibuſdam quadragenis. Ad quæ altaria qui curant cani miſſam vnam aut alteram, lucrantur multa millia annorum veræ Indulgētiæ, & liberant vnam animam flammis purgatorij, ad optionem ſoluentis pretium, additur enim hanc gratiam concedi *Manus porrigentibus adiutrices.* Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 9. dicit dari

indulgentias viginti millium annorum. Nauarrus Commentario de Indulgentijs & Iobel pag. 547. Indulgentias extendit vſque ad centum millia annorum, ſic loquens, *Indulgentia tot & tot dierum, menſium, quadragenarum, etiam centum millium annorum non eſt plena.* Cenſet enim in tali indulgentia aliquid deeſſe ad perfectionem.

Extat liber Italus Romæ excuſus continens Catalogum Indulgentiarum Romanarum refertus prodigioſis eiuſmodi Indulgentijs. Ibi inter alia hęc habentur, Nel meſe di Febraro, la Domenica d'ella " Settuageſima e ſtatione a S. Lorẽzo fuori " d'elle mura, e Indulgentia plenaria, e vn- " dieci milla anni d'Indulgentia, e quaran- " ta otto quarantene, e la remiſſione d'ella " terza parte di tutti peccati, e ſi libera vna " anima d'elle pene di purgatorio. "

Vulgatiſſimus eſt liber Indulgentiarum funiculi Sancti Franciſci, Gallicè editus Lutetiæ typis Abrahami Saugrain, anno 1604. via Iacobea ad inſigne duarum viperarum, ibi inter ſexcenta alia eiuſdem farinæ hęc habentur p. 251. *Singulis diebus*

[menſis Auguſti] vſque ad natiuitatem Dominæ noſtræ ſunt octingenta & ſexaginta millia annorum indulgentiæ, & ducenti ſexaginta duo anni & remiſſio tertiæ partis peccatorum, conceſſa in multis Eccleſiis.

Sęcula quibus atra ignorantiæ caligo terris incubuit pepererunt hęc monſtra & ſtolidas impoſturas, ademptis ſcripturis, Deo ſic vlciſcente hominum ſcelera, & percutiente populos ſpiritu ſoporis, & vertiginoſæ cęcitatis. In quibus tenebris Papa fulgurabat ex Vaticano, veluti cum nocte concubia auditur fragor tonitruum.

Ioculare eſt quod Papa ſpargens in populos Indulgentias, earum eſt particeps, remittens peccata alijs, & ſibi: Nam cur theſauri iſtius inexhauſti cuius eſt cuſtos & diſpenſator non eſſet particeps? Eman. Sa Ieſuita Aphoriſ. Verbo Indulgentia. *Indulgentia vtitur etiam qui eam conceſſit.* Nauarrus Com. de Indulgentijs p. 567. *qui concedit Indulgentiam poteſt fieri particeps eius.* Idem docet Bellarm. lib. 1. de Indul. cap. 6. §. *Poſtrema.* Nēpe quando Deus à Papa poſt eius mortem petet, cur hęc & illa peccata patrauiſti? reſpon-

debit papa pręſidenter, Hęc quidem peccata commiſſi, ſed ego mihi ipſe indulſi, & mihi ignoui. Hoc pacto Papa fit maior ſe ipſo: Nam qui dat indulgentias eſt accipiente ſuperior.

CAP. III.

Modi quibus Papa largitur Indulgentias. Et de remiſſione peccatorum futurorum. Nauarri querela.

AFfiguntur valuis templorum programmata, quibus cōtinetur remiſſio peccatorum in aliquot dies aut annos, viſitantibus hanc aut illam baſilicam, & has aut illas reliquias. Tum in Apotheoſi ſeu Canonizatione noui ſancti, conceduntur certæ indulgentiæ viſitantibus locum vbi corpus eius eſt compoſitum, & manus conferentibus adiutrices.

Dimittuntur per Italiam & extra, quęſtores venditantes indulgentias, & prædicantes earum ſanctitatem & efficaciam, & corrogantes ex collatitia ſtipe magnam vim pecuniarum, de quibus Nauarrus ſic ſcribit. *Quaſtores non quærunt commodum*

animarum ſed pecuniarum. Lib. de Indul. Notabili 9. § 9. Addit. *Concedens Indulgentias, de alieno ſoluit debita, iuxta illud barbarum prouerbium. De alieno corio corrigiæ longæ.* Nam qui petit indulgentias, offert Deo alienas pœnas in ſolutionem pro ſuis peccatis.

Inde orta defectio Germaniæ ab obedientia ſedis Romanæ. Leo X. auidus pecuniæ, cum longè abeſſet annus Iubilæi tantopere compendioſi Pontificibus, Iubilæum ambulatorium promulgauit, ſub alio titulo. Miſit bulligerulos qui per Germaniam & alias regiones circunferrent Indulgentias venales, quibus dabatur remiſſio plena omnis peccati: & animæ purgatorio extrahebantur & in cœlum tranſferebantur. Impuriſſimi æruſcatores cum ex collatitia ſtipe immenſam pecuniam corrogaſſent, eam in ganeas & luſtra & popinas & aleam profundebant. Vt refert grauiſſimus author Auguſtus Thuanus Curiæ Parlamenti preſes hiſtor. lib. primo.

Diſſimili ſucceſſu hæ indulgentiæ in Hiſpaniam miſſæ ſunt & mittuntur. Nemo enim aduerſus eas hiſcere audet

metu Inquiſitionis. Quid fiat in Hiſpania, & quomodo hęc mercatura exerceatur, deſcribit Nauarrus, teſtis oculatus, & qui vitæ ſuæ magnam partem in Hiſpania exegit. Is commentario de Indulgentijs & Iobel Notabili 31. §. 46. hæc ait, Quęſtores eleemoſynarum & pecuniarum, quę " ad indulgentias aſſequendas dantur ſunt " immodeſti, potui & eſui, vtinam non li- " bidini dediti. Toti ſunt in haurienda pe- " cunia per fas & nefas, multas abuſiones " proponunt in ſuis prædicationibus, vt ſim- " plices decipiant, & aurum ſubtili & falla- " ci potius ingenio extorqueant. Tempore " meſſis & trituræ in regno Caſtellæ diebus " profeſtis compellunt agricolas venire ad " ſuas conciones audiendas, & operas ſuas " perdere. Eoſdem volentes nolentes com- " pellunt ad accipiendas indulgentiarum " bullas, vocando eos ad conciones impor- " tunas, & cõpellendo vt veniant per cen- " ſuras Eccleſiaſticas, etiam de pago vno in " alium, quod pluris eis conſtat quam ipſa " bulla. Addit eos pecunias pro bullis In- " dulgentiarum acceptis debitas extorque- " re per cenſuras & captionem inhumanam "

"pignorum & culcitræ viliſſimæ quam mi-
"ſer ruſticus habet vnicam, & ſtraguli, im-
"mo vſque ad ianuam domus: & populum
"ita vexatum hęc imputare ſummo Pon-
"tifici.

Hæc querela etſi eſt iuſta, in Nauarro tamen eſt iniuſta: inſeruiebat enim huic cauponationi, eratque huius lucri particeps: vtpote Papę pœnitentiarius, ſub Carolo Boromęo Cardinali, ſummo pœnitentiario. Munus autem Pœnitentiariorum eſt expedire diplomata abſolutionum & diſpenſationum, quæ certo pretio ſunt taxata, vt videre eſt in libro qui inſcribitur *Taxa Cancellariæ Apoſtolicæ & ſacræ Pœnitentiæ Apoſtolicæ*, edito Lutetiæ, cum Priuilegio & Papę approbatione.

Dicit quidem Nauarrus has quæſtorum fraudes & fœdam nundinationem à Papa improbari. Sed Papa iniuſtè eis ſuccenſet: Sunt enim miſſi à Papa ad corradendas pecunias ob remiſſionem peccatorum. Proſtant hę merces ex Papæ imperio. Nec mirum eſt ſi homines miſſi ad furandum plus furantur quam habent in mandatis. Putant ſibi licere quod licet Pontifici.

Nempe Papa ſic eos reprehendit, vt cum *Clodius accuſat mœchos, Catilina Cethegum.* Ipſe Nauarrus lib. de Indul. p. 563. dicit binos nummos argenteos qui penduntur ab Hiſpanis in capita, in emptione Bullæ Papalis, aſſurgere ad nonaginta aureorum millia. Et perſępe dicit pecunias eſſe cauſam cur dentur Indulgentiæ. Et Iulium II. largas indulgentias conceſſiſſe, illis qui ſoluerent duos nummos Iulios: nec de Papa conquerendum eſſe quia (inquit) *vicem Dei gerit in terris, nec quiſquam poteſt ei dicere cur ita facis?* Immo Doctores cenſent Indulgentiam datam à Papa abſque iuſta cauſa eſſe ratam. Quin & ait Nauarrus fas eſſe papæ Miniſtris imitari Papam, quia ſcriptum eſt, *Eſtote perfecti ſicut pater veſter eſt perfectus*, &c. *A boue maiori diſcit arare minor.*

Quid quod Indulgentias Papa ſpargit in populum iactu fortuito in ignotos & ſine diſcrimine perſonarum. * Sic ſeptimana ante diem Paſchatis Papa ſpargit indulgentias plenas in populum ſtantem in platea S. Petri, veluti cum reges die inaugurationis, ſpargunt nummos in ple-

* Nauar. lib. de Iobel. pag. 557.

bem. Hęc ſunt Imperij Romani Hierarchici miſſilia.

Verba Nauarri hæc ſunt Commentario de Indulgentijs & Iobel Notab. 15. §. 6. " Sępe Papa concedit indulgentiam plenariam pro viſitatione ſola alicuius Eccleſiæ, " facta cum manuum adiutricum porrectione. In die item ſancto Paſchæ, facta " benedictione à Papa ſuper platea S. Petri, " duo Cardinales pronuntiant plenariam " indulgentiam omnibus pręſentibus: teſtante id Thoma de Vio Cardinali, quod " & nos factum ſub. fel. record. Pio V. & à " Sanctiſſimo Domino noſtro Gregorio " XIII. vidimus. Vidimus & globulos ligneos à ſummis Pontificibus ita benedictos, vt qui aliquem eorum tenens in manu, orationem Dominicam pro anima " quapiam Purgatorij diceret, eam ab eo " liberaret. Addit. Paſſim tota Caſtella, " cum ſibi adiunctis regnis, ſuſcipit noſtra " ætate diplomata, quibus cuicunque etiam " quantumlibet diuiti & magno Principi " binos nummos argenteos in Turcas vel " Sarracenos danti, plenaria indulgentia " peccatorum, cum multis alijs facultatibus,

con-

conceditur. Aut ergo decipit nos Eccle-"
ſia Romana,(quod non eſt dicendum)aut "
leui & leuiſſima de cauſa concedi poteſt "
indulgẽtia omnium grauiſſima. Hęc ille."

Fidem excedit quod dicam. Idem Nauarrus Commentario ſępe citato p. 601. Docet Papam habere poteſtatem remittendi peccata non ſolum prętetita ſed etiam futura, ſic edicendo, quiſquis hoc aut illud peccatum commiſerit ei impune erit, & docet talem Indulgentiam dari à Papa in Iubilæo. Et pag.603. Remiſſio- "
nem peccatorum iam quęſitam per indul- "
gentiam Iobelæam non amiſit ob pecca- "
tum mortale poſt viſitationes iam perfe- "
ctas ſubſequutum, ſecundum mentem "
omnium. Iam illud perabſurdum remit- "
tere peccata non commiſſa. Tum qui edicit impune fore peccaturo, & patraturo furtum, aut adulterium, immittit habenas improbis, & dat peccandi licentiam. Tum ſummo ſcelere docetur Papales indulgentias tam eſſe certas & efficaces, vt nullo ſcelere patrato poſt acceptam indulgentiam poſſint fieri irritæ. Nempe quia ſententia Papalis conuelli non poteſt.

Hæ quiſquis non planè excors, & cui ſupereſt mica liberi iudicij animo recolit, & Bullas indulgentiarum, globulos ſanctos, grana benedicta, agnos cereos à Papa conſecratos, Indulgentias centum millium annorum, remiſſionem tertiæ partis peccatorum, cum aliquot quadragenis. Altaria priuilegiata. Indulgentias ſparſas in populum iactu fortuito. Diplomata remiſſionis peccatorũ, munita ſigillis plumbeis: theſaurum Eccleſiæ conſtantem ſuperabundantibus ſatisfactionibus ſanctorum, cuius Papa eſt diſpenſator. Binos nummos pretium bullæ remittentis peccata. Quæſtores bulligerulos dimiſſos per prouincias ad corrogandas pecunias ex remiſſione peccatorum: Indulgentias datas mortuis. Poteſtatem Papæ remittentis peccata non modo præterita ſed etiam futura, &c. Hæc (inquam) quiſquis pius animo recolet, & hæc conferet cum Euangelio Chriſti, & ſcriptis ac documentis Apoſtolorum & Veterum Patrum, comperiet hęc ab illis toto cœlo diſtare, & cum dolore admirabitur tantam religionis Chriſtianæ deprauationem & immutationem,

narã ex ademptione ſacrarum Scripturarum: quem librum clauſum plus quam ſeptem ſigillis Deus nouiſſimo ſæculo inuitis & indignantibus Papis aperuit.

CAP. IV.

DE IVBILÆO.

EXtraordinaria liberalitate Papa manum apponit theſauro Eccleſiæ, anno qui Iubileus vulgò indigetatur: qui annus recurrit vigeſimo quinto quoque anno. Tunc Papa ſpirituale hoc cõgiarium aperit, & populos quaſi ſibilo excitans, inuitat Romam, & viſitantibus tres Eccleſias, in bulla promulgationis deſignatas, quæ vulgo *ſtationes* Romanæ appellantur, concedit plenam, pleniorem, & pleniſſimam remiſſionem omnium peccatorum. Viſitatio hæc fit per dies quindecim continuos aut interciſos. Ad hanc promulgationem commouentur populi, vt denſum examen apum ad tinnitum aheni. Confluunt Romam Galli, Hiſpani, Polloni, Germani, tanta multitudine vt Roma vix

eorum capax ſit. Tunc Romani ciues locupletantur locatione cœnaculorum meritoriorum,& venditione mercium:& Eccleſiæ ditantur donarijs peregrinorum. Eſtque maxima incolarum vrbis Romæ prærogatiua, quod remiſſionem peccatorum habent ſub manum, & in proximo. At Cantabris, Sarmatis, Hibernis, Luſitanis, longe diſſitis, quærenda eſt remiſſio peccatorum longis itineribus & magno ſumptu. Illi verò quibus non eſt equus, nec pecunia ad iter, tum qui ex infirmitate corporis ſunt ad iter inhabiles, fraudantur hac ſpirituali liberalitate. Adde quod fœminis parum tuta eſt nec ſatis honeſta tam longa peregrinatio: præcipuè in Italia, quæ eſt libidine infamis, & Romæ vbi proſtant meretrices permittẽte Pontifice.

Cum autem Papa remiſſionem peccatorum affixerit tribus Eccleſijs in bulla deſignatis, ſi quis plures orationes & maiori deuotione conceperit in alijs templis, fruſtra fuerit & operam luſerit. Vir ineptus & fatuus quæſiuit remiſſionem peccatorum in locis in quibus à Papa non eſt collocata.

Cum autem in Gallia, Hiſpania, &c. plurimæ ſint Eccleſiæ & Monaſteria quibus Papa affixit largas indulgentias, ne populus ſpretis Romanis ſtationibus & indulgentijs inde petat remiſſionem peccatorum, Papa pro ſua prudentia omnes iſtarum regionum indulgentias ſuſpendit in annum, & iubet eſſe irritas.

Die vigeſima quarta Decembris, quæ eſt vigilia Natalis Chriſti, die iam præcipiti Papa procedit ad ſacellum palatij Apoſtolici. Inde progreditur ad Eccleſiam S. Petri, proſequente pompa ſplendida Cardinalium & Pręlatorum collucente flammis. Geſtant enim Cardinales cereos prægrandes ponderis trium librarum, Minores vero Prælati geſtant candelas ſex vnciarum: Papa portatur ſella vſque ad maiorem templi portam quæ ſancta appellatur, quæ quidem muro eſt obſtructa: Ibi Papa tenens manu malleum aureum ter percutit murum quo fores templi ſunt obſtructæ, dicens voce in cantum flexa, *Aperite mihi portas iuſtitiæ.* Reſpondent cantores voce canora *Ingreſſus in eas confitebor Domino*, &c. Accurrunt properè

cæmentarij & momento murum quo obſtruebatur porta diruunt, & lapides ejiciũt foras. Populus accurrit, & lapides, lapidumque fragmenta, magna auiditate, nec ſine tumultu rapit, futura ἀμυλητήρια, ad auerruncanda mala, aëris contagionem & inſultus dæmonum, & ea ſedulo aſſeruat domi. Amotis lapidibus porta lauatur aqua luſtrali, ſeu benedicta. Per portam Papa ingreditur in templum, canens *Te Deum*, tenens manu crucem: Tum refertur in ſuam ſedem à parafrenarijs rubro indutis. Toto anno portæ templi patent, vt qualibet diei hora peregrinis quęrentibus indulgentias pateat ingreſſus.

Hæc narrat Nauarrus deſcribens qua pompa & ritibus Gregorius XIII. iubilęum anni 1575. celebrauerit. Et dicit, anno exacto Cardinales proceſſionaliter veniſſe ad vultum ſanctum, id eſt ad imaginem vultus Chriſti in linteo pictam, quę effigies vulgo Veronica appellatur, & ad ferrum lanceæ.

His peractis peregrini ad ſua redeunt alacres, exonerati nummis, excuſſo onere omnium peccatorum: qui quidem po-

tuiſſent domi & in patria per Chriſti fidem, & ſeriam conuerſionem adipiſci plenam remiſſionem omniũ peccatorum. Sic illuditur populis, & de eorũ ſtultitia triumphatur. Remiſſio peccatorum verſa eſt in theatralem & iocularem pompam, & Roma illo anno fit diribitorium donorum cæleſtium, & reconciliationis cum Deo, idque Deo inconſulto.

Quo ſpiritu autem agantur qui hæc docent hinc liquet. Fatẽtur Papam aliquando concedere indulgentias ob cauſas leues aut iniuſtas. Veruntamen Papæ eſſe iudicare an ſint iuſtæ, nec fas eſſe populo ea de re inquirere & dubitationem mouere. Emanuel Sa. Verbo *Indulgentia* loquens de Indulgẽtia data ſine cauſa dicit. *Ego de Indulgentia à Papa data non cenſeo quidquam dubitandum.* Hoc pacto Papa ſuarum ipſius actionum eſt iudex.

Quod ſi quis eat ad Iubilęum in malo (vt loquũtur) ſtatu, id eſt ſi per viam ſcortetur aut genio indulgeat, putant Doctores eum nihilominus conſequi indulgentiam Iubilæi, dummodo rite viſitet Eccleſias deſignatas in Bulla Iubilæi. Id docet

Nauarrus Cōment. de Indul. p. 564. Tanta eſt vis & efficacia Papalis Indulgentiæ vt etiam hypocrita & profanus poſſit per eam conſequi remiſſionem peccatorum. Verba Nauarri ſunt. *Arreptio itineris veniendi Romam, ad quærendam hoc anno indulgentiam Iobelæam, in MALO ſtatu facta, non impedit acquiſitionem Indulgentiæ illius, ſi actus viſitandi Eccleſias fuerint facti in bono.*

CAP. V.

De Bonifacio VIII. Et de Papis abbreuiatoribus Iubilæi.

HVius inſtituti primus author fuit Bonifacius VIII. anno Chriſti 1300. Hiſtorici Pōtificij eum ſic depingunt. Stella preſbyter Venetus de eo ſic ſcribit, Vir "fuit callidus ingratiſſimuſque, qui ſua "ambitione ſanctum Cæleſtinum magna "iniquitate decepit, & abdicare ſe pontifi-"catu quaſi coegit, ac perpetuo carcere "damnauit, &c. Aiunt enim hunc Boni-"facium quendam hominem clanculum in

cubiculo Cęleſtini nocte miſiſſe, qui voce “
quaſi diuina diceret, Cæleſtinus ſi ſaluus “
vult fieri, Pontificium munus omnino de- “
ponat, atque his artibus & fraudibus Bo- “
nifacius Pontificatum adeptus eſt. Suſce- “
pto igitur Pontificatu arrogantiſſimus ho- “
mo omnes fere contemnere cœpit, &c. “
Hic Ludouicum regia Francorum ſtirpe “
natum apud Africam defunctum in San- “
ctos confeſſores meritò retulit, &c. Phi- “
lippum Francorum regem & Sarram cum “
omnibus Colũnenſibus anathemate no- “
tauit: ac Francorum regnum propter vio- “
latum[1] ius gentium Alberto Imperatori “
ſubiecit. Qua ex re indignatus Philippus “
cum eius ſuperbiam domare cuperet Sar- “
ram Columnenſem cum ducentis equiti- “
bus clam mittit qui Anagniam noctu in- “
greſſus Pontificem in paterna domo & in “
quo genitus fuerat cubiculo, valuis vi re- “
fractis obſtupentem propria manu cepit, “
direptiſque eius bonis, videlicet innume- “
ris theſauris, Romam vinctum perduxit “
vbi carceri mancipatus, intra quartum & “
vigeſimum diem violenta morte defecit. “
Stella addit. Ab omnibus arrogantiſſimus “

" & improbus iudicatus eſt. Vnde de eō
" prophetatum fuerat, intrauit vt vulpes, re-
" gnauit vt leo, mortuus eſt vt canis. Ei ſucceſſit Benedictus IX. qui acta Bonifacij reſcidit.

Faſciculus temporum de eodem Boni-
"facio ſic ſcribit. In tantam arrogantiam
"erexit ſe ipſum, vt Dominum mundi ſe
"diceret tam in temporalibus quam in ſpi-
"ritualibus: & multa magnificè fecit, quæ
"in fine miſerabiliter defecerunt, deditque
"exemplum cunctis Prælatis, ne alta ſape-
"rent. Hic eſt de quo dicitur quod intra-
"uit vt vulpes, vixit vt leo, & moritur vt
"canis.

" Nec his mitiora Platina. Ad eo (inquit)
" dignitatem Pontificatus exoptauit, vt ni-
"hil ambitionis & fraudis prætermiſerit
" quod ad eam conſequendam pertinere
" arbitraretur. Tantæ præterea arrogantiæ
" fuit vt omnes fere contemneret, &c. Scri-
" pſerunt Colūnenſes, poſt illatam ſibi in-
" iuriam, ad reges, ad principes, de arrogan-
" tia Bonifacij, de ambitione, quod contra
" ius faſque Pontificatus ſedem occupaſſet,
" reiecto fraudibus Cœleſtino, eodemque

in carcerem coniecto. Sunt enim qui ſcri- "
bunt Bonifacium immiſiſſe ſubornatores "
clanculum quoſdam qui noctu dimiſſa "
quaſi cælitus voce in cubiculum Cæleſti- "
ni hominis ſimplicis, ei perſuaderent vt "
pontificatum dimitteret ſi ſaluus fieri vel- "
let. Addit Platina eum Brocheto Ge- "
nuenſi Archiepiſcopo ad pedes eius die "
cinerum abiecto, dixiſſe mutata verbo- "
rum forma, *Memento homo quia Gibellinus* "
es, & cum Gibellinis in cinerem reuerteris, "
in eiuſque oculos cinerem coniecit, non "
in caput vt mos eſt. Ibidemque Platina "
refert quomodo Philippus duce Sarra
Colũnenſi milites ſummiſerit & Bonifa-
cium captum ad mortem cõpulerit. De-
nique hunc ſermonem ſic claudit. Mori-
tur hoc modo Bonifacius ille qui Impera- "
toribus, Regibus, Principibus, nationibus "
populis terrorem potius quã religionem "
injicere conabatur: quique dare regna & "
auferre, pellere homines ac reducere, pro "
arbitrio animi conabatur, aurum vndique "
cõquiſitum, plus quam dici poteſt ſitiens. "
His planè conſona referunt Guaguinus
Hiſtoricus & Nicolaus Ægidius, in vita

Philippi Pulchri Regis.

Hic Bonifacius condidit Bullam illam extrauagantem prodigioſam, proteruè ac inſulſè abutentem Sacra ſcriptura, cuius initium eſt, *Vnam Sanctam*, de Maioritate & obedientia. Ibi in ſua poteſtate dicit eſſe duos gladios, ſpiritualem & temporalem, quia dicentibus Apoſtolis *Ecce duos gladios* Chriſtus reſpondit *ſatis eſt*. Et quia Chriſtus dixit Petro *conuerte gladiũ tuum in vaginam*. Eſſe quidem gladium temporalem in manu Regum, ſed quem debent tractare ad nutum ſacerdotum. Oportere enim gladium ſubjici gladio & temporalem authoritatem ſubjici ſpirituali. Et pertinere ad poteſtatem ſpiritualem inſtituere tẽporalem. Idque probat ex Dei verbo ad Ieremiam * *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna*, quaſi Ieremias à Deo fuerit conſtitutus Rex Regum, & Dominus regnorum. Inde colligit poteſtatem ſpiritualem, id eſt Papalem non poſſe ab homine iudicari, teſtante Apoſtolo cum dixit, *Spiritualis homo iudicat omnia, ipſe autem à nemine iudicatur*. Ex his infert hanc concluſionem: *Quicun-*

* Cap. 1.

que huic poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit, niſi duo, ſicut Manichæus, fingat eſſe principia, quod falſum & hæreticum iudicamus, quia teſtante Moſe, non in principiis ſed in principio, cœlum Deus creauit & terram. Porro ſubeſſe Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ, declaramus, dicimus, definimus & pronuntiamus omnino eſſe de neceſſitate ſalutis. Hæc fulguritor: quæ quidem talia ſunt vt ne ab ipſis quidem Papæ mancipijs probari poſſe exiſtimem. Nec poſſunt dici niſi à gladiato, cui tantùm creditur quantum timetur.

Hoc tamen auctore Iubilei ſe iactant Pontificij. Is ad imitationem ludorum ſæcularium quæ centeſimo quoque anno ab Ethnicis Imperatoribus celebrabantur voluit centeſimum annum eſſe annum relaxationis ſpiritualis, & Iubilæũ appellauit, quia ex Lege Moſis annus quinquageſimus erat annus relaxationis ſeruorum Hebræorum. Promulgauitque Bullam *Antiquorum* quæ habetur in Extrauagantibus, Tit. de pœnitentijs & remiſſionibus, in qua cõcedit pleniſſimam remiſſionem omnium peccatorum, omnibus viſitanti-

bus Eccleſiam Sancti Petri in vrbe Roma. Dicitque ſe id habere ex antiquorum fida relatione, quãuis nouum eſſet hoc inſtitutum, nec eius apud antiquos ne minimum quidem inueniatur veſtigium. Voluitque centeſimo quoque anno hunc Iubileum celebrari. Hac arte incredibilem copiam argenti congeſſit.

At Clemens VI. annis quinquaginta Bonifacio poſterior, lucri auidus, nec ſperans ſe poſſe ad centeſimum annum vitam extendere, Iubilæum ad quinquageſimum annum contraxit, hanc cauſam obtendens quod Iubilæus Iudæorum anno quinquageſimo celebrabatur. Cuius exemplum ſecutus Paulus II. Iubilęum ad vigeſimum quintum annum contraxit.

CAP. VI.

Iohannis Huz ſententia de Indulgentijs. Geſta Concilij Conſtantienſis.

DE Papæ Indulgentijs ſententia Iohannis Huz hæc fuit. *Indulgentias Papæ & Epiſcoporum eſſe nullas & irri-*

tas, niſi Deus indulgeat. Tunc tēporis Eccleſia Romana erat triceps, habens tres Papas, lacerantes Eccleſiam Romanam, & capitalibus odijs inter ſe cōmiſſos. Nec quiſquam tunc erat in Gallia, Germania, Italia, Hiſpania, Anglia, &c. qui non eſſet ab aliquo horum Paparum, dira excōmunicatione innodatus; & addictus æternæ dānationi. Iohanni Huz adhærebat Hieronymus Pragenſis, quos Bohemię & Morauię magna pars ſequebantur. Ad componendos hos motus, Sigiſmundo Imperatore inſtigatore, habita eſt Synodus Conſtantienſis, anno Chriſti 1414. Quæ Synodus conuocata ex toto Romano imperio Papali, tantæ fuit authoritatis, vt tres iſtos papas exauctorauerit, & exuerit pontificatu, nempe Gregorium XII. Benedictum XIII. & Iohannem XXIII. qui quidem inter alia crimina damnatus eſt quòd publicè & pertinaciter negaret animæ immortalitatem, vt habetur Seſſione XV. eiuſdem Concilij.

Ad hanc Synodum vocati ſunt ab Imperatore, ſuadente Concilio Iohannes Huz & Hieronymus Pragenſis. Illi verò

moras nectere, & multa cauſari cur inuitationi Concilij & Imperatoris mandato morem gerere non poſſent. Metuebant ne ſi venirent in inimicorum poteſtatem, aliquid grauius de eis ſtatueretur. Huic eorum timori Imperator occurrit, miſſa, ſuadente Concilio, eis ἀδείᾳ quam nos ſaluum conductum appellamus: quo Imperator fidem ſuam eis obſtringebat, ſanctè pollicens ſecuritatem ſi paruerint, & libertatem tuendi ſuam cauſam in Concilio: Quod ſi res non cederet ex Concilij voto, & ipſi in ſententia perſtarent tutum eis in patriam reditum pollicebatur. Illi hoc fulti præſidio, properè paruerunt. Simul ac Conſtantiam appulerunt inſtituta eſt cognitio cauſæ Iohannis Huz: Producti ſunt teſtes, & prolatæ accuſationes, quæ habentur Seſſione XV. Decimum nonum caput accuſationum hoc fuit: Quod Iohannes Huz dixerit: *Indulgentias Papæ & Epiſcoporum non valere niſi Deus indulgeat*: Nemo niſi perditè impius & nequam negabit hos accuſatores dignos fuiſſe igne qui viro ſancto parabatur, quippe qui cenſerent Papam poſſe remittere peccata,

cata, abſque Dei conſenſu, & Deo non approbante: Admiſit tamen Synodus hanc accuſationem, & eam retulit inter crimina ob quæ Chriſti martyr ad ignem dãnatus eſt. Ergo à Concilio traditus eſt brachio ſæculari, vt loquuntur, & remiſſus ad Imperatorem vt contra fidem datam diro cruciatu perimeretur. Hæſitabat Imperator, dicens ſibi nefas eſſe violare fidem datam, & periurio ſaluum conductum vertere in decipulam. Hunc ſcrupulum Synodus vt de animo imperatoris euelleret, condidit Canonem qui habetur Seſſione XIX. Concilij, quo definitur & pronuntiatur Imperatorem non teneri ad ſeruandam fidem hæreticis, *ſi ſuos errores reuocare pertinaciter recuſauerint, etiã ſi de ſaluo conductu confiſi, ad locum iudicij venerint, alias non venturi, nec ſic promittentem, cum fecerit quod in ipſo eſt ex hoc in aliquo remanſiſſe obligatum.*

Becanus Ieſuita quęſtionum Miſcellanearum lib. 3. quęſt. 5. decretum Concilij tuetur hoc modo. *Quando* (inquit) *duo ſunt Principes qui habent diſtincta iudicia & tribunalia quorũ alterum altero maius*

Tt

& ſuperius eſt, tunc inferior Princeps non poteſt impedire ſuperiorem ab executione ſuæ iuriſdictionis: ac proinde ſecuritas quam promittit alicui non extendit ſe ad tribunal ſuperioris Principis, quia ſuperior legibus ac pactis inferioris non ligatur. Becani mens eſt tribunal Concilij ſuperius fuiſſe tribunali Imperatoris, ac proinde potuiſſe ſaluum conductum datum ab Imperatore reſcindere & irritum reddere, & decernere Huzium plectendum ſupplicio capitali. At Ieſuita planè deſipit: Nam non modo falſum eſt, tribunal ſeu iuriſdictionem Concilij fuiſſe ſuperiorem tribunali Imperatoris, ſed etiam certiſſimum eſt Concilium nullam hac in re habuiſſe iuriſdictionem. Agebatur de vita & capite Iohannis Huz & Hieronimi Pragenſis: Talium cauſarum cognitio non pertinet ad Concilium: Epiſcopi ſedentes in Concilio non ſunt idonei iudices cauſarum càpitalium. Nec ſi quem iudicauerint eſſe hæreticum poſſunt damnare ad ignem aut ad ſuſpendium. Non ita ſe geſſit Synodus Nicena aduerſus Arium, nec Epheſina I. aduerſus Neſtorium, nec Calche-

donenſis aduerſus Eutychem. Nec Chriſtus Paſtoribus Eccleſiæ dedit hanc poteſtatem: qui vſque adeo alienus fuit à cauſarum capitalium cognitione, vt nequidem in erciſcunda hæreditate voluerit eſſe arbiter.

Idem Ieſuita dicit, ſic dari ſaluum conductum vt ſemper ſit locus iuſtitiæ. At nulla poteſt eſſe iuſtitia in periurio. Nec dubium eſt quin Sigiſmūdus dederit Huzio & Hieronymo ſecuritatem, conſcio & ſuadente Concilio: Sic venerandi Patres hominibus incautis & nimis credulis ſtruxerunt inſidias. Improbè reſciderunt diploma ſecuritatis cuius ipſi fuerant ſuaſores & conſcij.

Becanus dicit Iohannem Huz aufugiſſe & è fuga retractum: & hanc fuiſſe cauſam damnationis ad ignem. At Synodus ipſa hoc refellit. Nam cauſam damnationis Huzij hanc ſolam ponit nempe pertinaciam in hæreſi. Nec Becanus dicit Hieronymum aufugiſſe qui tamen pari ſupplicio perijt.

Eodem ſpiritu afflata hæc Synodus Seſſione XIII. fatetur Chriſtum dediſſe ſuis

diſcipulis Sacramentum ſub vtraque ſpecie panis & vini, & in Veteri Eccleſia hoc Sacramentum adminiſtratum populo ſub vtraque ſpecie. Hanc tamen Chriſti legem & veteris Eccleſiæ conſuetudinem nefaria Synodus damnat & vetat obſeruari. *Cum* (inquit) *in nonnullis mundi partibus quidam TEMERARIE præſumant populum Chriſtianum debere Sacramentum Euchariſtiæ ſub vtraque panis & vini ſpecie ſuſcipere*, &c. Et paulò poſt, iubet adẽptionem calicis haberi pro lege. Tum addit, *Pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tanquam hæretici arcendi ſunt & grauiter puniendi.* His ſi creditur, parere mandato Chriſti hæreſis eſt digna ſupplicio.

Ex Magno Chronico Belgico & alijs authoribus diſcimus Epiſcopos Galliæ, & aliarum gentium quibus conſtabat Synodus retuliſſe de emendatione Eccleſiæ in capite & membris: & cum tribus Papis abdicatis, ſedes Papalis vacaret, plurimos poſtulaſſe vt reformatio inſtitueretur antequam Papa crearetur, vt liberior eſſet reformatio. Eis tamen reclamantibus, electus eſt Papa Martinus V. quem illico Ce-

ſar Sigiſmundus adorauit: At Martinus metuens ſibi ab hac reformatione capitis Synodum ſoluit, & ſpem Concilij eluſit.

Eadem Synodus Seſſione octaua ſumma mentiendi libidine affingit Wiklefo pridem mortuo dogmata perabſurda, & quæ nulli vnquam venerunt in mentem: *Deum debere obedire diabolo: Plebem poſſe ad ſuum arbitrium, dominos, id eſt Reges delinquentes corrigere. Nullum eſſe Dominum ciuilem, nullum Epiſcopum dum eſt in peccato mortali. Orationem præſciti nulli prodeſſe*: At Magnum Chronicum Belgij, ab hac dogmatum Wiklefi recenſione diſcrepat in multis, peculiariter verò in horrendo illo dogmate de obedientia qua Deus debet obedire diabolo.

Duo tamen ſunt in hoc Concilio quæ ſunt laude digna. Vnum eſt quod pronuntiauit Concilium eſſe ſupra Papam: Et hanc poteſtatem exercuit exauctorando tres Papas inter ſe confligentes, & lacerantes Eccleſiam Romanam, Benedictum XIII. Gregoriũ XII. & Iohannem XXIII. Quem inter alia crimina damnauit & Papatu exuit, quod palam, publicè & perti-

naciter negauiſſet animæ immortalitatem, & docuiſſet nullam eſſe vitam æternam, & animas hominum perinde ac animas brutorum mori & extingui. Quo nomine hic Papa declaratus eſt à Synodo hęreticus, & damnatus. At nunc Pontificij pertendunt Papam non poſſe errare in fide. Hęc habentur Seſſione XI. Concilij.

CAP. VII.

De Indulgentijs quæ dantur mortuis.

ID quoque pertinet ad abuſum clauium, quod Papa poteſtatem remittendi peccata extendit ad mortuos: Nam certis altaribus affixit certum numerum annorum veræ indulgentiæ, addita facultate, liberandi vnam animam flammis purgatorij. Talis indulgentiæ datæ à Pontificibus Nauarrus multa affert exempla Commentario de Indulg. pag. 570.

Gabriel Biel Lectione 57. in Canonem Miſſæ, ſecutus Oſtienſem, cenſuit indulgentias Papæ non prodeſſe mortuis, quia mortui non ſunt de foro Eccleſiæ, nec ſunt

Papæ ſubditi. Addit. *Contra Turcos noſtris diebus & contra Bohemos crux prædicata eſt. Similiter plenæ Indulgentiæ datæ ſunt in reductione Græcorum tempore Concilij Baſilienſis. Item in Iubilæo tẽpore Nicolai Papæ anno Chriſti 1450. Et nullibi appoſitæ ſunt conditiones per quas indulgentia extenderetur ad purgandos in Purgatorio.*

Idem tamen Gabriel à ſe deſciſcens cecinit paulo poſt palinodiam, dicens ſe *hæc ſcripſiſſe antequam vidiſſet declarationem Sixti Papæ quæ definit Indulgentias prodeſſe defunctis per modum ſuffragij. Et multa affert exempla Indulgentiarum datarum mortuis.* Addit ibidem. *Conſuetudo eſt Eccleſiæ dum facit prædicare crucem quod aſſumens crucem habet indulgentias pro duabus vel tribus, aliquando decem animabus tam viuorum quam mortuorum.*

Toletus Inſtructionis Socerdotum l. 6. cap. 26. *Si quis negaret indulgentiam quidpiam prodeſſe exiſtentibus in Purgatorio eſſet hæreticus.* Bellarminus lib. 1. de Indul. cap. 14. *Res eſt certiſſima & apud Catholicos indubitata indulgentiis poſſe iuuari animas quæ in purgatorio pœnas luunt.*

Enimuerò cum Eccleſia Romana, excommunicet mortuos, vt habetur Cauſa 24. Quæſt. 2. cap. *Sanè profertur*, non mirum eſt quod defunctos abſoluat. Taxa Cancellariæ & Pœnitentiariæ Apoſtolicæ fol.41. hæc habet. *Pro mortuo excõmunicato pro quo ſupplicant conſanguinei litera Abſolutionis venit ducatum vnum, carolinos nouem.* Gloſſa capitis *Si quis*, Titulo de hæreticis hæc ait, *Hoc ſpeciale eſt in crimine hæreſis, in criminis deteſtationem, vt poſt mortem poſſit accenſeri excommunicatis.*

Inſignia ſunt Bellarmini verba lib.1.de Indulgentijs cap.6.§.1. *Pontifex in pœnam Purgatorij, immo etiam in pœnam æternam gehennæ poteſtatem habet.* Mox tamen quaſi ex infirmitate frontis & vt duriuſculam ſententiam molliat, addit Papam non habere poteſtatem in purgatorium, ſed tántum in homines qui ſunt in Purgatorio qui ſunt rei pœnæ. Sic illudit lectori: agyrtam diceres qui oſtendit quæ retrahit, & retrahit vt oſtendat. Nam habere poteſtatem in homines purgatorij, quid aliud eſt quam habere poteſtatem in purgatorium? Habere poteſtatem in populos

Galliæ quid aliud eſt quam habere poteſtatem in Galliam?

Porrò in mortis articulo, ſacerdos, aut etiam laicus, fretus bulla Papali, indulgens & remittens peccata morienti, debet vti hac verborum formula. Authoritate ſedis Apoſtolicæ, mihi pro nunc miſſa, concedo tibi plenariam remiſſionem peccatorum tuorum de quibus in corde contritus es, & ore confeſſus: exceptis ijs quæ in confidentia huius indulti commiſiſti. Aut ſic breuius, Concedo tibi indulgentiam hac bulla contentam. Nauarr. de Indulg. pag. 582.

CAP. VIII.

Quo pacto Papa det Indulgentiam mortuis & morientibus.

NAuarri hæc ſunt lib. de Indul. p. 557. Die ſancto Paſchæ, facta benedictione à Papa ſuper platea S. Petri duo Cardinales pronuntiant indulgentiam plenariam omnibus præſentibus, teſtante Thoma de Vio Cardinali, Quod & nos

" factum ſub felicis record. Pio V. & à San-
" ctiſſimo Domino noſtro Gregorio XIII.
Sic ſpargitur remiſſio peccatorum in turbam iactu fortuito. Addit Nauarrus. Vi-
" dimus & globulos ligneos à ſummis Pon-
" tificibus ita benedictos vt qui aliquem
" eorum manu tenens, orationem Domini-
" cam pro anima quadam Purgatorij dice-
" ret eam ab eo liberaret. Sic Deo ingenioſe colluditur, & credendum animas purgatorij hac globulorum tractatione non mediocriter recreari: Hi globuli ſunt imitatio miſſilium quæ ab Imperatoribus Ethnicis ſpargebantur in populum: quorum meminit Suetonius in Caligula & Nerone, erant autem globuli quibus aliquod donum, ſeu erogatio Imperatoris erat inſcripta. Id vero perabſurdum quod iſtis globulis liberantibus animas Purgatorij, adiungitur oratio Dominica: in qua non oratu pro mortuis. Non enim mortuis petimus panem quotidianum, nec ne à diabolo inducantur in tētationem. Diaboli enim non ingrediũtur purgatorium. Peccata vero dicuntur eis iam eſſe remiſſa & culpæ deletę antequam mittantur in

Purgatorium. Cum autem fingantur tres ſpecies ſeu gradus indulgentiæ, plena, plenior & pleniſſima, aduerſarij cenſent plena remiſſione non tolli omnem pœnam purgatorij, ſed tantùm pleniſſima: vt ait Nauar. pag. 574. & ad pondus addit, *quod maxime memorabile eſt.*

Ibidem addit pro puero recens baptizato mortuo fieri ſuffragia. Vir pręſtans non inueniens quid proſint his pueris hęc ſuffragia, dicit hæc ſuffragia fieri ad actionem gratiarum. At cum ſuffragijs ſemper aliquid petatur, nec poſſit vocari ſuffragator qui nihil petit, actiones gratiarum nihil petentes non poſſunt vocari ſuffragia. Et cum miſſæ pro his pueris cantatę nihil proſint his pueris, vtpote qui ſunt compotes gloriæ, iniuſtè pro his Miſſis ſoluitur merces ſacerdotibus.

Idem author pag. 582. ibidem monet non eſſe neceſſe cõcedentem hanc remiſſionem eſſe Sacerdotem. Idque confirmat teſtimonio Thomæ, & Iohannis Andreæ, & Panormitani. Tum addit. Si " clericus haberi non poſſet, ſufficeret laicus: " quia in eo caſu laicus ſatis idoneus Con- "

" feſſarius videtur, quia Abſolutio hæc non
" eſt Sacramentalis. Datur enim ex Papæ liberalitate dante per bullam plumbo ſigillatam peculiarem Indulgentiam.

Addit Nauarrus per eiuſmodi Indulgentiam abſolui poſſe lethargicum, phreneticum, amentem, in articulo mortis, ſi ante phreneſim declarauit ſe velle abſolui.

Addit pag. 583. Multi (inquit) haben-
"tes arcas, plenas Bullis Apoſtolicis, qua-
"rum ſingulis, eis plenaria indulgentia con-
"ceditur, qui ſine vllius indulgētiæ acqui-
"ſitione decedunt. Dicit autem innumeros in regno Caſtellæ habere plurimas tales bullas, & ſuadet vt æger in morte vtatur ea quam nouiſſimam adeptus eſt.

Idem p. 573. de homine iamiam moritu-
" ro hęc ait. Abſolutio plenaria per bullas ad
" id idoneas, plenariam in illo mortis arti-
" culo indulgentiam conſequitur, ſecun-
" dum omnium opiniones.

CAP. IX.

De Indulgentijs per modum ſuffragij.

PLerique vt aſperitatem huius doctrinæ verbis lenioribus mitigent, dicunt Papam dare indulgentias mortuis, non authoritate iuriſdictionis, ſed per modum ſuffragij, Id eſt Papam non iubere nec decernere vt animæ iſtæ ex purgatorio tranſferantur in paradiſum, ſed pro eis intercedere offerendo Deo ſatisfactiones ſupererogatorias Sanctorum, & rogando vt Deus hanc ſolutionem pro animabus quę torrentur admittat.

Veruntamen cenſent omnes vnanimiter has animas Papæ interceſſione & ſuffragio certiſſimè & abſque dubitatione liberari. Nauar. lib. de Iobel. pag. 571. Indulgentia (inquit) conceſſa per modum " ſuffragij tam grandis eſt ac conceſſa dire- " ctè per modum authoritatis. Concinit " Tolet. l. VI. de Inſtruct. Sacerd. c. 26. §. 3. Non exiſtimes indulgentias eſſe incertas " mortuis. Semper enim Deus eas aceptat. "

An enim Deus rem tantillam recuſaret ſuo Vicario ſolutionem offerenti ex ſuo theſauro? Nihil autem intereſt ſub quo titulo hæ animæ liberentur, ſi quocunque modo id fiat, neceſſario liberantur.

Hac in re aduerſarij à ſe orſa detexunt, & ſemet cōtradictionibus implicant, Bellarminus l. 1. de Indulg. cap. 5. indulgentiam ſic definit, *Indulgentia propriè eſt abſolutio iudiciaria annexam habens ſolutionem ex theſauro.* Si igitur indulgentiæ quæ dantur mortuis non ſunt abſolutio iudiciaria, non ſunt indulgentiæ.

Ipſa vox Indulgentiæ hoc effugium diluit. Indulgere enim eſt actio iudicis, non vero ſupplicantis, & offerentis ſolutionem. Qui orat pro aliquo nihil ei indulget. Indulgentia eſt actio clementiæ & relaxatio ſeu remiſſio quæ fit ab eo qui habet poteſtatem. Nemo remittit peccata precando. Petere vt remittantur peccata non eſt remittere peccata. At Papæ in Bullis Iubilæi dicunt ſe has indulgentias promulgare quia acceperunt à Deo pleniſſimam poteſtatem remittendi peccata.

In libro Indulgentiarum quas Papa Sixtus V. largitus eſt funiculo S. Franciſci, inuenio hæc verba §. 19. *Sixtus IV. Decreuit & conſtituit.* Quę verba non ſunt ſuffragatoris, ſed imperantis & decernentis. Hic liber eſt excuſus Lutetiæ à Iohanne le Bouc ad montem S. Hilarij ad inſigne Diligentiæ anno 1597.

Cum vero dicunt Papam offerre Deo ſolutionem pro animabus purgatorii, hoc dicto ipſi ſe iugulant. Nam qui dicit Deo, *obſecro te vt accipias ſolutionem quam tibi offero*, non indulget, nec remittit peccata. Immo nec poteſt eſſe certus an Deus hanc ſolutionem admittat: vtpote quam Deus non exigit, & quam Apoſtoli non indulſerunt, nec vetus Eccleſia vnquam obtulit: Immo quæ iniqua eſt & perabſurda: An enim æquum eſt vt ieiunium Titij viui ſatisfaciat pro ebrietate Mæuij mortui: & S. Benedicti nudi volutatio in ſpineto, ſit ſatisfactio pro alienis peccatis? Sic enim fit quod ait Nauarrus. *De alieno corio corrigiæ longæ.*

Sanè cum Papa affigit quibuſdam altaribus indulgentias aliquot millium anno-

rum, cum aliquot quadragenis, & tertia parte peccatorum, & liberatione vnius animæ ex purgatorio, non affigit his altaribus ſuas preces, nec ſua ſuffragia, ſunt enim accurata declaratio voluntatis Papæ, admetientis ſua dona hîc parcius illic liberalius.

Nec bullæ Papales munitæ ſigillo plumbeo quibus largitur indulgentiam viuo vel mortuo poſſunt ſuffragia aut interceſſiones appellari: Diplomati regio quo, Rex aliquid mandat aut largitur apponitur ſigillum, indicium regiæ voluntatis, & vt regis mandato aut largitioni creetur fides & authoritas. An hęc regia diplomata ita ſigillata vocabuntur ſuffragia? Cum autem regium ſigillum imprimatur ceræ molli, Papa ſigillum ſuum voluit imprimi plumbo, ad deſignandum ſuas bullas eſſe regalibus diplomatis longè firmiores, quæ ſanè meritò Bullæ appellantur, ſolo enim halitu difflantur. Habet autem Papa officiales qui fratres plumbatores vocantur: Quos Petrus & Apoſtoli non habuerunt: quibus defuit prudentia, potuiſſent enim plumbeo ſigillo appoſito ſuis

Epiſto-

Epiſtolis, firmare earum authoritatem.

Sed nec ſatis conſideratè loquuntur aduerſarij dicentes, Papam ſuas indulgentias ſumere & depromere ex theſauro Eccleſiæ Romanæ. Nam Papæ preces & ſuffragia non ſunt incluſa theſauro.

Cum autem Papa altari priuilegiato affigit indulgentiam aliquot annorum & dierum in gratiam viuorum, & eidem induglentiæ addit liberationem vnius animæ ex purgatorio, quis non videt mentem Papæ eſſe, quemadmodum dat viuis indulgentiam poteſtate iudiciaria, dari quoque Indulgentiam mortuo eadem poteſtate? An conſentaneum eſt vnius eiuſque Indulgentiæ partem dari poteſtate iudiciaria, alteram verò partem dari per modum ſuffragij?

Tum ſi indulgentiæ iuuant mortuum tantùm per modum ſuffragij, iniuſtè fecit Papa & inhumaniter, adimens alijs Epiſcopis facultatem dandi indulgentias mortuis per modum ſuffragij. Nam cur non poſſent vtiliter mortuis ſuffragari?

Quid quod Nauarrus lib. de Indulgentijs pag. 572. dat exempla mortuorum;

quos Papa non per modum ſuffragij ſed directè abſoluit? Dicit enim Papam cuidam Magiſtro Pariſienſi mortuo dediſſe indulgentiam per quam directè abſolutus eſt. Tum addit, *Arbitror hanc indulgentiam valuiſſe ſi in ſtatu gratiæ obijt. Tum quod audio alios quoque Papas ſimilia effeciſſe erga quoſdam, qui de ſede Apoſtolica bene meriti mortem obierant, & iuſtum eſt vt Romani Pontificis acta, quoad fieri poterit defendamus.* Hæc ille.

Denique ſupra cap. 8. citauimus Bellarminum dicentem, Papam habere poteſtatem in animas Purgatorij.

CAPVT X.

Papam non poſſe dare Indulgentias mortuis: nec eas transferre ex Purgatorio in Paradiſum.

HOc impurum dogma planè deſtitum eſt exemplis & teſtimonijs ſacræ ſcripturæ. Pontifices Veteris Teſtamenti nullas dabant Indulgentias mortuis, immo nec viuis. Si creditur aduerſarijs miſeranda tunc erat côditio animarum Pur-

gatorij, quippe quæ nullis Pontificum indulgentijs ſubleuabantur. At nunc mitius cum eis agitur, Papa ſic ſtatuente: eſt enim erga mortuos miſericors.

Nec Apoſtoli vnquam vſi ſunt hac poteſtate. Nec in tota antiquitate Eccleſiæ Chriſtianæ vllum inuenitur huius impuriſſimæ doctrinæ veſtigium. Nec veteres Epiſcopi Romani ſibi arrogabant poteſtatem dandi indulgentias mortuis.

Chriſtus Matth. 18. dixit Apoſtolis, *Quicquid ſolueritis in terris erit ſolutum in cælis. In terris* dixit, non verò *ſub terris* & in flammis Purgatorij. Loquitur de ſolutione viuorum non de ſolutione mortuorum. Nam mortui non ſunt de grege Papæ, nec ei cura mortuorum eſt demandata. Quid non audebit in viuos qui poteſtatem ſibi arrogat in mortuos?

Ambroſius lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. dicit parem eſſe poteſtatem ligandi & ſoluendi. Non poteſt igitur Papa ſoluere eos quos non ligauit, nec poteſt ligare. Injuſtè ergo vſurpat poteſtatem ſoluendi animas quas ligare non poteſt. Non enim detruſæ ſunt in Purgatorium Papæ man-

dato. Cauſa cur Papa, omiſſa poteſtate ligandi, ſibi reſeruauerit poteſtatem ſoluendi mortuos eſt in promptu. Nempe id fit quia ſolutio eſt compendioſa & magno pretio redimitur. At nemo vellet impendere nummos, vt in carcerem ardentem & diuturnum cõpingatur. Ipſa mors auaro Præſuli vectigalis eſt. Homo peccator ſoluit expertes peccati, & qui à Chriſto ſoluti ſunt.

Leo I. Epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, de cõmunione priuatis, & ita defunctis, dicit eorum cauſam iudicio Dei relinquendam. Et citatur hęc eius ſententia à Gratiano Cauſa 24. quęſt. 2. Cap. de Communione.

Capitis vero ſequentis Titulus hic eſt. *Eccleſia poteſt viuentes ligare vel ſoluere, non mortuos.* Idque probat teſtimonio Gelaſij Epiſcopi Romani, in Commonitorio ad Fauſtum Manichęum, vbi hęc habet, *Quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlo. Super terram inquit: nam in ligatione defunctum nunquam dicit eſſe abſoluendum.*

Operibus Iohannis Gerſonis inſerta

ſunt opuſcula Iacobi Almain plena bonæ frugis. Scripſit autem circa annum Chriſti 1412. Primus Tractatus eſt de dominio naturali, ciuili & Eccleſiaſtico. Pag. 644. hæc habet. Non videtur mihi hęc poteſtas ligandi & ſoluendi ad eos qui ſunt in purgatorio extendenda: cum vbicunque in Euangelio fuerunt promiſſa aut collata dictum ſit, Quodcunque ligaueritis ſuper terram, &c. Nunquam de ijs qui deceſſerunt facta eſt mentio. Et ex hoc ſequitur quod non poſſunt animæ exiſtentes in purgatorio ſolui per indulgētiarum largitionem, ſed bene per ſuffragia.

Hanc quęſtionem prolixè tractat Nauarrus Côment. de Indul. & Iobel. vbi inter alia hęc habet. Conuenire debet inter omnes mea ſententia, quod inferior papa non poteſt Indulgentiam extendere ad mortuos purgatorij. Tum quod nunquam videtur id hactenus factum. Tum quod non parum dubitatum extitit an papa id efficere poſſit, iuxta latiſſimè congeſta per Felinum. Tum quod hoc ſentit Innocentius IV.

Hic quidem Innocentius fuit acerrimus

aſſertor papalis imperij temporalis & ſpiritualis, Imperatores & Reges deturbans ſolio, & fulmine amburens: Non tamen auſus eſt ſibi arrogare poteſtatem in mortuos.

Cum autem poteſtas ligandi & ſoluendi æqualiter data ſit omnibus Apoſtolis, & ipſi Theologi Rom. id ſentiant, vt probauimus, ſi hęc poteſtas extenditur ad mortuos, Papa iniuſtè facit qui alijs Epiſcopis, Apoſtolorum (vt cenſent) ſucceſſoribus hanc poteſtatem ademerit.

Mihi verò parum aſtuti videntur & naris obeſæ, pecunięque ſuæ prodigi, qui pro animabus parentum & agnatorum emunt magno pretio Miſſas & ſuffragia anniuerſaria, & legant monachis certam pecuniæ ſummam vt pro ſuis animabus canantur quadringentæ aut quingentę Miſſæ, cum pręſto ſit via longè compendioſior. Poterat enim hæc animula minori ſumptu illico extrahi purgatorio, cantu vnius Miſſæ ad aliquod altare priuilegiatum, cui Papa largitus eſt liberationem vnius animulæ, ex voto & ad eius intentionem qui Miſſam iſtam cani cura-

uerit. Eſt ſanè iſtorum hominum crudelis deuotio, & erga agnatos inofficioſa pietas extendens in multos annos cruciatum animarum quas potuiſſent momento liberare, & exiguo ſumptu, & ſine liberorum & hęredum diſpendio.

Porrò in dandis Indulgentijs Papam errare poſſe dicit Nauarrus lib. de Indul. p. 580. Vbi ait Sixtum IV. Papam omnium iudicio fuiſſe nimis prodigum, in dandis Indulgentijs. Quod ſi Papa leui de cauſa aut etiam iniuſta det largas indulgentias, has tamen indulgentias eſſe ratas cenſent Theologi Romanenſes & non carere effectu, Deo conniuente, & ſe attemperante ad ſui Vicarij iniuſtitiam. An autem Papa det indulgentias iuſta de cauſa ipſe Papa iudex eſt.

Quod ſi Chriſtus intercedit pro animabus Purgatorij non poteſt eius interceſſio Papæ indulgentijs aut ſuffragijs adiuuari. Impium eſt arbitrari animas purgatorij, ad interceſſionem Chriſti non liberari, at ad Papæ indulgentias liberari.

Tum ſi Papa habet in theſauro cuius eſt promus condus, vnde ſoluat pro cruciatu

omnium animarum quæ ſunt in Purgatorio; cur tam parcè hanc ſolutionem erogat? Cur non exhaurit totum Purgatorium, tactus erga miſeras filiorum ſuorum animas paterno affectu & miſericordia? Hæc fuit ſententia Iohannis Angeli teſte Nauarro lib. de Indulg. pag. 570. *Animas in Purgatorio exiſtentes eſſe de iuriſdictione Papæ, & ſi ille velit poſſet totum purgatorium euacuare.* Quam ſententiam Nauarrus dicit Sorbonam improbauiſſe.

Id verò inhumanum eſt & inclemens, quod Papa affigit huic altari facultatem liberandi vnam animam purgatorio: nam cur non dedit facultatem liberandi decem aut viginti animas? Id pertinebat ad Papæ benignitatem & clementiam.

Nauarrus Conſiliorum lib 5. Conſil.17. p. 240. dicit Leonem X. viſitantibus Eccleſiam Treuirenſem, & peccata confitentibus conceſſiſſe vt ab omnibus peccatis, etiam reſeruatis abſolui poſſent. Mirifica ſane hęc eſt Indulgentia. At cur eandem gratiam non conceſſit Eccleſiæ Lugdunenſi aut Rotomagenſi? Ibidem

citat Viguerium dicentem Papam à principio ſuæ creationis reuocare indulgentias à deceſſoribus cōceſſas, coarctat enim ex arbitrio ſpiritualem. deceſſorum ſuorum beneficientiam. At Nauarrus addit Papam etſi id non facit, poſſe tamen id facere, & ponit quaſdam clauſulas derogatorias derogatoriarum.

Conſilio verò XVIII. quærit an aliquis Præſul inferior Papa poſſit iuſtè concedere gratias ſiue bullas per quas faciat facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis eos qui dederint ſingulos Iulios nummos in aliquod opus pium impendendos. Et id quidem videri licere ait, quia Papa id facit, quem debemus imitari. Scriptum enim eſſe. Eſtote perfecti ſicut pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Et imitatores Dei eſtote ſicut filij cariſſimi. Et, A boue maiori diſcit arare minor.

Mox tamen dicit hanc poteſtatem ad ſolum Papam pertinere. Sic autem loquitur. Sancta ſedes Apoſtolica id conſueuit facere, concedendo Bullas cruciatę ac alias ſimiles quibus SOLET facere

"huiuſmodi facultatem erogantibus ad
"opus pium certam pecuniæ ſummam.
"Tum quia Papa non puri hominis ſed veri
"Dei vicem gerit in terris, vt eſt in cap.
"*Quantò*, adeo quod gloſſa eius ait. *Nemo*
"*poteſt ei dicere cur ita facis?* Addit Nauarrus vir tantus, *Licet Papa non poſſit iuſtè committere ſimoniam, iure naturali & diuino vetitam, poteſt tamen cõmittere iuſtè ſimoniam iure tantùm humano indictam.* Cenſet enim Nauarrus ius humanum, Papæ fructuoſum, derogare iuri diuino.

Agè verò: Sit aliquis qui cõmeruerit vri in Purgatorio tantùm per mille annos; eius verò hæredes ei impetrauerint decem millia annorum veræ indulgentiæ: quęritur quid fiet iſtis nouem mille annis ſuperabundantibus? An Papa ſuperuacuas iſtas indulgentias ad ſe retrahet, & rurſus recondet in theſaurum in alium vſum conuertendas? Hęc quidem quæſtio ardua eſt & non enodis, & digna quæ ſoluatur à Magiſtris noſtris impranſis.

Obſerua autem Bullas peculiares per quas aliqua anima liberatur purgatorio, non dari pauperibus. Et Hiſpanos locu-

pletes habere arcas plenas his bullis, charè emptis.

Hęc quidem omnia pios horrore percellunt. Merito ambigas magiſne debeamus mirari, nequitiam, & artes fraudulentas hominum qui iſta commenti ſunt, an populorum fatalem ſtuporem, an Dei patientiam.

CAP. XI.

Fons totius erroris indicatur.

AD tam enormis & illimitatæ poteſtatis apicem Papa non potuiſſet aſcendere ſtante authoritate ſacræ Scripturæ, quæ ſola VERBVM DEI poteſt appellari. Quapropter Papa ſacra hæc oracula ademit Eccleſiæ cui imperat, ne pontificali Monarchiæ officerent, & ſedulò cauit ne linguis vernaculis verterentur. Quam ei ſit aduerſa ſcriptura expertus eſt. Nam ſimul ac apparuit, & à nobis ex tenebris protracta eſt in lucem, multis in locis Monarchia Papalis concidit, aut eſt valde labefactata. Hanc plagam vt ſanet, per

ſuos emiſſarios Scripturam ſacram infamia. Hi ſacram Scripturam dicunt eſſe regulam imperfectam, mancam, mutam, obſcuram, ancipitem, Theramenis cothurnum, *lapidem offenſionis, vaginam † quę perinde recipit gladium plumbeum & ligneum ac chalybeum, viam " ad omnem hęreſim, * naſum cereum. Quapropter negant oportere referri de capitibus fidei, ad ſacram Scripturam: non enim eſſe iudicem, ſed ſummam iudicandi de fide poteſtatem pertinere ad Pontificem Romanum qui errare non poteſt. Et Eccleſiæ Romanæ id eſt Papæ maiorem eſſe authoritatem quàm Scripturæ, id eſt quam Dei loquentis per Apoſtolos & Prophetas. Immò & pertendunt ſacram Scripturam nihil habere authoritatis niſi quantùm accipit ab Eccleſia Romana. Ipſe † Papa hoc detonat oraculum, *Secundum plenitudinem poteſtatis de iure poſſumus ſupra ius diſpenſare.* Addunt Gloſſatores. *Nam contra Apoſtolum diſpenſat. Item contra Vetus Teſtamentum.* Ac nequis putet libros Euan-

* Gregor. de Valent. l. 4. Anabyſ. c. 2. † Coſter. Enchir. c. 2. " Regoux. * Pamelius Notis in 39. cap. Tert. de Præſcript. † Innoc. III. De Conceſſ. Præbend. Tit 8. c. Propoſuit.

geliorum excipi, Gloſſa cap. *Sunt quidam.* Cauſa 25. quęſt. 1. ſic annotat, *Papa diſpenſat in Euangelio interpretando ipſum.* Et ſumma contentione Pōtificij defendunt. Papam poſſe refigere Dei mandata, & de eis diſpenſare, & Symbolum conficere.

Nam quid nō audeat qui patitur* ſe Deū appellari, & Maieſtatem diuinā, habētem omnem poteſtatem in cœlo & in terra. Et ſponſum Eccleſiæ vniuerſalis? qui adoratur, & Reges abiecit ad pedes, porrigens eis pedem oſculandum.* Et qui quos vult refert in numerum ſanctorum : & diſpenſat in iuramentis permittens periuria?

Vazquez in Indice Tomi III. in verbo Eccleſ. Num. 65. *Eccleſia & ſummus Pontifex poſſunt præceptum Apoſtolorum iuſtis de cauſis abrogare.*

Eman. Sa Aphoriſ. Verbo *Papa. Papa poteſt eſſe iudex in propria cauſa.*

Gabriel Biel Lect. 22. in Canonem Miſſæ. *Eccleſia eſt maioris authoritatis quam Euangelium.*

Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontif. c. 9. §. *Ac ne forte. Eccleſia ſecluſo etiam Chriſto vnum caput habere debet.*

* His titulis referta eſt Synodus Lateranenſis ſub Leone X.

Salmeron Ieſuita Prolegom. p.6. *Eccleſia authoritas antiquior eſt & dignior authoritate Scripturæ.* Per Eccleſiam autem intelligitur Romana: & per Eccleſiam Romanam Pontifex. De quo Ieſuita Gregorius de Valentia ſeptimo libro Analyſeos ſic loquitur. *Pontifex Romanus ipſe eſt in quo auctoritas illa reſidet quæ in Eccleſia extat ad iudicandum de omnibus omnino fidei controuerſiis.* Sexcenta eiuſmodi poſſemus afferre.

Hæc eſt malorum lerna. Inde fluxit tota labes & corruptela Eccleſiæ Romanæ.

CAP. XII.

Totam religionem Romanam niti falſo & fluxo Fundamento, fatentibus aduerſariis.

AD euertendam totam religionem Romanam viam indicabo cõpendioſiſſimam & certiſſimam. Eccleſia Romana ſe iactat infallibilitate in fide, & dicit ſe nulli errori in fide eſſe obnoxiam. In controuerſia qua quæritur an Eccleſia Romana errare poſſit ipſa Eccleſia Roma-

na dicit ſe eſſe iudicem. Iudicat autem in rem ſuam & pronuntiat ſe errare non poſſe. Iudex eſt ſuæ ipſius puritatis & perfectionis. Ipſe Papa pronuntiat ſe errare non poſſe. Hic rogamus vnde Papæ & Eccleſiæ Romanæ tanta perfectio & authoritas infallibilis? Reſpondetur quia Papa eſt ſucceſſor Petri, qui errare non potuit, & cui dixit Chriſtus rogaui ne deficeret fides tua. Ergo religio Romana tota fundata eſt in hoc dogmate, Epiſcopum Romanum eſſe Petri ſucceſſorem in Apoſtolatu & Primatu, & in perfectione illa qua Papa dicit ſe errare non poſſe.

Miſſa interpretatione verborum Chriſti, in quibus *Fides* non ſignificat doctrinam, ſed fiduciam & cōſtantiam in tentatione: petimus ab aduerſarijs an ſucceſſio illa Epiſcopi Romani poſſit probari aliquo diuino teſtimonio: & vnde habeant certitudinem iſtius ſucceſſionis. Bellarminus l. 2. de ſummo Pont. cap. 12. verſat hanc quęſtionem, ſed nullum affert teſtimonium diuinum, nec in re tanta vllam declarationem voluntatis diuinæ, ſed dicit. ***Non eſt improbabile Dominum***

apertè iuſſiſſe vt ſidem ſuam Petrus ita figeret Romæ vt Romanus Epiſcopus abſolutè ei ſuccederet. Tantus Cardinalis Ieſuita, ſcribens Romæ, nititur ſola probabilitate: & in re ex qua hodie tota religio ſuſpenditur vtitur coniecturis, nullo fultis diuino teſtimonio. Quid quod diſertè confitetur hãc ſucceſſionem non eſſe de iure diuino, innuens eam eſſe tantùm iuris humani? *Obſeruandum eſt* (inquit) *licet forte non ſit de iure diuino Romanũ Pontificem, vt Romanum Pontificem, Petro ſuccedere, tamen id ad fidem Catholicam pertinere.* Agnoſcit fidem Catholicam in re quæ eſt præcipuum caput & fundamentum religionis Romanæ non eſſe de iure diuino.

Quomodo autem ſucceſſio illa Papæ Romani ſit de fide exponit hoc ſimili, *Non fuit* (inquit) *de iure diuino vt Paulus haberet penulam, eſt tamen id ipſum de fide Paulum habuiſſe penulam.* Vult Bellarminus ſucceſſionem Papæ Romani in munus Petri eodem modo eſſe de fide Chriſtiana, quo eſt de fide Paulum habuiſſe penulam: quæ penula cum non pertineat ad religionem Chriſtianam, inde ſequitur ſucceſſio-

ſucceſſionem Papæ in Petri locum, non eſſe caput nec dogma fidei Chriſtianæ, quod tamen dogma hodie ponitur vt fundamentum totius religionis Chriſtianæ. Veruntamen in hoc ſimili penulæ magna eſt diſſimilitudo & inæqualitas. Nam Paulum habuiſſe penulam diſcimus ex ipſius Pauli teſtimonio. At de ſucceſſione Epiſcopi Romani in Primatum & infallibilitatem Petri in fide nullum habemus in Scripturis teſtimonium.

Addit Bellarminus, *Romanum Pontificem ſuccedere Petro non habetur expreſſè in Scripturis.* Idem fatetur Becanus Ieſuita Apologiæ pro Iudice cõtrouerſiarum Tomo IV. p. 197. Petit Gardius exhiberi ſuper ſucceſſione iſta Papæ aliquod Chriſti aut Apoſtolorum teſtimonium. Reſpondet Becanus, *Si quæris quo verbo aut ſigno id teſtati ſint, non opus eſt exhibere.* Et confugit ad traditionem acceptam à maioribus. *Ex traditione* (inquit) *habemus hæc duo, Petrum fuiſſe Vicarium Chriſti, caput Paſtorem & Rectorem totius Eccleſiæ. Et Pontificem Romanum CVM PARI POTESTATE Petro ſucceſſiſſe.* Hic ergo pe-

dem figamus: habemus enim reos cõfitentes ſucceſſionem Papæ in Petri Apoſtolatu nullo niti diuino teſtimonio. Nec vlla poteſt afferri idonea ratio cur Iohannes, Iacobus, Paulus nullum habuerint ſucceſſorem in Apoſtolatu, Petrus verò ſolus habuerit. Debuerat ſanè Petrus ante mortem deſignare iſtum ſucceſſorem. Scripſit ſecundam Epiſtolam paucis diebus ante mortem & penè in ipſo vitæ mortiſque confinio. Nam cap. 1. ℣. 14. hęc ait, *Scio breui futurum vt deponam hoc tabernaculum meum.* Hic quidem locus erat dicendi Chriſtianis ad quos ſcribit, Morior, ſed vobis relinquo ſucceſſorem mei Apoſtolatus Epiſcopum Romanum, qui errare non poterit. An Iohannes XXIII. docens palam & pertinaciter (vt habetur in Concilio Conſtantienſi) animas eſſe mortales, & nullum eſſe paradiſum & infernum fuit ſucceſſor Petri in authoritate & infallibilitate in fidei capitibus? Multi quidem Veteres Epiſcopum Romanum faciũt ſucceſſorẽ in Epiſcopatu vrbis Romæ, at non in Apoſtolatu. Tota vetus hiſtoria Eccleſiaſtica reclamat, & quæcunque afferuntur

ab aduerſarijs, aut non ſunt ad rem, aut ſunt falſa, aut obtorta.

CAP. XIII.

Papam ſuperare Petrum poteſtate.

HIc vero fas mihi ſit tueri dignitatem Pontificis Romani, quam Becanus Ieſuita deprimit & inſigni afficit contumelia, dicens cum alijs Papæ adulatoribus Papam ſucceſſiſſe Petro CVM PARI POTESTATE. Enimuerò, vt nunc ſunt tempora, certum eſt Petrum à Papa longo interuallo ſuperari. Petrus enim non extraxit animas flammis Purgatorij. Nullum habuit theſaurum Indulgentiarum. Nunquam diſpenſauit in votis & iuramentis, nec permiſit periuria. Nec exauctorauit Reges & Imperatores, fuit enim ſubiectus Imperatoribus. Nec decreto Pontificali quenquam retulit in numerum Sanctorum. Nec cuiquam pœnitenti vnquam dixit, *Abſoluo te à tuis peccatis*. Nec paſſus eſt ſe adorari, & Deum appellari. Nec præbuit pedes oſculandos

regibus. Nec triplicem inſulam gēmatam capiti impoſuit. Nec ab alijs Apoſtolis & Epiſcopis exegit iuramentum fidelitatis & obedientiæ.

Verum quidem eſt Papam non poſſe ſcribere epiſtolas Canonicas, quæ ſint pars ſacræ Scripturæ. Nec Papa prædicat Euangelium vt fecit Petrus. Nam hæc conſuetudo iam ab aliquot ſæculis exoleuit, vt res indigna Pōtificali faſtigio: Sordet Papis prædicatio Euangelij. Eſt enim Papa intentus rebus longè ſplendidioribus, quæ pertinent ad Monarchiæ terrenæ incrementa. Claues Petri adhibentur ad ſcrutādas arcas: & Petri retia ad illaqueandos populos. Cimba Petri piſcatoria excreuit in nauem mercatoriam oncrariam, maiorem thalamego Nilotico.

CAP. XIV.

Tertia Sancti Petri epiſtola, cælitus miſſa.

QVantam curam S. Petrus gerat ſuorum ſucceſſorum Baronius Annalibus, anno Chriſti 755. inſigni exemplo demonſtrat: Ibi habet epiſtolam Beati Pe-

tri ad Regem Francorum Pipinum, & Carolum, & Carlomannum, ſcriptam à Petro ſeptingentis annis poſt mortem: quæ ſic incipit, *Petrus vocatus Apoſtolus à Ieſu Chriſto*, &c. *Vobis viris excellentiſſimis Pipino, Carolo & Carlomanno*, &c. Piè enim præſumitur in cœlo eſſe cartam & atramentum. In hac cæleſti Epiſtola Petrus hortatur Pipinum & Francorum principes ad opem ferendam Stephano ſuo ſucceſſori, & Romanæ vrbi quæ à Longobardis premebatur, in qua ſua oſſa requieſcunt. Et ſe iactat eſſe illuminatorem totius mundi. Ideoque (inquit) ego Apoſtolus Dei Petrus qui vos adoptiuos habeo filios, ad defendendam de manibus aduerſariorum hãc Romanam ciuitatem, & populum mihi à Deo cõmiſſum, & domum in qua ſecundum carnem requieſco, adhortor, &c. Pro certo confidite memet ipſum tanquam in carne vobis viuum aſſiſtere & per hanc adhortationem validis conſtringere atque obligare adiurationibus. Quia ſecundum promiſſionem quam ab eodem Domino Deo & Redemptore noſtro accepimus, peculiaris inter omnes

" gentes vos omnes Francorum populos ha-
" bemus, &c. quia etſi carnaliter deſum, ſpi-
" ritualiter autem à vobis non abſum: Quo-
" niam ſcriptum eſt. Qui ſuſcipit Prophetam
" in nomine Prophetæ mercedem accipiet
" Prophetæ. Huic ſuæ adhortationi Petrus adiungit Mariam virginem, & thronos & dominationes, & totã cęleſtem militiam: quam ait ſuas exhortationes & iuſſa ſuis adiungere. Pollicetur autem Francorum, regibus ſuum patrocinium die iudicij Dei, & dicit ſe in regno Dei lucidiſſima & præclara eis prępàrare tabernacula & infinita paradiſi gaudia. Tum addit, *Currite & ſubuenite antequam fons viuus areſcat*, &c.
" *Ne patiamini perire hanc ciuitatem Romanã*
" *in qua corpus meũ conſtituit Dominus, quam*
" *& mihi cõmendauit, & fundamentum fidei*
" *conſtituit, &c. Quicquid enim poſcetis à me,*
" *ſubueniã vobis videlicet, & patrocinium*
" *impendam.* Tum minas addit. *Minime per-*
" *mittatis hanc ciuitatem meam Romanam à*
" *genti Longobardorũ laniari, ne lanientur &*
" *crucietur corpora & anima veſtra in æter-*
" *no atque inextinguibili igni tartari cum dia-*
" *bolo,* &c. *Declaratum quippe eſt quod ſuper*

omnes gentes quæ ſub cælo ſunt veſtra Francorum gens, Apoſtolo Dei prima exiſtit, &c. *Firmiſſimè enim tenete quod ego ſeruus Dei vocatus Apoſtolus in omnibus veſtris neceſſitatibus auxiliatus ſum & victoriam per Dei virtutem vobis de inimicis præbui, & in ante attribuam.* Tum Præſulem Romanũ, nẽpe Stephanum his Regibus cõmendat.

Nulla vnquam fuit nequior nec audacior fallacia. Fingere Frãcos eſſe filios Petri adoptiuos. Velle vt Franci acceptas referant Petro ſuas victorias. Polliceri Francis in Dei iudico patrocinium, & ſe daturum Francis quicquid ab eo petierint. Dicere Francos eſſe Petro charos ſupra omnes gentes quæ ſunt ſub cælo. Promittere Francis in poſterum victorias Petro fauente & eos propugnante. Petrum præparare Francis æternam gloriam & cæleſtia tabernacula ſi ad defenſionem vrbis Romanæ properè accurrant. Ni faciant interminari eis damnationem æternam in gehenna cum diabolis. Fingere Petrum ante annos ſeptingentos mortuum de ſuis oſſibus eſſe ſollicitum: quę falſo perhiberi Romæ aſſeruari certiſſimis indicijs probatur,

Petrum ſibi ſumere titulum illuminatoris totius mundi: Et ſibi adiungere Thronos & Dominationes Angelicas ſocias iſtius hortationis & mandati. Affingere Petro epiſtolam ad Reges Francorum, cōmentitiam, abſurdam, eique pręfigere titulum epiſtolarum Apoſtolicarum, *Petrus Apoſtolus Chriſti, Pipino, &c. gratia & pax.* Non eſt credibile Pipinum crediſſe hāc epiſtolam ſibi à Stephano miſſam, ab ipſo Petro eſſe conſcriptam. Sed Rex pugnax, hanc anſam bellandi aduerſus Longobardos auidè arripuit: & fuſis acie Longobardis, multas vrbes eis ereptas, dono dedit Stephano Epiſcopo Romano. Ex eo Epiſcopatus Romanus degenerauit in terrenum Principatum: ſexcentis ſexaginta ſex annis poſt reuelatam Iohanni Apocalypſim. Eam enim Iohannes ſcripſit anno Chriſti octuageſimo nono: Quibus annis ſi addas annos 666. fient anni 755. Qui quidem annus eſt quo Pipini liberalitate Epiſcopatus Romanus in terrenum Prin-
89 cipatum mutatus eſt. De quo numero ſe-
666 cundæ beſtiæ vaticinatus eſt Iohannes
—— Apocalypſeos cap. 13. ℣. 18.
755

FINIS.

INDEX RERVM.

A

ABdicantur Reges à Papa ob tarditatem ingenij p. 597
De Abſolutione Sacramentali p. 129
Abſolutio Sacerdotalis impugnatur p. 142. & ſeq
De Abſolutione conditionali p. 150
Quam compendioſa ſit Abſolutio Sacerdotibus p. 156.
Sacerdotes Abſoluẽdo ſe ſupra Deum extollere p. 157
Expenduntur Chriſti verbá Ioh. 20. Quorum remiſeritis, &c. p. 171
Confeſſio aduerſariorum p. 174
Patrũ ſuper hac re ſententia p. 177. & 183
Varij abuſus Abſolutionum p. 198
Agathonis Papæ ſubmiſſio p. 611
Albinij Ieſuitæ ſtropha p. 93
Ambroſius creatur Epiſcopus Mediolanẽſis iuſſu Theodoſij Imperatoris p. 216 Eius libri de pœnitentia p. 116
Quomodo applicetur nobis Chriſti beneficium p. 258
Apoſtoli dimidii Sacercerdotes p. 495
Apotheoſes Sãctorum p. 584
Attritio quid ſit. Pontificij docent eam naſci non ex Dei amore, ſed ex metu pœnæ p. 47
Id refellitur p. 49 Eam non eſſe effectum Spiritus sãcti p. 50 Falsò dici vi verborũ Abſolutio-

nis attritum fieri contritum p. 51
Attritio non poteſt pars eſſe Sacramenti p. 52
Auguſtini hęſitatio ſuper ſtatu mortuorum p. 470

B

Bellarminus negat Deum promiſiſſe remiſſionem peccatoribus confitentibus Deo ſua peccata p. 63
Belli ſacri infelix ſucceſſus p. 575
De Bonifacio VIII. p 648
Burchardi horrẽdæ interrogationes p. 85

C

Caroli V. Imperatoris flagellum p. 217
De Caſibus reſeruatis p. 507
Catecheſis Tridentinæ & Gelaſii impia dogmata p. 291
De Cauponatione Romana p. 619
De Charactere indelebili p. 196
Chriſoſtomus aduerſus cõfeſſionem quæ fit hominibus. Damnatur à Petauio Ieſuita p. 121
Chriſti paſſiones ſuperabundantes p. 289
Chriſti corpus & ſanguis an poſſit veneno infici p. 570
De cœlibatu ſacerdotũ. Cleri clamores p. 560
De Clauibus p. 487 earum ſpecies, Ibid.
Claues regni cælorum quid ſint p. 10
De clauibus Papæ p. 493
Quant opere eis abutatur p. 496
Clementis V. Papę impura oratio p. 270
Communio Sãctorum quid ſit p. 313
Confeſſionem Sacramentalem non eſſe à Deo inſtitutam p. 98
Confeſſionis ſpecies quatuor p. 63
Confeſſio Sacramentalis iuſſa à Concilio Lateranenſi I. p. 651

Confeſſionem non eſſe Sacramentum nec partem Sacramenti p.68
Confeſſioné Sacramentalem non eſſe neceſſariam ad ſalutem p. 71
Dubia perdifficilia ſuper confeſſione p.75 & de pollutionibus p.76
Quam noxia ſit Confeſſio Sacramentalis: querelę Pótificiorum p.79
Electio Cófeſſarii p.83
De interrogationibus quæ fiunt in confeſſione p.83
Aduerſariorum argumenta pro confeſſione diluuntur p.300 Iacobi locus cap. 5. explicatur p.104
De Confeſſione veteris Eccleſiæ p.109
Geſta Concilij Cóſtantienſis p.654
Contritio Deo grata quęnam ſit p.37
Eam nó eſſe Sacramentum nec partem Sacramenti p.39 & 52
Contritionem veram reddere abſolutionem Sacerdotis ſuperuacuá pag. 40
Contritionem non eſſe cauſam remiſſionis peccatorum p.42
Pontificios de Cótritione ea dicere quę cóſciétias mire implicant p.46
Bis conteri de eodem peccato an ſit neceſſe p.60 & an debeamus ſtatim conteri Ibid.
Falſo dici ſub N.T. ſufficere attritionem ſine Contritione p.61
Culpæ & pœnæ diſtinctio expenditur p.245
Deú poſt remiſſam culpam non exigere pœnas ſatisfactorias, Ibid. & p.252 & 258
Cypriani locus elucidatur p.466

D

DAnielis locus cap. 4: 27, explanatur p.262
Dictatus Papæ p.564

E

ESſçorum in Excommunicationibus aſpetitas p. 519
Excommunicatio inter Ethnicos vſitata p, 526
De Excommunicatione pag, 516
Excõmunicationes Iudæorum p. 517
Quid ſit Niddui, Kherem, Samatha, Maranatha p. 518
De Excõmunicationibus veteris Eccleſ. p, 519
Quid ἀκοινωνησία differat ab Excommunicatione p, 522
Qui nam poſſint excommunicari: An mures, & locuſtæ p, 536
Species Excommunicationis p, 539 De Excõmunicationibus Monitorijs: ibid.
An debitum ſoluẽdum excommunicato p. 543
Toleti & Becani fraus. Ibid. De Sepultura Excommunicati p. 549
Excõmunicationum tyrannis p. 552
Eius initium p. 557

F

De FIde Iuſtificante p. 131 & ſeq.
De Flagellatione p. 224 & 230.
De S. Franciſco p. 22
Futurorum peccatorum remiſſio p. 641

G

GAlliæ Reges & Gallicanam Eccleſiam ſe oppoſuiſſe Paparum tyrannidi p. 587
Gelaſii Papæ impietas p. 193
Germaniæ Imperatorũ infirmitas p. 581
De Granis & globulis benedictis p 328
Gregorii de Valentia Ieſuitæ ingenua & cõfeſſio p. 281 Gregorii VII. geſta mores, & mors p. 559
Euẽtus qui Gregorij VII mortem ſunt conſecuti p. 569 Gregor; I. ſubmiſſio ſub Mauritio p. 605

De Gutta vnica ſangui nis Chriſti p.289

H

Ob HÆreſim filius debet patrem tradere inquiſitioni p. 89

Hæreſis prima cauſa exauctorationis regum. Et quam latè pateat hoc crimen p. 595

Veteres Imperatores & Reges Hęreticos immunes fuiſſe à cenſuris Papalibus p. 595

Henrici IV. Regis Galliæ vicaria ſatisfactio & eiuſdem abſolutio p. 291

Hieronymi error p. 46

I

IMperatores adorabātur p. 585

De Indulgentiis p. 625 & 632

Indulgentiæ Hiſpanæ p. 637

De Indulgentiis, quæ dantur mortuis p. 662 & 665

De Indulgētiis per modum ſuffragii p. 669

De Intétione Sacerdotis p. 25 & p. 168

De Interitu carnis p. 527

De Iohanne Huz p. 654

Irregularitatem reddere Abſolutionem incertam p. 162

De Iubileo p 643

Iuramenti quanta religio p. 498

De Iuramentorum relaxatione p. 500

Iuſti Lipſii vanitas & inconſtantia p. 581

L

LAteranenſis Concilij I. impuritas p. 65

Et Synodus Tridentina multa addidit p. 66

Lazari poſt reſurrectionem cum vxore conſortium illicitum p. 59

Ligandi & ſoluendi poteſtas data paſtoribus quid & qualis ſit p. 10

Ludouici XII. Regis cū Iulio II. diſcordia p. 592

M

MAccabæorũ libri Apocryphi p.401
Locum qui affertur pro Purgatorio ex lib. 2. Maccabęorum non fauere Purgatorio p.408
Maranatha quid ſit p. 519 quid Samata. ibid.
Martyres an plura paſſi quam debebant p.309
de Meritis p.331 Merita impugnantur. ibid.
Mereri apud veteres nihil aliud eſt quàm conſequi p.45 & p.338 & 341
Miſſam in multis repugnare Eccleſię Romanę p.379
de Miſſis in honorem Sanctorum p.480
de Mortalibus peccatis p.54 & quot ſint. ibid.

N

NAuarri horrenda turpitudo p.87
Nectarius creatur Epiſcopus Conſtantinopolitanus p.119
Nectarius aboleuit preſbyterum pœnitentiarium, & cur p. 35 & p.114 & p.119
Nidduí quid ſit p.518
Nouatianorum hęreſis: Vnde dicti Cathari p.34 & 114
de Nouato preſbytero Carthaginienſi & Nouatiano Epiſcopo p.115 & 114 vbi & de ſchiſmate.

P

PApa probat Regum parricidia p.600
Papatum eſse imitationem veteris Imperii Romani p.583
Papa dat ſupereminentem gradum glorię. Erit accuſator aut aſseſsor die judicii p.55 & p.572
de Papa cõfitente peccata ſuo Cõfeſsori p.77
de Papæ Abſolutione qua Papa abſoluitur p.169
Precationes pro anima Papę & Cardinalis p.387
Papa ſoluebat tributum

Imperatori p. 605
Paſchalis periurium p. 577.
Peccata mortalia quænam & quot eſse dicantur p. 54
Petauius Ieſuita infenſus Chryſoſtomo p. 121
Philippi Regis Hiſpaniæ mors p. 227
Philippus Pulcher malè multat Bonifacium VIII p. 588
Pij V. doctrina abominanda p. 141
Preſbyter pœnitentiarius & cauſa cur inſtitutus p. 31 & 115
Priuilegia quarundam animarum p. 361
Precationes pro mortuis benefactoribus p. 388 & 9.
Pœnitētia quid ſit p. 20
Pœnitentia non eſt pœna p. 21
Pœnitentiam Eccleſiæ Romanæ non eſse Sacramentum p. 9
Chriſtum non eſse eius authorem. ibid.
Pœnitentia prædicata à Chriſto & Apoſtolis nō fuit Sacramentum p. 19
Sacramenti pœnitentię partes, & de quaſi forma, & quaſi materia p. 22 & 23
Pōtificiorum ſuper partibus Sacramenti pœnitentiæ diſcordia p. 29
Quinam veteres ſcripſerint de Pœnitentia p. 31
Pœnitentia veterū qualis fuerit p. 32. & ſeq.
De Pœnitentia veteris Eccleſiæ p. 169
Qualis ſtatus Pœnitentium. Quæ forma & gradus Pœnitētiæ apud veteres p. 123
Pœnitentiæ Sacramentum extollitur diſpendio Baptiſmi & Euchariſtiæ p. 184
De Purgatorio Ethnicorum p. 434
De Purgatorij vocabulo p. 431
Purgatorij Character

p. 355
Purgatorii cauponatio detegitur p. 360
Locus Purgatorii p. 361 & forma ſupplicii.
Purgatorium impugnatur Teſtimoniis Veteris Teſtamēti p. 368 & Noui p. 372 Et exēplis p. 377 Et Eccleſię Romanæ teſtimonio p. 384 q æ nū quam orat pro animabus Purgatorii p. 385
Expenduntur quæ afferuntur ad patrocinium Purgatorii ex Veteri Teſtamento p. 391
Et quæ afferuntur ex Apocryphis p. 398
Et quæ afferuntur ex Nouo Teſt. p. 409
Expenditur locus primæ ad Corinth. cap. 3 Vbi agitur de ſalute per ignem p. 419
Veterum ſententia p. 426
Huius loci paraphraſis p. 429 & 434
Confeſſio aduerſariorum p. 436
Veterum errores circa ſtatum animarum poſt mortem p. 438 & 447 & 455 & 457.
Veterum loca aduerſa Purgatorio p. 459
De precibus pro mortuis p. 473 Et pro Apoſtolis & Martyribus p. 477

Q.

De particula QVASY p. 423

R

Regum poteſtatem eſſe iuris diuini p. 94
Quibus gradibus Papa progrediatur ad regum depoſitionem & mortem p. 598
Cauſæ exauctorationis Regum p. 593 hæreſis & ingenii tarditas p. 597
De Regum & Imperatorum excommunicatione p. 555 Eius prima initia p. 557 Imperatores & Reges hæreticos

non fuiſſe excommunicatos p. 595
A ſolo Papa excommunicantur p. 556
Papa regibus eſſe ſubiectos lege diuina p. 604
Idem ratione confirmatur p. 603 Veteres Epiſcopos Romanos fuiſſe Regib⁹ ſubiectos p. 606
De certitudine remiſſionis peccatorum p. 129
Bellarmini horrẽda doctrina. Ibid.
De Retentione Mentali p. 91

S

De Sacramenti vocabulo, & varia eius ſignificatione p. 1. 2. & 3
Sacramenti vocabulum an inueniatur in Scripturis p. 3 & 4
Sacramẽti definitio, materia, forma p. 4
Quæ requirantur vt Sacramentum ſit legitimũ, & verè ac propriè Sacramentum p. 6
Sacramenta non ſunt virtutes p. 6
Sacramenta aſsumunt nomen rerum ſignificatarum p. 7
Sacramenta N. T. debent eſse analoga veteribus p. 8 & 17
Sacerdotem non poſse eſse certum verum Sacramentum à ſe adminiſtrari p. 25 & 27
Sacerdotes vi Ordinationis dare ſpiritũ ſanctum quãuis ipſi ſint in peccato mortali, docet Synodus Tridẽtina p. 67
Poteſtas ſacerdotum iudiciaria in remittendis peccatis impugnatur p. 137 & ſeq.
De virtute infuſa Sacerdotibus in Ordinatione p. 167
Sãctos in Eccleſia Rom. multis contumeliis affici p. 482
De Satisfactionibus.
Quotuplex ſit ſatisfactio p. 208
De Satisfactionibus Ec-

cleſiæ Romanæ p 211
Species Satisfactionum p. 214 215 & 216 Vt irrogantur à ſacerdotibus p. 216
Satisfactiones Eccleſiæ Rom. refelluntur p. 231 Diluuntur aduerſariorum effugia p. 238
Satisfactio Chriſti quibus modis applicatur p 241 Tridentinorum argumenta p. 242
Satisfactiones Eccleſiæ Romanæ quam noxiæ p 265
Eas euertere Satisfactionem Chriſti p. 274 Veterum Satisfactiones quales p. 284
De Sepultura Excommunicatorum p 549
De Sigillo confeſſionis p. 89 & Regis ac patris cæde p. 89 & 90 De Sigillo plumbeo Bullarum p. 228 De Spiritus ſancti teſtimonio p. 135
Synodus Conſtātinopolitana conuocata ab Imperatore inconſulto Damaſo p. 118
De Superuacuis paſſionibus Chriſti p. 289 & de vnica ſanguinis Chriſti gutta Ibid. & p 306 & 7 De ſuperuacuis ſatisfactionibus ſanctorū p. 290 & 307. De Supererogatoriis ſatisfactionibus p. 309 & ſeq. & p. 313

T

TErrorē ſeruilem inter initia poſſe eſſe vtilem p. 50
De Theſauro Eccleſię p. 312
Cōfeſſio aduerſariorum Ibid.
De traditione Satanæ p. 527 per eam perperam intelligi excommunicationem p. 531
Tobię liber Apocryphus p. 401

V

VAzquēz Ieſuitæ impietas p. 337
Venialia peccata quęnam eſſe dicantur p 55 Ægrè à Pontificijs diſcerni peccata venialia à mortalibus. Nauarri facetum acumen p. 59
De Vicarijs Satisfactionibus ſententia Eccleſiæ Rom. p 286
Vicariæ Satisfactionis inſigne & recens exemplum p. 292
Vicariæ Satisfactiones refelluntur p. 301 Patrum teſtimonijs p 305 Et rationibus p. 306
An innocens plectatur pro ſonte p. 311
Victoris actio expēditur. Eum non excōmunicaſſe Eccleſias Oriental. p. 522 Victoris III. mors, ex calice conſecrato p. 569 Vigillius malè acceptus ab Imperatore p. 609
De Virga Apoſtolica & poteſtate in corpora p 529 De Vrbano II p. 172 & de prærogatiuis quas dedit cruce ſignatis Ibid.

Z

ZAchariam Papam non dediſſe regnum Francorum Pipino p. 527

Addenda ad Paginam 689. ad finem capitis XII.

QVod ſi poſt Petri mortem quęrendus fuiſſet homo qui ei in Primatum ſuccederet, ſinè dubiò Iohannes Apoſtolus fuiſſet omnibus alijs anteponendus: Petro enim per annos circiter triginta fuit ſuperſtes: An æquum fuiſſet Linum Pauli diſcipulum, cuius nullam habemus Epiſtolam, nullam homiliam, nullum miraculum, nullam actionem memoratu dignam, anteponi tanto Apoſtolo quem Chriſtus peculiari amore complexus eſt, qui Chriſti fuit conſanguineus, qui miraculis claruit, cuius extant ſcripta Canonica & verè diuina. At ſi creditur aduerſarijs ne quidem eius conſenſus expetitus eſt in electione capitis Eccleſiæ.

Id quoque apprimè obſeruādum quod per multa à Chriſto nato ſęcula Epiſcopi Romani ſuffragijs populi Romanæ vrbis legebantur. An plebi vnius vrbis, ius fuit & poteſtas dandi caput Eccleſijs totius orbis? Sanè debuit ſaltem expeti conſenſus

narcha nec de Rege.

Quod ſi quis accuratè perpendat quæcunque ex Patribus afferuntur ad aſſerendum Epiſcopi Romani Primatum, comperiet eſſe exēpla rerum geſtarum intra limites Imperij Romani: At Epiſcopum Romanum nunquam ſe immiſcuiſſe negotijs Eccleſiarum Perſidis, Armeniæ, Æthiopiæ, &c. Indicio manifeſto Primatum quem Epiſcopus Romanus ſibi aſſerebat fuiſſe conſtitutionem humanam, quę extra Imperij Romani limites non extendebatur, idque ob dignitatem vrbis: Sic ſtatuente Concilio Calchedonenſi can. 17. ordinem ſtabilitum ab Imperatoribus in rebus ciuilibus inter vrbes imperij, etiam in Eccleſiaſticis paroecijs obſeruari. Eademque Synodus can. 28. Epiſcopum Conſtantinopolitanum in rebus Eccleſiaſticis æquat Epiſcopo Romano: quia Conſtantinopolis æquabat Romam in ciuilitus.

ERRATA.

Pag. 16. l. 1. *Mira*. & l. 13. *in Eccleſia Romana admi-*
p. 21. l. 1. *partem*. l. 3. *lati*. p. 41. l. 7. *voluptates*. p. 51. l. 16

regenerari- p.88 l 4. *tranſiuerit.* p.99 l.16. *immediatè.* p.101. l.23. *Can Quãuis.* p.103. l. 4. *maleficis, vn* p.109. l.17. *Oportet ſit.* p. 118 l. vltima *Theodoſii.* p.115. l.11. *Secus ac nunc.* p.133. l.13 *Lib* 5. p.136. l.1. *inhabitantem.* p.141. l.13. *Deo ſoli.* p.142. l.10. *certũ eſt* p.143. l.14. *Bellarmino* p.158. l.13. *in Repub.* p.160. l.12. *mediante me.* p.172. l.4 *ſed via.* p.180. l. vlt. ἰδέαις p.183 l. 22. *cuimus.* p.186. l.17 *actum cum* p.189. l.5. *dequo.* p. 201. l. 20. *homines.* p.202. l.13. & 14. *Qua de re accuratius ſuo loco agetur.* p. 206 l.21. *Felinus.* p.212. l.3 *cõpenſandas.* & l. 20. *iuſtè.* p. 214 l.16. *Romana.* p.217. l.18. *inſeritur.* p.216. l.22. *crepitacula* p 228. l.13. *Mercurii.* pag.235. l. 14. *multa ſęcula.* p.245. l. vlt. *comprobatur.* p 247 l.22. *de verbis.* p.250. l.18 *in libris.* p.264. l. vlt. *turalbedine.* p.269. l. 6. *ciendum* p.293. l.11. *placare.* & l. penult. *æquiore.* p.315. l.7 *licę.* p.328. l.22. *liberat* p.333 l.20. *debes.* p,336. l. 5. *nos noſtrorum.* p.355. l. vlt. *cunctanter.* p,363. l,2. *pecunia legata* p.379, l,16. *cur* p,397, l,1, *Reg.* 2.6. p,403, l, penul. *Cornelius.* p,407. l,4. *vnicum librum.* & l,23. *Hebraicæ linguæ peritiſſimo.* p,411. l,5 *ſimplex eſt & obuius* p.427 l,9. *imitator Dialogorum.* p,462, l,9. *nam illa.* p,485, l.9 *pudicitiam.* p.492, l,13. *liga.* p,510, l, 18. *Et qui ſpoliant Romipetas, id eſt qui Romam.* & l,20. *Tum qui* p,517, l.1. *congregaba.* p,523, l, vlt. *abſcindunt & ſeparant.* p,524, l, penult. *declarare.* p,528, l,21, *Homilia.* p,533. l, 8, *intelligitur.* p,535, l. vlt. *Vir Dei.* p.544. l. 16, *pro ſumma.* p.548, l.18, *conuerſari.* p.558, l. 23, *ſu. Pari.* p. 583. l. 5, *ſuperioritate.* p.587, l.7, *Romani.* p, 591, l, 15, *mitellati.* & l.2, *Ludouici.* p.641, l,7, *docet.* p. 642. l, 1. *Hæc quiſquis.* p,655. l,11. *ſequebatur.* p.684, l.2, *mat. Hi*

ANT 1741028

3499

B 82.

IX
1335

Digitized by G